
P. LEQUILIS DE OMNIBUS MATRIMONIJS AUSTRIACIS, TAM MARIUM, QUAM...

Diego : da Lequile, Johann Baptist Jezl, Cesare Rasponi







Hic PIETATIS honos fulgēs sculptura triumphans
AVSTRIACA, ingēuos pandit in Orbe TOROS.

Quæ Laqueos FORTVNA pares ſecundior vnquam
Attulit, Europæ ſplendida iuga trahens?

P· LEQVILIS

De omnibus Matrimonijs Austriacis,

Tam Marium, quam Mulierum.





PIISSIMA
ATQVE AVGVSTISSIMA
Domus Austriaca

Splendore coniugiorum ingenua.

Seu Collectaneum

Earum rerum Austriacarum, quæ ad coniugia spectant, coniugumque ortus, sponsalia, nuptias, dotes, successiones ad varia, amplaque Dominia, Prolium numerum.

AC DENIQVE


Ad consortium obitus, maritorum Symbola, intitulationes: Quemadmodum & ad alienarum vtriusque sexus familiarum, vtrique pariter sexui Principum Austriæ Matrimoniali affinitate copulatarum,

GENEALOGIAS.

Quæ totius ferè terrarum orbis Serenissimas

PROSAPIAS

Sibi Sanguine iungunt.



AD REGEM CATHOLICVM PHILIPPVM IV.

Ad quem Colossus Angelicus Austriacus, in cuius altera parte sequens imago dilucidatur, eodem tempore mittitur, consecraturque.

AVTHORE

F. Didaco de Lequile S. P. Francisci alumno, ac Theologo Concionatore, & Historiographo Aulico &c.

OENIPONTI



Excudebat Michael Vvagnerus. Anno Christi M.DC.LVIIII.

SVPERIORVM PERMISSV.


SACRA CATHOLICA
Maiestas.



LLA eadem matrimonia, quæ in altero hoc volumine fuse conscribere necessarium fuit, illa eadem habes compendiatim (præter alia argumenta scitu digna) o Catholice Rex, in *mole colossea*, cuius duæ partes tribus quoque alijs præsentis laboris ordinatæ sunt. Quidquid siue ibi, siue hic perlustrabis, tuum erit, o Rex, & verum erit, & ab omni pestifera assentatione alienum. Ibi satis profectò, ò Magne Philippe, edoceberis ex illo D. Hieronymi, Regum talis conditio,
Lib.2.Ep.22. *feriunt summos fulgura montes*. Hic autem quam plenissimè intelliges, vnde tanta in domo tua felicitas, tanta munerum ac beneficiorum vber-
D.Greg.hom.9.in Euang. tas, per quam summus largitor Deus *solicite considerare* te *admonet*, *ne qui plus cæteris* totius orbis terrarum Principibus *in hoc mundo accepisse cernis*, *ab auctore mundi grauius inde iudiceris: cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior quisque debet ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione*. Valeat Maiestas tua, viuatque ad Nestoreos annos, plurimum Romanæ Ecclesiæ necessaria, ac propterea pro Romana Ecclesia, totiusque Christianæ Reipublicæ bono aduersus Ethnicorum, Iudæorum, Hæreticorum, impiorumque hostium peruicacias, molimina, irruptiones *vt castrorum* Dei *acies*, sub nullo marte infirma, sed firma, sed fidelis, sed pia & idcirco inuicta *non quæ sua sunt quærens, sed quæ Iesu Christi* à Iesu Christo mirabiliter ac terribiliter *ordinata*.

S. Cath. M. T.

Humilissimus ac deuotus Seruus
Fr. Didacus de Lequile.



PARS III.



DE FELICITATE, INGENUITATE, ET QUANTITATE

Matrimoniorum sexus utriusque

à

Comite Habsburgiensi ALBERTO divite

PERLEONE ROMANO

Ad Pronepotem RUDOLPHUM I. Cæsarem:

Nec non ab isthoc (verum hic de Marium tantum Nuptijs) usque ad superstites Archiduces.

EXCURSUS I:

Omnia Fortunæ bona, inter quæ Connubiorum ingenuitas, ac felicitas plurimi facienda, Magnatum Pietati in hac vita succedunt.

SECTIO I:

Bona Sors Pietas, mala autem Impietas in his, qui præsunt.



Tilitates esse, damna esse Principum, Principatuumque utilitates omnes, & omnia damna cujuslibet Pietatis, sive veræ, sive falsæ, Ethnicæ, vel Christianæ, asserrendum omninò. Id enim non solum divinæ literæ, Patres,

omnes, quin & meliores temporum omnium Politici, Poetæ, fabulatores, paradigmata innumera, tam sacra, quam prophana, & ipsa quoque ratio persuadent, verum etiam & convincunt. Et quidem (ut hinc exordiar) Deus ipse veram Pietatem, veramque Religionem dignè in terris; ut clarissimis earum natalibus par erat, educaturus, è sinu Patris descendit, moxque simul Principibus, ac Regibus curam omnem reliquit, ut eas Christiano studio nutrirent, pariterque foverent, servarent, defenderent. Idcircò utramque alloquens per Isaiam, *Erunt*, inquit, *Reges nutriticij tui, & Reges nutrices tuæ.* Onus profectò verè dignum; verè proficuum, & à nemine contra Dei monitum proijciendum; & contra jusjurandum illud, quod Reges emittunt, quotiens consecrantur. Spondet unusquisque, & maximè summus eorum Princeps, ut est Imperator; *quod fidem & sedem Apostolicam defendet; quod nunquam cum Saraceno, Pagano, Schismatico, Heretico unionem quamlibet, seu confederationem, & parentelam inibit.* Cuilibet hanc bonorum omnium parentem altricemque promissionem exequutioni demandanti licentiam concedere minimè perhorresco, ut nimirum de ipso Deo conqueratur, nisi veluti munerum Largifluam etiam in hac mortali vita Christianam Pietatem experiretur. Quotquot Theodosij II. ac Valentiniani III. Pietati conformantur, audiant tanquam sibi dictum quidquid de eisdem summus Ecclesiastici culminis Princeps Simmancus his verbis protulit. *Sciunt*, inquit *se illi fanerare solicitudinem suam, qui eam cum grandi reddat usuram.*

Probatio I. ex divinis literis.

Isaiæ cap. 44.

Ex Tolesano de Rep. fol. 527.

In Ep. ad Ioann. Antiochenum.

In Gladij traditione, quem Pontifex exhibet Principi, hæc, ex libris Machabæorum desumpta, eidem statim monet. *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies adversarios populi mei.* Gladius iste dum Pietatis robur indicat in Principe, divinum munus simul ostendit. Quod ipse hoc modo declaro. Pietas belligera est, divino munere officium istud sibi traditur. Vbi enim inter sanguinea Martis spectacula hostes Dei & Ecclesiæ deijciendi, aut profligandi sunt, ipsa hincinde ære ciet militem, armacongregat, acies animat, castra disponit, exercitum movet, Duces provocat, irruensque in adversarios, suorum tela dirigit, tormenta quoque bellica in ipsorum interitum suæ dexteræ soluit igne, atque omnia felicissimè complet, & victoriæ acquisitione perficit. In illa cœlestis curiæ ingenti Academia viginti quatuor seniorum ante thronum Dei & Agni submissio, atque unà cum diadematum depositione reverentia nil aliud certè portendebat, quam piorum dominantium felicitatem, cujus eminentia omnis in subjectione erga Deum generosè fundatur. His & alijs quamplurimis sacræ scripturæ locis nixi qui utriusque Testamenti Codices rimati sunt, eadem prorsus tradidere. Synesius dicebat Arcadio, *Religio & Pietas firma in primis Regni basis subijciatur.* Agapetus Justiniano, *Non alius est Imperij vestri beatior proventus, quam Religionis argumentum.* Simmachus Zenoni, *Tantum*

Lib. 2. Mach. cap. 15.

Pietas Christiana belligera.

Apoc. cap. 14.

Probatio. II. ex Patribus. Summ. Pontificum Epist. ad Imperat.

tum vobis divini favoris impensum, quantum Christianæ Religioni vestræ Pietate est sedulitatis exhibitum. Hormisda Iustino, *ubi Deus rectè colitur, adversitas non habet effectum.* Martinus Constanti, *solet unà cum orthodoxa fide status Reipublicæ florere, & vestræ potestati meritò hostes subjugabit Dominus à vestra serenitate rectè creditus.* Similia sunt quæ scripserunt D. Leo Theosio, D. Gregorius Mauritio, D. Ambrosius Valentiniano; & alij Patres varijs Principibus. Et quæ è converso de Impietatis adversitatibus ferunt plerique auctores, inter quos duo tantum brevitatis gratia hic sufficient, nimirum Lactantius, & Petrus Damiani. Ait ille, loquens de ira Dei, *Tolle vinculum Religionis, vita hominum stultitia, scelere, immanitate complebitur.* At iste scribens juveni Henrico, Romanorum Regi, præter alia hæc habet. *Cum Rex divinis insultat Imperijs, ipse quoque contemnitur à subditis.*

Lactan. cap. 8. de ira Dei.

Ep. Petr. Dam. ad Henr. juvenem.

Sed diceret aliquis: Cum rem suam hi Auctores ac Patres hoc in negocio tractent, haud mirum, si hæc & similia super his de Religione, ac Pietate nimis eleganter, seu affectatè commisceant. Equidem tam commemorati, quam multi alij ejusdem professionis scriptores veluti primam legem id cum ipso Moyse ferè omnibus præscribere auctoritativè voluissent, per quod unusquisque Christianus teneretur ullum regimen accipere, nisi prius librum, quem *Ceremoniale* vocant, estque exempli gratia omnium nobiliorum ac spiritualium hominum plenus moribus, quos ab ipsis Deus exigit, manu propria subscriberet. Atque in cætu, seu in illorum congregatione collocaretur, qui (sivè fictè, ut pelle ovina Pietatis voracium luporũ naturam cõtegerent, sivè verè, ut ab omni cura temporali, quæ bona prudentia est tantum contenta, sese amoverent) servi Dei Francisci Salesij Episcopi, ac Principis Genevensis PHILOTHEAM, seu Introductionem ad vitam Devotam, docto ac pio viro Patri Ioanni Ferrerio è Societate IESU antequam typis daretur ab Auctore communicatam, sequuntur. De hac Philothea egregius vir Fabius Chisius Coloniæ Nuncius, atq; Episcopus Neriti (hæc valdè opulenta, ac nobilis Civitas 12. tantum à mea Patria miliaribus Italicis distat, ubi ipse in Conventu mei Ordinis, S. Antonio Patavino dicato, qui ibidẽ assiduis ac quotidianis miraculis claret, guardianatus munus olim indignè exercui) scribens nepoti suo Antonio Bicho S. Anastasiæ Abbati, hæc præ alia propè initium illus Epistolæ subdit. *Non austerum, non solitarium, non exoticum vitæ genus suadet, sed civile, sed nobile, sed temperatum: hoc est, parabilem cuique vivendi modum, qui tamen solidam attingat perfectionem atque sanctitatem.* Præsul iste, verè pius, verè devotus atque insigniter eruditus post seram electionem ad purpuram, ac celerrimam & præter communem expectationem (nimirum tribus vix sui Cardinalatus expletis annis) assumptionem ad Summum Pontificatum, Salasij Scholam ac doctrinam professus, quæ antea, ut alter Fabius Maximus Sedis Apostolicæ, non solum in Nunciaturæ officio arduissima negocia cum omnibus ferè Germaniæ Principibus feliciter persoluens, verum etiam suæ

Objectio Pseudopolitica.

Ep. Fabij Chisij, Col. Agripp. impressa 1654. cum Philothea Francisci Salesij.

probitatis, ac innocentiæ nomen communiter stabiliens, circa rem præsentem verbo & exemplo suaserat, nunc quoque ut Magnus totius Ecclesię Alexander ardentius prosequitur. Quia tamen *Nulla res est tam sacra*, teste Seneca; *quæ suum non habeat sacrilegium*, tanta quidem Religionis ac Pietatis suasio, nescio sub quo boni omnium Principum regiminis colore à Religiosis, atque Ecclesiasticis viris nimis superstitiosè prædicata, & utinam nō sine aliquo ambitus fuco, unde ingens acquirendi cupiditas oritur, Magnates à rebus proprijs culpabiliter divertit, ac gubernia parum felicia auguratur; quemadmodum quotidiana experientia demonstrant.

Seneca alibi datus.

Dissoluitur.

Huic opinationi lubenter quoque & ipse annuerem, nisi in ea, ad profanas & parum sanas in fide conscientias convincendas, compescendamque impietatem præter divinas literas, ac SS. Patres, Ethnicos etiam Politicos, & inter hos Atheos nonnullos haberem. *In omni Republica primùm est curatio rerum Divinarum*, dicebat Magni Alexandri preceptor, qui à suo Magistro jam didicerat, Domum Regis Templo, quod est Domus Dei, conjungi debere. Quandoquidem, auctore antiquissimo ac summo Ægyptiorum Theologo, sicut statuum omnium securitas, *Vna custodia Pietas*; ita etiam, *Imperia cum Religione stare, cum Religione manere*. Atheum Plinium extitisse, scripta ejus convincunt, & nihilominus, *Vitam nostram Religione constare*, apertissimè docet. Quam propositionem ex illo axiomate, *contrariorum eadem est disciplina*, proculdubiò politica consequutione deduxit; legerat enim fortè apud Tullium, *Pietate erga Deum sublata, fidem, & humani generis societatem tolli necessè est.* Igitur è converso, Pietate debito amoris famulatu retenta; aureisque cultus & honoris vinculis firmata, omne Reipublicæ bonum ab ea incipit, ab ea incrementum sumit, atque per eam tam in superioribus, quam in subjectis mutuò dilectionis studio admirandum in modum perficitur. Posse in Mundo Principes esse, ac in eo Pietatem seu Religionem debere simul exerceri, sunt quidem duæ res, ab uno eodemque fonte inseparabiliter emanantes. *Primum est & maximum de Dijs opinio*, optimè Plutarchus argumentabatur adversus Epicureum. *Et facilius est*, teste eodem adversus eundem, *Vrbem condi sine sole, quam sine opinione de Dijs.* Adstipulantur Cambyses, Mecenasque, qui ubi maturè perpenderint, *Omnia post Religionem semper ponenda, nec dubitasse sacris Imperia servire, ita se rerum humanarum futura; regimen existimantia, si divinæ Potentia benè, ac constanter fuissent famulata*, hæc & similia alter parenti Cyro, alter verò Augusto ardenti cupidine consulere studuerunt. Putaret tamen Atheus, rem quidem Principibus magnoperè jucundam ac plurimum gratam se efficere, si Deum, nescio qua ductus dementia, à Mundo auferret, licet certò sciret, conscientiæ gravamine pressus, omnem Principum auctoritatem, atque auctoritatis robur, ut multum duret, ab eo pendere, sine quo nihil. Et quæ hæc consultatio? Quod hoc monitum tam nefarium, impietatem plusquam barbaram, stultitiam omni prorsus

Probatio. III. Ex Ethnicis, & atheis scriptoribus.

Arist lib. 7 Poli.
Plato lib. 6. de Leg.
Trism. apud Lact. lib. 2. cap. 16.
Paul. Oros. lib. 1 cap. 42.
Plin lib. 14. cap. 19
Cicero libr. de Nat. Deorum.

Plut. adver. Epicur.

Apud Xenoph. ac Dionem.

Atheismus stultissimam Politicam suadet.

ratione

ratione rationalem animum exventem, atque in naturam illa Diaboli peiorem transformantem, apertè suadens? Absque una Omnipotentia, quæ Principes prorsus domaret, in immanium bestiarum agmen, montium nemorumque cubiculis feris ipsis sociandum, homines quamcitius transirent. Omnes enim & singuli quantumvis parvæ subjectionis incapaces facti, contempto rationis jure, propriam voluntatem pro lege sibi præfigerent, ac indomabilium belluarum instar, humana societate carentium, sponsionem quamcumque violarent, imperium omne contemnerent. Quam veritatem plurimi faciens Hermetes, his verbis in Atheum invexit. *Impietatem Opinio & inclinatio ad omnia mala sequitur, Boni autem nihil.* Ostenditque, nullam Religionem ita fuisse malam, ut propter bonum regiminis longè melior Atheismo non extiterit. Herm. cap. 18.

Nostrum quoque argumentum etsi in illa S. Thomæ Sententia, *Vbi est dependentia in Domino, necessaria est Superioris reverentia*, radicitus fundetur, Gentiles tamen Poetæ, quorum dogmata fabulis, ac mendacijs passim conflantur, eorũ carminibus fatentur, eique firmiter adstipulantur. Supponens fides nostra, Deum unum, Regum Regem, ac Dominantium Dominum in Mundo esse, singulis quoque Angelis, quantumvis potentia, & auctoritate Hierarcicè, ac Monarcicè præditis, ne dum hominibus, jus aufert quodcumque independentiæ, ne aliquis eorum, dum præest, subjectos regere ab eo independenter se jactitet; cum ei illimitatè necessariò subordinari queat. Hujus Christianæ credulitatis lux ab Ethnicis umbris Senecæ Tragici, & Horatij Flacci carminibus sparsi aliquo modo prorupit. *Reges in ipsos imperium est Jovis*, prior cecinit; alter verò, *Omne sub regno graviori regnum est.* Quilibet totius orbis terrarum eminens Thronus Dei pedibus instar humillimi scabelli inservit. Vnde fas est, ut quicumque ab alijs tributum exigit, ei primùm tributum soluat. Principum, Principatuumque, Regum, ac Regnorum PALLADIVM est PIETAS, est RELIGIO. Hoc deperdito, singulorum bonorum fundamentum proculdubiò dissoluitur, uniuscujusque regimis compages ruit, atque omnia in excidium celeriter prolabuntur. Ita Ovidiana Cantilena.

S. Thom. lib 1. de regim.
Probatio IV. Ex Poetis Gentilibus.
Sen. Trag.
Horatius.
Pietas Principũ Palladium.

Ætheriam servate Deam servabitis Vrbem, Imperium secum transferet illa loci. Quod etiam S. Pontifex Leo Marciano scripsit, *Quem statum esse cupitis Religionis, eundem habeatis.* Lib de Fastis. Ep 42. ad eundem.

Dein multa, ac penè infinita exempla antiqua, & recentiora, sacra ac profana ad idem probandum afferri possunt. Ex tam ingenti cumulo ipse nonnulla selegi, quæ majus robur habent, ad movendos Principum Christianorum animos, ut satis superque in rebus Pietatis ac Religionis, sine quibus nulla Politica bona esse potest, ajente Papiano Jurisconsulto, *Summa Ratio est quæ pro Religione facit*, confirmentur. Ineptam antiquæ Romæ Politicam nullus verè prudens approbare auderet, intuens illam, *Magnam sibi assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Atque

Probatio V. Ab exemplis.
Papianus.
S. Leo Ser. de SS. Petr. & Paul.

omninò

omninò sedulam, ac deditam omnes amplectendi superstitiones, nec non & publicum totius Mundi Pantheon fieri. Jam progressu temporis ex semetipsa planè advertit, quam hæc conscientiæ libertas bono regimini præjudicialis experiebatur. Deæ Syriæ sacrificia prohibere decrevit: Serapidis, Osiris, Osidisque delubra, quæ præter mille obscenissima dedecora, frequentium quoque dissentionum, seditionum, ac rebellionum ferè diebus singulis materiam benè dispositam, ac paratam in vulgi fece conservabant, statuit radicitus divellere. Sint per sæcula omnia execrabiles illi Ægyptiorum Tyranni, qui ut misero populo omnem se uniendi commoditatem, simulque conjurandi spem auferrent, cultu, varijs novisque, ac peregrinis idolis exhibito, eum diviserunt. Non advertentes, quod sicut æternis ferè contentionibus hac religionum diversitate ipsum exponebant, ita pariter ad ea totius Reipublicæ damna quamplures vias aperiebant, quæ deindè inevitabiliter evenere. Vt horridum gladiatorum ludum semper ante oculos haberent, obtinuerunt: Nec alia dixerim intentione, nisi ut in interitu, ferali immanitate inflicto, amissioneque sanguinea illorum, quos conservare debebant, turpiter pascerentur. Quia tamen alicui parti favere se minimè declarare nequaquam poterant, propterea reliquæ omnes mortalia inter se odia, ac inimicitias valdè perniciosas vicissim contrahebant: Præterquam quod vulgus continuis factionibus assuetus, ac roboratus indignum jugum excutere non expavit. Quos supra caput amplius sufferre non poterat, posuit sub pedes. Improbam illam exprobrandamque Monarchiam dilaniavit, & adeò imbecillem ac contemptibilem reddidit, ut exercitui Nabuchdonosor pluris magis unius Tyri acquisitio, quam totius Ægypti constiterit. Et licet paucæ vix regiones tunc illi possent cõparari (erat enim situũ positione fortissima, ac copia victuum, populorumque multitudine valdè plena) sufficiebat tamen Persæ, Græco, Romanoque eam tantum videre, ut vinceret, ac simul pro tam subita victoria scriberet, *Veni, vidi, vici.* In omni ditione, optimè administranda, non requiritur nisi unus Deus, unus Princeps, una Religio. Vbi hæc multiplex fieret, statim Mundus ad infelicissima tempora Valentis Julianique (his denuò sacrilega templa, à Magno Constantino acclusa, valuasque simul infinitis scissuris aperientibus, Imperium cum Imperatoribus semetipsum perdidit) proculdubiò rediret. Quare cum status utilitas (Italicè interesse di stato) non sufferat nisi unicum cultum, studeant Principes, amplecti meliorem, per quem corporum subditorum, cordiumque simul rectores fieri possint, ac patroni. Caveant à Lutheri dogmatibus, cujus intentionem omnem viperea soboles, quæ naturali fota, ac mota hostilitate, in qua concipitur, adnascitur, nutritur, adolescit, nihil intentatum relinquit, ut summæ eorum potestati ultimum exterminium pararet, toto conamine exequi profitetur. Hęc est pharsis, hæc sunt verba, quibus eis tantus inimicus palam loquitur. *Principes esse vel præcipuè moriones,*

Ex Alex. ab Alex.

Diodor. lib. 2.

Ezech. cap. 29.

Luth. lib. de pot. Secul.

nes, vel deterrimos nebulones. Turcam decies ijs esse meliorem, brevi omninò perdendos; quod eorum dominatum homines nec possent, nel vellent, nec sanè deberent ferre diutius. Subtilibus Calvinistarũ circumventionibus ne cõfidant, hi enim inflatis genibus, serpentinis labijs oreq; intumescenti adeò adversus Imperium dentes acuunt, ac dira venena evomunt, ut dicere autument, illum Bestiam esse Apocalypsæam, quæ sanctos devorat, quæque idolatras quotquot eam adorant efficit; atque omnes, qui ei inclinantur, Diabolo sacrificare impellit.

Hæresismus acerrimus Principum hostis.

Iste omniũ prorsus innovatorũ genius est, ista fames, hæc sitis, quæ propter unius debaccantis Anarchiæ cupidinem, ac licentiam in radicalem Monarchiæ ruinã omnia, quæ potest, tentat, struit, molitur, sicut fatentur Hollandiæ, Angliæ, ac Scotiæ eventus. Quod cum cautiores ac sapientiores Cæsares adverterent, animos coercere minimè potuerunt, nè in hostes tam apertos maximam ac justam anthipatiam conciperent. Theodosius, Valentinianus, Martianus, Justinianus & alij nunc eos è Civitatibus ut contagiosa membra expulerunt, nunc veluti Satanæ mancipia flagris ceciderunt, nunc demum facultatibus, libertate, ac vita ipsa, commune bono id exigente, privaverunt. Horum Principum exempla sequutus Rex Catholicus PHILIPPVS II. Austriacus, raro pro magno Pietatis ac Religionis Zelo facinore illustrare, ac eximiam Patriarchæ Abrahami fidem, licet non eodem modo, neque pro eadem re, nullo Dei cohibente mandato, sed religioso sui ipsius spiritu tantum præcipiente (quod valdè perpendendum est) æquipare resoluit. Nam pluries Christianissimus, ac Pijssimus Heros se declaravit, quod si pro sua suæque Domus extrema calamitate Infans superstes, ac unicus Hæres in hæresim dilaberetur, ipse proprijs humeris in medio plateæ, ubi nequam filius justè cremandus esset, ligneam catastam intrepidè deferret. Idolorum cultus bono regimini plurimum quoque officit, nam super errores, debiliter existentes, ipsum quoque delibiter fundatum, varijs, plerisque mutationibus, ad quodlibet regnum subvertendum satis aptis, necessariò subjacebit. Vnde fit, quod diversæ populorum licentiæ, sine quibus superstitiosa vita consistere nequit, gentes pariunt, nutriuntque, aliorum Imperijs nimium reluctantes, nimiumque tumultuarijs seditionibus proclives, facilesq;. Ergo velint, nolint Pseudopolitici, constanrer asserendum, nullam Pietatem in Mundo esse, nullam Religionem, quæ Principũ conservationi, ac magnitudini prosperè influeret, præter Catholicam. Hæc sub æternæ damnationis pœna reverentiam ei debitam præscribens, irrevocabili jurejurando testatur, nunquam posse quempiam eorum, Christi Vicario rebellem, propitium Deum in terris sibi promittere. *Hæc in omnem sui partem semper est eadem*, sicut de numero senario, specie, & natura inter alios numeros, & maximè inter eos, quos superabundantes, ac diminutivos vocant, perfectissimo, pari voto Arithmetici asserunt: Ideoque ejus *Immutabilis Veritas* quæ dissona sunt perenni-

Monarchia quã abominabilis Hæreticis.

ExBell. de Mẽb. Eccl. lib. 3. c. 21.

Bot. dict. mem. Rarum exemplũ Religionis.

Idolatria valdè bono regimini adversa.

Ex Seneca.
Ex D. Innoc. 3. Papa Ser. de Nativit. alibi in 1. Gent. adducto.

ter

In quantis Christiana Religio mirum in modum proficua.

ter abijcit, quæ verò peregrina indignabunda reijcit. Hæc vera *Humilitate* quantumvis magnam superbiæ phrænesim ambitu affectis compescit, generosa *Patientia* præcipitem iracundiæ bilem præpedit, Christiana *Caritate* Invidiæ morbo medetur; & , ut uno verbo dicam, cuilibet effrenatæ animi perturbationi, seu passioni, bellis formidabilibus adversus Reipublicæ rectores passim insolescenti, aufert arma. Hæc tam subditorum facultates, quam personas ipsas, quinimò cogitationes, & conscientias, ut suis Dominis etiam discolis, (ubi tamen neque jura divina, neque naturalia contrarium prohibuerint) in omnibus obediant, obligat, & impellit. Hæc postremò quotquot suis vinculis suaviter abstringit, ita studet iteratis nodis illos in sua fide firmare, ut, ne in ipsa culpabiles reperiantur, parati sint omnia discrimina, seu mala penæ potius subire, quam privato bono bonum publicum anteferre.

Exempla antiquissima.

Ex lib. Exod.

Ex Livio, & alijs.

Lib. 10. rerum Emm.

Vide Alex. Taxonum.

Quonammodo ob levissimas causas nationes innumeræ, Christianæ mansuetudini nondum assuetæ servitutis jugum è cervicibus, bestiarum more contumeliosè projecerint, verosque Dominos, rebelles effectæ contempserint, ac aliquando nō secus ac reos criminosissimos atrocibus supplicijs eos tradiderint, passim in historijs legimus. Hæbreorum colluvies, statim ac in deserto aqua, carnesque suis Israeliticis defecerunt, in Deum ipsum, ne dum in Moysem, impudentissimè caput extulit. Propter unius Lucretiæ violatam pudicitiam, regnum & vitam ipsam Tarquinijs Romæ abstulit. Auctore Orosio, Alphonsus Albuquerque Regis Portugalliæ Emmanuelis Dux, capta Ormuz insula, quindecim (alij duodecim) Reges invenit, jam unum post alium barbarus ille Ormuzensis populus, novitatis ac mutationis amator, ignito ferro, eorum oculis valde approximato, excæcaverat, in vinculis conjecerat, ac gradus omnes, seu dignitates eis abstulerat. Non sic Catholici, contra quos licet furerent Romani Cæsares, eosque magnis ac diris gravaminibus Cosroæ, Sopores, Isdegerdi, Persæ, Ariani, Alarici, Generici, Hunerici, Theodorici, alijque vexarent, minando tortiones, supplicia, nunquam tamen à Dominis suis, ut ne amplius illorum potestatem agnoscerent, quamvis facultates, libertatem, ac vitam ipsis injustè auferrent, se eximere tentaverunt. Peiori modo tractari nequaquam poterant, quam à Neronibus, Domitianis, Trajanis, Commodis, Diocletianis, Maximinis, Maximianis, Licinis, Maxentijs. Hi enim publicis libellis eos infames declaraverunt, & secundum esse politicum, & civile ad nihilum quodammodo redegerunt, adeò ut neque pro se, neque pro alijs testari potuerint, neque hæredes instituti, aut milites fieri. Eorum Virgines ad prostribula, ehu nefarium scelus! ut violarentur, coactè traxere, eorumq; pueros subter saxa, ut immaniter premerentur, perduxere. Quid plura? Eos Leonibus, Serpentibus, Piscibus, Volucribus, Canibus, Ignibus, Precipitijs, Æneis ferventibus, Gladijs tam rotarum, quam carnificum, Securibus, Torcularibus, Lanienis veluti bruta animalia

Mirabilis Catholicorum mãsuetudo sub Tyrannorum regimine.

Lex Tyrannorum valdè impia adversus Christianos.

malia

malia trucidandos (nullo præhabito examine, imò absque eo quod prius scire saltem voluissent, qui, quos ita crudeliter tractabant, fuerint, quæ eorum vita, quæ crimina) tradiderunt. Obsecro tamen, ut mihi ostendatur, quis unquam eorum, ut suæ provideret, adversu s unius solius indignissimi Principis salutem aliquid moliri excogitaverit, vel ausus fuerit, in odium tot tantorumque purpuratorum carnificum (ut ita eos vocem) componere Satyras, conjurationes struere, aut unum pugionem è vagina educere? Quales scripturas, sive libellos, pro juridica eorum innocentiæ, adeò immaniter tractatæ, defensione, ac veritatis justificatione Antonino, Adriano, ac Severo Catholici præsentavere, legat unusquisque, si placet, apud Justinum, Athenagoram, Tertullianum, & alios. Nam sic reperiet, nec sine magna animi sui admiratione, quanta cum submissione ac humilitate Dominos suos rogavissent, quanto cum honore de illis loquuti essent, & quibus reverentiæ modis, ut ab eis errorem dolumque auferrent, intendissent. Invenietque simul sincerissimas cordialesque eorum sponsiones, quibus sub Christiana fide rogandi Deum quotidie pro Imperatoris salute juraverant, cumque in terris tanquam cœlestis Regis locumtenentem cognoscendi; Ac propterea nulli in rebus militaribus sive in alijs cedere, ut Cæsari aut ad bella veluti fidelissimi milites, aut in ejus aula bonorum subditorum instar, ablato quocunque propriæ utilitatis ambitu, inservirent.

Nota.

Justinus. Athenagoras. Tertullianus.

In vivis ipsorum cordium tabulis illud Apostoli monitum, *Obedite Dominis carnalibus in simplicitate cordis vestri, sicut Christo*, aureis literis fides orthodoxa impresserat, idcirco cuilibet Proconsuli, quamvis minimo tanquam ipsi Christo parebant. Fert Eusebius, se, juvenis adhuc cum esset, observasse in quadam Civitate, ubi tunc morabatur, omnium Christianorum, ibidem commorantium, & jam ad comparendum coram Judicibus à spiculatoribus citatorum, neminem Patrem familiæ repertum esse, qui cum omnibus de domo sua læta facie haud illis se præsentasset. Currebant singuli, tam pueri quam mulieres, neque solus unus visus est, qui eò ligari sufferre posset, quò tormenta exquisitissima adversus eum carnifices jam paraverant. Præterea dum alij, Principis crudelitate sic jubente, morte turpissima alios affici cernerent, pro ipsius tamen diuturna incolumitate Deum vero corde precabantur. At quæ hujus admirandæ rei motiva? qui impulsus? num hæc, & similia stupiditas aliqua, sive ignavia in eis pepererat. Mentitur turpiter Nicolaus Machiavellus, ubi scribere non erubescit, Christum Dominum Inferni pavore viles ac penè exanimes homines reddidisse. Si hic malus Politicus paulò minus Taciti annales, pauloque amplius Evangelij sectatorum historias perlustrasset, invenisset utique fortiores ac sagaciores milites, qui cum Imperatoribus Antonino in Germania, aut Maximiano in Gallia pugnavere, Christianos professione extitisse. Acierum Duces fuerunt Eustachius, & Sebastianus Marty-

Ex D. Paul. Ep. Eus. in hist. Eccl.

Impia Macchiavelli assertio retunditur.

res, alter sub Adriano, pro quo strenuissimè dimicavit, alter sub Maximiano, à quo inter suorum exercituum majores fide præditos fidelissimus habebatur. Quotiens ventum est, ut in Cæsarianos hostes pugnaretur, tanquam Leonum Legiones, *Tebea* & *Fulminatrix*, ambæ Christianæ visæ sunt. Tot Catholici subter ensem Cæsaris; ut immisericorditer mactarentur, positi, nonne veluti Agnorum greges experiebantur? Nonne tantus ipsorũ numerus tunc extabat, ut uno mense 17. millia Romæ occidi possent, atq; 700. millia exules in Ægyptio fieri? Et nihilominus jurata ac professa Religio erga Principes etiam pessimos adeò reverentes, honestos, ac mansuetos eos reddiderat, ut observantiam cultumque ne in illos perderent, & quidquid habebant, & quidquid sperabant pro eis amittere gloriabantur. Hinc non mirum, si cordatiores Principes, postquam viderint sanctam fidem Catholicam magnum stabilimentum eorum granditati afferre posse, ad eam in subditis promovendam propagandamque tanto cum ardore se applicuissent, quemadmodum Joanni Antiocheno scripsit Theodosius, ostenditque, nonnisi bonum Religionis majorem animi sui curam esse. Quod propositum, tam pium, tam Catholicum suus magnus Avus prius generosè expresserat, nam in ultimo illo terribilium, ubi cum morte confligandũ est, *Magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis angebatur.* Hanc egregiam politicam, à paucis intellectam, cum Jovinianus cognovisset, atque peramanter amplexus esset, subsidia, ac juvamina maxima & quamplurima tribuit fidei; pro quibus stipendia lucratus est ita celerrima, ac paria, *Vt simul & Religioni robur afferret, & ab ea vicissim acciperet.*

Apud Baron.

Nazianz orat. 21.

Distillentur Politicorum cerebra, & ut dici solet, in unam quintam essentiam Bodini Morneique ingenia reducantur, quia nunquam insignius axioma Principibus suggerere possent, nisi illud, quod D. Ambrosius docuit Valentinianum his verbis. *Hac est claritas major Imperio, si fides floreat, quæ servat Imperium.* Hæc quidem apta, & egregia principia sunt, videlicet Pietas, & Religio, unde multo cum studio, ac providentia quamplurimi Magnates sua consilia, ac facinora ad optimum finem reduxerunt. Sic Carolus Magnus in Theutonia, sic in Polonia Wenceslaus, ac Recaredus in Hispania sua regimina magis secura reddidere; nimirum Religione, ac Pietate, in eorum subditis, Principum vota lubenter exequentibus, imò vestigia, & exempla sequentibus, valdè reflorescente. Hæc potentissima media omnibus armis potentiora Dux Normandiæ Guillelmus, Anglia jam subjugata, absque eo, ut sese fefellerit, existimavit. Vtinam Leo Imperator (licet aliundè Pijssimus) aliquantò melius doctrinam hanc percepisset, quia Sororium suum, propter hæresim nomine, ac re Basiliscum, in sua aula nunquam passus esset, nec multò minus ignotum Zenonem in suum generum elegisset. Pauca Religionis cura ad patentissima excidia ejus Imperium impulit; &, ut verum fatear, ad Summum illud tribunal,

Epist. 31. ad. Valentin.

Leo Imperator Pijssimus, licet in rebus Religionis aliquanto negligens, & ignoranter deceptus.

quod

quod Monarchas irremisibiliter condemnat, quonammodo ejus res acta fuerit, nescio. Scio tamen Ludovicum Pium, eo quod in Nicolaitas, Religionis quietem deturbantes, minus sevierit, haud minus quoque dierum 30. inter diras ac purgantes flammas detentum. Ast longe sapientior Franciscus I. qui subito, projectis jam per varia Parisij loca schedis, execrabilibus blasphemijs contra Eucharistiam plenis, crudeli quodam, ac spiritali malleo cor sibi percuti sensit, suorum progenitorum memor, in Concilio Meldensi ita posteros alloquentium, *Magnopere cavendum est, nè manifesta Religionis destructio Regni hujus fiat desolatio.* Quamobrem ordinata magna procerum nobiliumque processione, moxque plurimis effusis precibus, ipse Rex capite detecto, accensoque in ejus manibus candelabro, sequutus à Regina, à Filijs, à Principibus, & à tota curia, SACRAMENTUM, injurijs ab impijs affectum, severa pietate valdè incandescens comitatus est. Porrò tanquam dignus causæ Dei advocatus mox coram se pluribus Magnatibus ac omni Magistratu convocatis, singulos verbis valdè gravibus, ac magna energia confertis monuit, ut in exortorum scandalorum eradicationem una cum semetipso operam navare minimè desisterent, aut tepescerent. Addiditque postremò, quod si sciverit ejus brachium dextrum illo morbo infectum, statim ut quamprimum ab ejus latere scinderetur, præciperet. Fateor ipse inhæsitanter, non posse Principem securum vivere ac gloriosum, quotiens in eo, necnon & in subjectis, qui in ictu oculi, viso Domino, ac ejus actionibus, mutantur, *Rex enim est ingenium, & mores omnium*, fides, quæ *sine operibus mortua est*, parum vixerit, & veluti extincta jacuerit: parum coleretur Pietas, Religio vigeret, & Ecclesia ejusque Summum Sacerdotium veneraretur. Ad id suadendum, ac credendum, non longè abest attestatio Augusti Saxoniæ Ducis, oretenus facta (licet præter suum placitum, ut credo) in Comitijs Imperialibus Ratisbonæ Electori Bojariæ Alberto. Huic enim protestatus est, & non absque magno animi sui captu, impulsuque, brachium alterum sibi constare plurimum cupere, ut sancta exercitia, à Lutheranis prorsus corrupta, imò funditus eruta adhuc permanerent. *Video*, ajebat, *nobilium filios, propter Religionum proscriptionem, quibus juvencularum pauperiei, honoratisq; juvenibus subvenitur, nescire amplius quò pergerent, ut otia, ebrietates, aliaque vitia permulta aufugerent. Video patrimoniroum divisione haud paucas meliorum stirpium familias plurimum vilescere; ac Pietatis facinoribus, uti sunt eleemosinæ, aliaque charitatis munia, ab ordinata religiosorum Oeconomia mendicis, peregrinis, advenis, indigentibus ministrata, tanta ac tam longa oblivione deficientibus, me ipsum quodamodo desperatum experior, ut super his opportunum remedium adinvenirem: nam quonammodo, & quibus mediis perpessa damna auferre possim, vel saltem qualia remedia illis afferre, penitus ignoro.* Non defuere qui eum consolarentur, tot Ecclesiarum redditus illi commemorantes, tot Monasteriorum, Abbatiarum, Episcopatuum, & similium ingen-

Ludovicus Pius diebus 30. in flammis Purgatorij quare detentus.

Rarum Francisci I. adversus Eucharistiam exemplum.

Bot. in dictis memorab.

Concil. Meld. cap. 9.

Nota.

Pindarus.

Magna Veritatis vis etiam in ore hostium suorum.

Bot. ib. pag. 140.

res manubiæ, quæ sibi appropriaverat, suumque patrimonium, suasque fortunas cumulatissimè auxerant; sed semper quidem frustra. Quandoquidem sagax Princeps suis manibus attigerat, non secus ac aliarum Avium pennas ab Aquilæ plumis, quibus commiscentur, in cinerem redactas, Religionis bona, profanis conjuncta, tineis consumi. Sic Henricus VIII. qui miliones plusquam 12. Ecclesiæ abstulerat, neque tamen bellum aliquod formidolosum, sive grave infortunium, quod ipsum depauperare probabiliter posset, ei imminebat, ad extremas miserias ferè insensibiliter ita pervenit, ut coactus fuerit, se decoctorem declarare, terque pariter sibi suisque adulterinis pecunijs providere.

Aquilæ plumæ plumas aliarum avium consumunt.

Hæc & omnia alia, quæ in hac materia afferri possent, ratio ipsa confirmat. Sciant ergo Prinicpes, honoris studium, erga Deum (sicut par est, ac bonus ordo necessariò expostulat) magis in eis vigere debere, quam erga semetipsos. Ad hunc autem honorem promovendum, propagandumque, illam moralem Virtutem, omnibus alijs præcellentiorem Deus maximè elegit, quam nos Religionem communiter vocitamus. Pro hac Virtute Dei Zelus semper excanduit, donec ijdem illustres Gentiles in summam venerationem solam ejus umbram haberent, licet vanis superstitionibus obvolutam. Idcirco hac spreta, convicia quoque, in falsorum Numinum cultum allata, tanquam sibi effecta, vindictæ gladio severè percutit. Ad quod demonstrandum non desunt historiæ. Ausus est Cambyses Apim Ægyptiorum Deum ense percutere, plagisque afficere; at pro isthoc scelere ex sese in semetipsum irruens, semetipsum quoque ense eodem crudeliter interemit. Item illius exercitus postquam Jovis Ammonis delubrum expoliaverit, vivus sub arena sepultus est. Ex quo Mineruæ Templum Alliates Rex Lydiæ igne devastavit, morbo horribilissimo usque eo percussus fuit, ut ferè ab omnibus tanquam putre, ac fetens cadaver in magnum odium haberetur. Idem quoque templum expoliaverat Pyrrhus, ac propterea non mirum, si suas easdem manus in eodem furto arefieri, ac perire mox conspexerit. Misertima illa Epirotarum afflictio, ac deinde extrema eorum destructio, ac desolatio, quam eis fames intulit, non aliundè profectò ortum habuit, nisi à Laodamiæ interitu, quæ in Dianæ templo ipsi sacrilegè occiderant. Terræ hiatus, motusue Brennum undique persequentes, tandem fulminis ictu perijt; & meritò quidem, cum Deos antea enormiter ipse contempserit, bona ejus subripiens, ac simul eos his verbis subsannans, *Ratio expostulat, ut vos, ò Numina, tot tantisque divitijs locupletata, me pauperculum adjuvetis.* Et ut alios eventus quamplurimos reticeam, ferunt, milites Romanos post victam, ac subjugatam Carthaginem vestem auream Apollini auferre tentantes, statim absque manibus inventos esse. Falsa, ac Stigia hæc fuisse Numina quemadmodũ & vera quoq; convicia, quæ summo Deo, cujus nomini omne genu flectitur, Cœlestiũ, terrestriũ, & infernorum, in illorum contemptũ infere-

Probatio VI. Desumpta à ratione.

Ipsam Religionis umbram magni facit Deus.

Exempla profana.

De Cambyse.

De ejus Exercitu.

De Alliate.

De Pyrrho.

De Epirotis.

De Brenno.

De Militibus Romanis.

Quare Deus permiserit, convicia a Gentibus

inferebantur, nullo modo à Catholicis negari potest. Etenim mortales proculdubiò insolescerent, ac in Atheismi baratrũ spontè se præcipites darent, quoties nihil aliud super his cognoscentes, vel eorum contumeliã, perversa voluntate patratam, sine justa pæna, vel eorum honorem, multa cum reverentia exhibitum, sine digno præmio experti fuissent. Nam hoc modo crederent, dicerentque, Deum non esse, nihilque supra hominum genus dari majus, quod tanquam conditor præsideret, nunc ut vindex delicta puniendo, nunc verò ut beneficus bona opera premiando. Quod advertens Valerius, ajebat. *Humana consilia castigantur, ubi se cœlestibus praferunt.* Neque tamen ex longo experimento minus probatum est, quemlibet eorumdem Gentilium, sine lumine veræ fidei tam sensim Dei umbram persequentium, ab ejus optima correspondentia se magnificè illustratum inveniri. Vindicta adversus Phocenses, Apollinis Delphi contemptores, quam sumpserat Philippus Macedo, nonne felicitatibus tanti Principis initia præstitit? Nonne Romani exactæ observantiæ cujuslibet Religionis, etiam minimæ bonos exitus attribuêre? Emulus Pausaniæ Latinus Numa, quemadmodum ille, militantibus jam suis copijs adversus Persas, ab altari, super quo libamina offerebat, neque modicum se movit, quin inceptam hostiam perficeret, ita & hic, ubi ei nunciatum est, quod grassantes hostes arua, ac campestria depopulabantur, immutato vultu, ac serena facie respondit, *Pradentur illi, ego verò sacrifico.* Veluti infallibilis consequentia est, non posse Regnum, salva Religione, periculis subjacere. Igitur si Ethnicis, falsò Deum colentibus hæc & similia propitio Cœlo advenerunt, quid ergo boni veris suis cultoribus Divinum Numen non præstabit? Si, inquam, his signis, seu declarationibus talia studia pro falsa Religione Deus contulit, quanto majora pro vera conferet? Quam primùm enim boni Principes extraordinaria ac peregrina obsequia Religioni præstitere, Deus illicò beneficia eis longè præstantiora largitus est. Magnus Theodosius dum multo magis se Christianum esse, quam Imperatorem jactaret, ventis ipsis ac tempestatibus, sive minaciter exorientibus, sive gratiosè quiescentibus, pro ut res utrinque illi arridebat, Deum sibi favere gloriabatur. Eodem tempore, quo suis cum sacellanis canebat in choro Robertus Rex Galliæ, nova Hierico, nempè Civitas, quam obsidione vallabat, Deo id ordinante, cecidit. Pœnitentiæ famulatu ante D. Thomæ Canturariensis tumulum Henrici II. Regis Angliæ, Pietati se reconciliantis, exercitum contra Regem Scotiæ, quem etiam ad ejus pedes victum perduxit, victorem Deus reddidit.

Diis facta severè puniri, quemadmodum honorem eisdem exhibitum præmiari?

Valer. Maxim. lib. 1. cap. 6.

Vnde initia totius fælicitatis in Philippo Macedone.

Numa Emulus Pausaniæ in rebus Religionis.

Apud Plutar.

Obsequia bona Principum Deus beneficijs compensat.

His & quamplurimis alijs exemplis suis etiam notis prognosticis è converso Impietas correspondet, quæ nonnisi malos eventus Principibus auspicatur. Monumenta historica passim docent, nunquam circa Religionem quempiam impegisse, quin miserrimè suæ fortunæ consistentiam confregisset. Aureliani brachium illud, quo in odium Religionis edictum

ſubſcribebat, citò areſecit. Propter rem ſimilem Galerius meridiano tempore Cœlum totum nocte reſperſum circumſpexit. Regem Cambriæ Pelagium, D. Germanum, ne in ſuo Regno Catholicam Pietatem verbo Dei propagaret, temerè impedientem, in aula propria una cum filijs & uxore ſciſſa terra, ac inſtar baratri obrupta, miſerè deglutivit. Perluſtratis compendiatim fidei annalibus quidquid mali Pietas, ſeu Religio paſſa eſt ſub Antonino Pio anno 154. ſub Lucio Vero 170. ſub Commodo 189. ſub Gallo, & Voluſiano 255. ſub Gallieno 263. ſub Probo 282. ſub Maximino Galerio 312. ſub Juliano 362. ſub Theodoſio 439. ſub Anaſtaſio 503. ſub Juſtiniano 529. ſub Heraclio 631. ac demum ſub Conſtante anno 651, ea tempora ſatis produnt. Si quidem diſcrimina innunera, & omnia terribilia nunc ab Ethnicis, nunc verò ab Hæreticis uſque ad eſtrema pericula ſeſe perdendi magnaniter ſuſtinuit. Hinc non mirũ ſi tunc etiam igneá maledictionũ pluviam tam ſupra Populos, quá ſupra Principes apertæ Cœli cataractæ imiſerint, flumina inundaverint, barbari, infirmitates, mortes; atque eodẽ die, in quo adverſus Religionẽ aliquod crimen cõmiſsũ eſt, contra criminatores inflicta ſit pœna. Statim ac quandá Synodũ in damnum, ac detrimentum fidei, Antiochiæ indixere Ariani, horribilis vehemeſque terræmotus incepit, ac toto anni curriculo perduravit. In eo, D. Ephremo teſte, montes Armeniæ inter ſeſe viciſſim collidentes, hinc atque illinc terrificos ignes, ex magno, ac frequenti ictorum terribilium impetu excuſſos, ſimul emiſerunt. Illo eodem die, quo ſtatuas imagineſque Sanctorum, quæ ſunt Pietatis trophæa, Conſtantinopoli cremaverunt nefariſſimi Iconoclaſtæ, tam fera debacchanſque Lues Civibus omnibus inhæſit, ut infra paucos menſes pluſquam trecenta Perſonarum millia obierint. Fallar, ſi Princeps unus inveniretur, qui votis ſuis ardentiſſimis, ac conſilijs valdè auctis, Numen ſibi adverſari, factus ipſe palàm Religioni adverſarius, experimento non comprobaſſet. A Julio Cæſare uſque ad Magnum Conſtantinum 62. Imperatores (ſi eos tantum numeres, quos legitimè Senatus agnovit) Romæ gubernacula tenuere: & 100. ſolum ex illis, qui ſe ſe violenter intruſerunt. Omnes tamen in pœnam aſſiduarum contra Eccleſiam perſecutionum, parum felices vixerunt, & mortui ſunt: Octo, vel decem in lecto proprio, cæteri aut veneno extincti, aut laqueo necati, aut precipitati, aut jugulati.

Ex Morclero de Monarchia fol 12. & 13.

Tempora, in quibus Pietas, & Religio extremis periculis ſeſe perdendi ſubjecere.

D. Ephremus de montibus Armeniæ inter ſeſe collidentium.

Notanda calculatio.

Quantum ad Apoſtatas Magnates nil aliud compendioſa ſcripturæ afferre inpræſentibus neceſsè eſt, quam quod Thomas Bozius profert. Hic auctor ex 92. (licet aliundè calliditate, ac robore clariſſimis) neque ſolus unus annis 40. regnare potuit, neque ſolus unus uſque ad quartum generationis gradum ſucceſſionem habere: Imò neque ab aliquo interitu, opprobrijs pleno, à ſuis ſanguine conjunctiſſimis, ne dum à rebellibus, ſeu rivalibus ſibi inflicto, liber evadere. Sic legimus Cœli fulminibus Iulianum, & Anaſtaſium conſumptos, à Gothis Valentem flammis necatum,

De Magnatibus Apoſtatis ex Thoma Bozio.

Zenonem

Zenonem adhuc viventem sepultum, Basiliscum fame extinctum, interno igne Leonem Isauricum, & Constantinum Copronicum miserrimos Martyres effectos. Et ut cæteros sileam, qui omnes probavere illud Petri Damiani ad Henricum, quod superius attulimus, *Cum Rex divinis insultat Imperiis, ipse quoque contemnitur à subditis*, legimus insuper horrida opprobria Michaelis, cui manus recisæ fuerunt, quemadmodum & alteri Constantino aures, uti quoque Heracleoni, & Leontio aures & nasus. Divinam porrò severitatem nonnulli alij experti sunt, non utique eo quod cōstantissimos observatores veræ, ac Catholicæ Religionis minimè se ostendissent, sed quia nunc Dei auctoritatem, ipsis collatam, ita religiosè, ut decebat, ausi sint nequaquam in ea cognoscere, nunc passim in res ab ejusdem juridica Religionis, sive Ecclesiæ possessione consecratas, profanas manus ponere, non erubuerint. Ad id suadendum duo tantum exhibentur Imperatores celeberrimi, scilicet Fridericus I. & Henricus IV. hi enim suorummet filiorum opera ab Imperio, & à Mundo ablati, sufficere possunt, ut omnium Christianorum Principum cordibus illud Augustini tenaci reminiscentia imprimatur, *Pertinet hoc ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt.* Monitum verè egregium, ac Grandium prosperitati pernecessarium: quod advertens Constantinus, electus à Donatistis in causis Religionis arbiter, in his quæ ad forum Dei pertinent se ingerere, indignum prorsus existimavit. Ipsemet Imperator Aurelianus Ethnicus in quadam controversia circa Episcopatum Samosatenum Patriarchæ Romani decisioni standum rescripsit. Præterea Rex Theodoricus Arianus accusationes adversus Papam Symmacum datas Episcopis unâ cum illo memorando responso, *Nihil ad se de Ecclesiasticis negotiis præter reverentiam pertinere*, quamcitius remisit.

Vbi supra loco citato.

S. August tract. 2. in ioann.

Memorandum Regis Theodorici Ariani responsum.


Deberem quidem (nisi pro totius operis complemento duo postrema Gentilitia, quorum unum *Heroicarum Virtutum nitorem*, alterum verò *Catholicæ Religionis Constantiam* singillatim, ac satis copiosè amplectitur, forent componenda, ac typis danda) brevi sermone Austriæ Domus Catholica facinora in obsequium Religionis præstita, ac Vrbi, & Orbi non ignota in hunc locum afferre. Vt exindè meum argumentum varijs modis firmum, quotiens impudenter negaretur, verum esse, neque amplius in posterum denegandum, omnibus pateret. Experimur, quemadmodum & reliqui quibus recta ratio inest, Austriacæ sobolis sanguinem intra suorum venas ebullientem nil aliud in dies in S. R. E. Horto producere, quam purpurata filialis reverentiæ germina ad omne id quod Pietatis jura, ac Religionis debita concernunt. Spiritus, undè Austria Catholica vivit, vita qua Austrij Principes in tam ampla fortuna operantur, Pietas est, est & Religio. *De quâ re nos convenit cum Symmaco gloriari, quia Cælestem Regem videmus fœderatos Reges habere terrarum*, qui ab incunabulis iuravere

Symma. ad Ioannem Anthio.

vere tam utilitates quam damna Religionis cum Ecclesia Orthodoxa sibi esse communia. Quia verò inter cætera Austriorum Magnatum præcipua bona sunt tot tantaque egregia Connubia, unde quidquid in toto Orbe supra omnes totius orbis Monarchas adhud possident, felici progressu derivavit, idcirco ad alteram Sectionem transeundum.

SECTIO II.

INGENUITAS, ac FELICITAS CONJVGIOrum quibus in rebus præcipuè, ac politicè consistant.



Opulam illam carnalem, ac legitimam inter marem & fœminam, qua humanum genus propagatur, quadrifariè secundum varia synonima nuncupant scriptores, dicuntque, Matrimonium, Nuptias, Connubium, Conjugium; pro quorum enucleationibus, paucis verbis datis, Sanchez, atque Auctores, quos ipse citat, consulendi. Matrimonium in se generale, ac radicale Naturæ bonum est, licet neque uxorem ducere, neque mulieri copulari viro, naturale sit, veluti igni moveri sursum; alias contra naturam esset, & illicitum vovere Virginitatem, nec libero contrahentium arbitrio conjugia celebrarentur. Est ergo Matrimonium naturale secundum illam inclinationem, à natura rebus omnibus insitã, qua ad proprij generis dilatationem, multiplicationẽ ac durationẽ, quælibet creatura, fœcunditatis capax ordinatur. Duo sanè intendit natura cujuslibet, nempè seipsũ cõservare, & perficere; & quia hoc perpetuò fieri nequit, intendit secundò saltem per individuorum multiplicationem conservari. Hæc duplex naturæ intentio ex duplici appetitu oritur, quorum alter est ad cibum, ut vita conservetur, alter vèrò ad generationem, ut natura multiplicetur. Quæ quidem facilius nequaquã fierent, nisi adderet natura delectationem, condimentum operationum jure merito à Philosopho nuncupatam. Natura perfecta non tantum intendit generationem, verum etiam & prolem ipsam, & ejus perfectionem, & perfectum hominis statum. Habent filij à parentibus esse, nutrimentum, & instructionem, ad quod necessarium erat matrimonium, ut parentes illa conferant puero. Hac igitur de re matrimonium, ad hunc naturæ finem ordinatum, dicitur homini naturale. Vnde sequitur, matrimonium debere esse indissolubile; si enim libera esset conjunctio, & vagus concubitus, proles esset incerta, & ex incertitudine prolis amor & educationis cura tepesceret. Hinc fornicatio, quæ est vagus concubitus; est contra naturæ jus, & peccatum lethale,

Sanch de Matrim. in proœm. lib. 1.

Matrimonium est Naturæ bonum, sed non naturale, quod opponatur voluntario.

S. Thom. in 4. dist 26. quæst. 1. art. & omnes comm. Doctrina vere Angelica.

Quare copulæ carnali, cui addicta est maxima turpitudo, magna delectatio adjuncta sit. Eth. 10. cap. 4. Eth. 18. cap. 12.

Matrimonium debet esse indissolubile. D. Thom. 3. cõc. Gent, cap 12.

lethale, cum debitæ generis humani propagationi adversetur. Qua de re merito Philosophus carpit Platonem, & Socratem, turpiter asserentes, Vxores ad majorem hominum unionem debere esse communes. Ante Adami Lapsum institutum fuit matrimonium in naturæ officium; eo autem sequuto in concupiscentiæ remedium. Tandem in nova Lege eleuatum fuit à Christo, ut esset Sacramentum, & ut septimum Sacramentorum numerum compleret. Itaque Matrimonium genus humanum universaliter circumspiciens, bonum generale est tam naturæ, quam Gratiæ. Quando verò hanc vel illam familiam tantum respicit, est etiam bonum utriusque, sed præcipuum; estque nunc bonæ, nunc malæ fortunæ indicium secundum circumstantiarum, aut deficientium, aut concurrentium diversitatem.

Platonis & Socratis error à Philosopho cõfutatus.

De Matrimonij institutione ante & post lapsum primi Hominis.

Ligaminis autem connubialis ingenuitas, seu nobilitas ex parte utriusque conjugis tribus modis, ex quibus deinceps trifariè etiam exurgit felicitas, attendenda. Primò illam vocamus in hoc loco nobilitatem, quà animus, cujus nobilissimus Auctor, qui totius nobilitatis fons & origo nuncupatur, Deus est, exornatur; fitque usque eo clarus, ut illustriora Orbium cœlestium sidera, quin & ipsum regem lucis, ac Planetarum Principem radijs spiritalibus antecellat. Genus hoc Nobilitatis oritur à Virtute, ideo generi illi temporali, quod fusè in priori Gentilitio descripsimus, longè amplius præfertur. Quotquot Fide, Pietate, ac Religione Christiana animi ingenuitatem profitentur, licet ex plebeiorum fece aliundè exorti, in Regis Regum aula ad tres gradus nobilitatis ut plurimum in hac vita elevantur. Hos seorsim enumerant tres Gregorij, nempè Nazianzenus, Nissenus, & Romanus. Nam prior gradus ex Nazianzeno in Dei imitatione, posterior ex Nisseno in forti ejus conjunctione, tertius ex Romano in suprema ac cœlesti conversatione consistit. Paucis verbis hanc tam egregiam nobilitatem, quæ ratione incurruptibilis, ac immortalis substantiæ, cui inhæret, & etiam suæ ipsius essentiæ, pulcherrimo modo illi inhærentis, nobilissimam Dei naturam & figuram præsefert, Theopompus amplexus est illis verbis. *Nobiles illustres existimato non qui ex bonis, & probris procreati sunt, sed qui bonitatem, & probitatem profitentur.* Quare mei animi impos utique ipse viderer, si hunc animi splendorem, sacris literis, sanctis Patribus, ac ipsi rationi contradictoriè opponens, claritati politicæ, unde est temporalis nobilitas, anteponerem. Nam majoris facerem id, quod veluti animæ substantia dici potest, & minoris quod corporis adventitium, seu accidens vix denominandum foret. Ac quemlibet ordinem & omnem regulam simul confunderem, cum in majori pretio haudquaquam invariabilis Virtutis, sed variabilissimæ fortunæ partes haberem; existimarem profectò, non quam Juppiter dilexit, ut Cœlo astra geminaret, sed quam Parides subripuit, ut geminum telluris regnum in desolationem poneret. Demumque non electionem, sed naturam, non proprium meritum, sed alienum, non Paradisum, sed sæcu-

I. Nobilitas Coniugatorum.

Spiritalis Nobilitas unde, & quotuplex. Excur. 2.

In Laud. Greg. Orat. de Thaum. In expos. lib. 1. Reg.

Apud Maxim. Ser. 139.

Ex Presidio Romano.

lum, non quod sæpenumero animum, & corpus salvat; sed quod passim utrumque condemnat, injustè amplecterer. Hæc animarum hæroica nobilitas magnum spectabilissimi honoris specimem maribus omnibus, Conjugatis verò sincerioris dilectionis & reverentiæ ergà seipsos vicissim præstat. In Mulieribus autem illam toti Mundo admirationem parturit, quam divinæ literæ, ac plura monumenta, tam sacra quam profana, ab auctoribus enarrata, sexus adeo infirmus virorum gloriam alioqui subripit. Ab initio creaturæ Mulier, quæ adjutorium homini, & ei simile à Deo constitui debebat, modo quodam penè excellentiori ab omnium Opifice producta reperitur. Viri enim ex limo terræ & in campo Damasceno, mulieris verò è costa viri, & in Horto Eden, seu terrestri Paradiso productio contigit. Hinc fortè sicut mulieres naturaliter magis affectant ornari extrinsecè, ita plus appetunt gloriam, plusque laudari cupiunt. Quamobrem non mirum si identidem hæc in eis vehemens cupido tam animi quam corporis dotibus Hæroas nominatissimos supergrediatur. In Catalogo Mulierum illustrium quamplurimæ sunt, quæ à Cassaneo enumerantur usque ad sua tempora. Hunc Catalogum, additis quoque ijs, quæ ab alijs scriptoribus neotericis recensentur, cum opusculo meo Italico Reginæ Christinæ exhibui, cujus principem locum Cantio, Pindaricè composita, ac intitulata, La Saggia Pellegrina, obtinebat. Sub numero IV. ipsius cantionis lamentabundus Septentrio, nescio quo vaticinio Regis Succiæ excidium ex tyrannica invasione Regi Polonici, quod certius literis fieri quamcitius speramus, hæc Etruscis carminibus protulit.

Gen. cap. 2. *Faciamus adjutorium simile sibi.*

Bern. de Bust. 2. p. Rosar. Ser. 28. parag 2. lit. E.

Cass. p. 2. lat. Gloriæ Mundi cons. 8. 9. & 10.

In Canz. Ital. auctoris Strophe IV. de Sueciæ Regis excidio.

Senza l'alta Colonna
Scandia *appar vacillante*;
Parte l'inclita Donna,
E perde il Ciel Sueco il meglio Atlante.
Membra del Genitor l' infausta meta
Nel Rè, ch' à i primi affari
Tinto di foco al pari
Di sanguigna Cometa,
Sotto il Baltico polo
Con tempeste d'armati abbette il suolo.
Duolsi alla guerra interna,
Smarrita omai la pace,
Che con la forza esterna
S'altri và spopolando, egli si sface.
Con suoi sguardi insatolli

Nota pulchrâ, & quodammodo cœlestem vaticinationem.

Mira

Mira al scettro Polono,
Ma teme che'l suo Trono,
Lungi dal suo Palladio *al fin non crolli.*
Sà, che ferro di stigge
Sui scera i suoi, se gli stranieri affligge.

Impatiens sors fatumque (non advertens, quod nullum violentum durabile) Gustavi Adolphi vix dexterâ Christinæ Suecięe Diadema capiti imposuerat, quod etiam simul & illud quoque Poloniæ per fas, ac per violentiam imponere tentavit. Ceruix, harum duarum coronarum incapax impegit furenter tanto majori impetu (licet contra suorum confederatorum, in interitum Austriæ sine freno justitiæ & prudentiæ anhelantium intentionem) ubi exestuans ambitus ingenti armorum colluve eam direxerat, ut postremo brevi frangeret, quanto celerrima felicitate penè sine labore, sine bello se se erexerat, ut Polonis omnibus dominaretur. Discant Suecici Reges duorum Gustavorum Adolphorum exemplis (nimirum Patrui, Parentis Christinæ, & Nepotis ex sorore ac ejusdem Patruelis) ac cum illis sibi fœdere adjuncti, nec amplius intolerabili impudentia Cęlestem vindictam adeò obcæcanter in semetipsos provocent, aut Imperium Germanũ, Pietate, ac Religione Austriæ, & cum ea Ecclesiæ Romanæ fide eliminata, subripiendo tyrannide, aut Catholicũ Poloniæ Regnũ totius orbis orthodoxi propugnaculũ indigno occupando, & aucupando prætextu, ac colore.

Casus infelicissimi Regis Sueciæ à Polonico, quem invaserat, expugnati, obiter hic ponitur.

Quæ vero, non amplius ut Vates, sed ut simplex historicus Christinæ Virgini ex eodem Cassaneo & ex alijs præsentavi pro sententia affirmativa 2. Partis illius Problematis, & pro illustribus mulieribus, inter quas ipsam Christinam principem locum merere ostendi, in plures classes ad omnem auferendam confusionem reduxi. Sicque post compediosam enumerationem Mulierum, quæ Magnanimitate, Fortitudine, ac Prudentia supra nominatissimos viros floruere, mox sapientes fæminas, tam antiquas, quam modernas quadrifariè distinxi, & in primo loco de Grammatica, in 2. de Rettorica, in 3. de Poesi, in 4. de eruditione aliarum artium, sive disciplinarum, & scientiarum, quibus plures Mulieres adhuc insignium hominum ingenia terrent, eorumque admirationem rapiunt, brevi oratione egi. Sciendum tamen ex eodem Auctore, ingenuitatem ac nobilitatem Virtutis in Vxoribus ex rebus alijs oriri præter commemorata ornamenta nobilissima, quibus plurimũ Conjugia decorantur, illustranturque. Suntq; in eis Castitas (quemadmodum & in Maritis fidelitas) Clementia, & Liberalitas, Timor Dei, & Viri sui etiam, Devotio, Pietas, Gratiositas, Misericordia, Diligentia, Sagacitas, Charitas, Fœcunditas, & Pulchritudo (de his inferius) Ortus, nempè si ex bonis parentibus fuerint progenitæ, ma-

Cass. loco citato. de animi dotibus, quibus Vxores nobilitantur.

ximè ex probis honestisque genitricibus, seu bonis moribus imbutis. Continentia, qua magis Domi manere student. Verecundia, Constantia, Patientia, Honor erga Viros, Æconomia, Testimonium juridicum. Appellatio, qua Dominæ à consortibus vocandæ sunt, Taciturnitas, Silentium, & Breviloquium; Lanificij Exercitium, Amor, & Amicitia, Fides, subjectio, & sollicitudo erga maritos, Dignitas virorum, unde laudem nanciscuntur. Et aliæ permultæ animi dotes, quæ possunt videri cum suis scripturarum, historiarum, & exemplorum testimonijs apud eundem Cassaneum. Ex hac prima ac mentali Nobilitate, quæ mutua cæteris paribus inter conjuges debet esse, noscitur felix ille ingenuis moribus confertus *Horoscopus*, quem Astronomi etiam morales non secus ac naturales nuncupant; quemque infallibile propritiæ fortunæ prognosticum in incorruptibilibus animarum orbibus, in quibus nec astra mystica desunt, neque influentiæ, imò nec unus integer Zodiacus, nos constituimus, cujus principale ac pulchrius signum Apostolus indigitat illis verbis, *si dormierit vir ejus cui vult nubat tantum in Domino.* Vnum petit in nuptijs maximè observandum, ut nimirum sint in Domino. Vnde ille, *Quid est autem in Domino nubere? non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi; sed judicio, & commodioris vitæ ratione nuptias eligere. Ita fiunt honorabiles Nuptiæ, quando rationem conjugij non præit obscena voluptas, sed jacto fundamento, matrimonium necessariò sequi voluptas ipsa concubitus, unamque carnem duos facere deprehenditur. Sin autem ita res se habet, conjugium illi peccatum reputabitur, quia pessimum fundamentum voluptatem jecit.* Si obscura voluptas, si lascivus appetitus tota causa est, & nuptiarũ basis, ex pulvereo, ex limoso, & lutulento fundamento quid citius orietur, quam ruina, quam scissiones? Raró videbis suppositam lasciviam pro fundando conjugio, in quo videas deindè & quam primum schismata, & divortia, & mille peccatorũ occasiones pullulare. Sit ergo conjugatorũ basis firmissima casti affactus conspicua ingenuitas, is valet ex Deo & nuptias æternare, & æternum honorabiles facere.

Mysticus Horoscopus nobilitatis, ac felicitatis coniugatorum.

1. Corinth. c. 7.

S. Basil. Mag. de vera Virginitate,

Altera Connubiorum nobilitas illa est, quæ dotes corporis, ac materiales corruptibilesque prærogativas amplectitur. Hanc secundum Platonicos trifariè distinquimus, si de perfecta ac peregrina loquamur. Vocamusque aut *Positivam*, aut *Motivam*, aut *Negativam*. Posita priore, *Pulchrum* dicimus cum D. Thoma, *propter decentem proportionem membrorum in quantitate & situ, & propter clarum, & nitidum colorem.* Vnde Cicero, *Est autem Pulchritudo corporis quadam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate.* Ex qua deindè formositate oritur & motiva speciositas, ita dicta, quia occulta quadam vi commovet animos vehementissimè, corda allicit, & maximam reverentiam, ac simul admirationem parturit. *Pulchritudo re vera*, inquit Pythagoras, *mihi videtur quid reverendum, & admiratione dignum contirere.* Et eò quidem fortius, ac suavius hos effec-

II. Coniugatorum Nobilitas est circa dotes corporis.

Ex Plat. apud P. Mirthum.

Nobilitas corporea triplex.

D. Thom. super c. 4. de Divinis Nominibus.

Tull. apud Polyan.

Pythag. apud eandem.

tus

tus gignit, quò tertium pulchritudinis negativæ gradum sibi adjungit, unde omnis defectus, ac imperfectio ab ea removetur. *Sicut enim formosa pictura est*, teste Seneca, *cujus nulla pars errat, sic & formosus homo, in quo nulla peccati macula est.* Vt autem Mulier trina hac pulchritudine exornetur, rebus triginta quatuor, quas 18. versiculis Astensis Vates explicuit, indiget; sed hic eas recensere superfluũ omninò esset, veluti etiam & illustres fæminas hac completa peregrinaque pulchritudine venustè, concinnè, & quasi ad miraculum efformatas, variéque decantatas à Poetis, nec non & ab oratoribus, & historicis ipsis laudatas. Eo vel maximè, cum sufficiat in præsentibus, si dicamus, hanc corporis claritatem, naturaliter inditam, sive nobilissimam ingenuissimamque speciem, aut formam eam esse, quæ cum bono, illi inseparabiliter inherente, quod voluptatis, ac complacentiæ objectum naturale est, comparata, plus aliquid addit, ajente B. Thoma. *Quamvis pulchrum & bonum sint idem subjectum, quia tam claritas, quam consonantia sub ratione boni continentur; tamen ratione differunt. Nam pulchrum addit supra bonum ordinem ad viam cognoscitivam, dijudicans illud esse hujusmodi.* Magna igitur ingensque felicitas proculdubio existimanda, quotiens hoc clarissimum naturæ humanæ ornamentum, decus hoc admirabile, ac venerabilis dos, quæ tot vicibus Dilecti erga dilectissimam sponsam suam, hujusque oculos corque erga perdilectum sponsum mutuo, ac iterato viscerum amore apud sacra divinaque Canticorum drammata duplici rapit violentia, inter conjuges ad invicem inveniatur. Secus verò si immodica deformitate ipsorum unus, aut alter afficeretur. Attamen legenti Jurisprudentum aphorismum illud apud Cassaneum, *Mulieri formosæ nubendum*, statim perinde, atque immediatè hæc sequentia proponuntur. Et tamen pulchritudo Mulieris allicit homines, qui ab ea non possunt separari, ut habetur 3. Esdræ cap. 4. Sed cauendum est, ne quis, si tali nubat, quandoque legat titulum Cornelianum, quoniam ut ait Albertus, Mulier speciosa, & pulchra templum est, super Coaclam ædificatum, cum lis sit cum forma, juncta pudicitię. *Corporis egregij miseros, trepidosque parentes semper habet, rara est adeo concordia formæ; Atque pudicitiæ sanctos habet horrida mores, Tradiderit Dominus.* Et formosis lenitas semper amica fuit: Et difficile est custodire quam plurimi amant, ut satis colligitur ex dictis Nevitiani Astensis ubi supra. Et quamvis clamitent sacrę paginę, *Species mulieris exhilarat faciem viri, & super omnem concupiscentiam viri superducet desiderium. Sicut sol oriens Mundo in altissimis Dei, sic & mulieris bonæ Species in ornamentum domus ejus.* Nihilominus quia *Vulpes amat fraudem, Lupus Agnum, fæmina laudem*, & hæc maximè ratione pulchritudinis, quæ *vana est, & Mulier timens Dominum ipsa laudabitur*, quo magis Mulieres de corporea formositate laudantur, eò amplius intumescunt, ac nimis altè superbiunt, adeo ut sepenumerò magna vertigine affectæ, ac citò in barathrum impudicissimæ vitæ præcipitatæ, virorum læ-

Seneca apud eandem.

Nevitianus in sua Sylua nuptiali apud Cass. loco cit. consid. 22.

Loco. cit.

Loco cit.

Ibidem.

Ecclef. cap. 36.

Idem cap. 26.

titiam in deplorabilem luctum non sine perenni sobolis ignominia convertant, pariantque sibi, eique æternam infamiæ ac dedecoris noctem.

Satisfit objectioni, in gratiam pulchritudini adductæ.

Scio scripturas sanctas, sacras profanasque historas quamplurimas formosissimas mulieres commendasse, decoras specie, ac simul pudicitiâ admirandas. At neque ignoro, nihil esse ut plurimum interiori pulchritudini insidiosius ipsa exteriore formositate, nullum obstaculum gratiæ Cœlesti illo gratiæ vultus frequentius, nullamque rem, satis superque corda depauperante, quam corporalia, ac locuplentissima naturæ ornamenta. Et quidem, si vera fateri debeamus, quam mercedem ita periculosam, nisi eam, unde incredibili forma eminebat, in Ægypto secum detulit sacra Abrahæ conjux? Quis explorator, haud centum, veluti Argus, sed plusquam mille scatens oculis, Castissimam Hæbream adeo faciliter, ac ingenti vi intrà suam sylvam prodidit, nisi ejus visa, atque admirata pulchritudo? Quæ injuria immensa amaritudine Noemæ spiritum amplius deprimebat, nisi illa, quà pulchritudinis laude commendabatur? Quoties, dicebat Plato, sub egregia forma, animatis coloribus tanquam floribus depicta, ac vernante, cupidineus insidiator absconditur, qui in ambabus scintillantium oculorum officinis suas saggittas, non minus eas vibrantibus, quam recipientibus venenatas, ac lethales, fabricat, imflammatque? Quid est pulchritudo, quæ ut malè custodiatur, tantò facilius putamus, quanto difficilius erit, humanas substantias, ac terrenas in cœlestes, sive Angelicas naturas transformari? Respondebit os aureum, nihil aliud profectò esse, nisi laqueum quendam, auro conspersum, quin & super firmissimam tellurem naufragium patentissimum, nec non & oculorum offendiculum, animarum lanienam, cordium telum, anguium cubile, spontaneum venenum, Mundi mortem, Inferni sceptrum, secretam fraudem, quæ cultricem sui pauperem efficit, eam pingentem maculat, & dum alios rapit, ipsa quoque rapitur. Vnde non immeritò cecinit etiam quidam Ethnicus asservitque, pulchritudines terrenas Infernales mansiones adimplere.

Ex Platone.

Ex D. Chris. apud Thes.

Felix Spurina, & quidem non minus propter nativam pulchritudinem, quam propter voluntariam deformitatem memorabilis. Hujus rara formositas, sicut meminit Valerius, cum aliorum animis tantas flammas excitasset, timens, ne suus quoque animi candor saltem illarum fumo tingeretur, decrevit, masculino animata consilio, illud naturæ donum, tot tantisque discriminibus subjectum, firmo pectore aborrere. Hinc proprium vultum, inaudita forma decorum, magnanimo cultro devastans, ac deformans, tam aliorum concupiscentiæ, quam sui ipsius inquietitudinis fomitem, sub illius serenitate velatum, eradicavit. O rarum Romanæ pudicitiæ exemplum! Sed à qua Theologica Schola pectus muliebre, ac ethnicum leges tam pulchras apprehendit, didicitque? Eam Poetarum dogmata instruxerunt, fabulantium, castam Dianam sese palustri lino fedasse, ne Alpheo placeret. Vel legit Socratis votum, nihil aliud Deo

Valer. Max. de Spurina Romana.

Pulchra exempla in laudem Spurinæ.

assiduis.

assiduis precibus expostulantis, quam interiori pulchritudine affici. Aut Alcibiadis Silenos, sub deformatis faciebus divina simulacra abscondentes, æmulata est, sive Elephantos imitata, qui ne à venatoribus vestigarentur, ebur formosissimum statim projiciunt. Vel demum ad navigantiũ artem confugit, atq; suæ pulchritudinis jactum, ut à naufragio innocentiã salvaret, effecit. Sed num hujusmodi pactioni, seu conventioni recurrere Christiana virtus minimè aliquando abstricta fuerit? Certè quod sic; legimus enim, leprã obtinuisse Andragasinam, ac sub turpi illa larva, omnibus molesta, suam pulchritudinem, à quodam Domino insidijs persequutam Christiano artificio condidit. Scimus etiam Brigictam cæcitatem à superis impetrâsse, atque simul ea lumina, papiliones valdè molestos provocantia, estinxisse. Luciam semetipsam excæcâsse, ut è suo tam formoso vultu illos oculos, qui eam prodebant, eliminaret. Atque Virgines Ptolemaidas facies suas cicatricâsse, simulque hoc sanctissimo adversus sese odio barbarum Saracenorum amorem extinctum prorsus reddidisse. Quò modo singulæ probantes, quam magna sit lis inter pulchritudinem & pudicitiam, judices & clientes (sive ut ajunt partes) effectæ, tanquam cordium homicidam proprium aspectum damnavere, suis in oculis aliorum plagas vendicavere, illam feriere, quæ alios feriebat, pulchritudinem, atque Martis ferro insidiosi cupidinis arma sunt digladiatæ. O sanè gloriosissima Christianæ honestatis documenta! At major profectò gloria existimanda est, quotiescunque invictæ modestiæ magnanimæque deliberationis robore inter tot adversitates, ac pericula, mentis candor absque naturalium sive supernaturalium dotum injuria illæsus servatur. Cum hujusmodi nexus tam animo, quam vultui laudis preconia, Gratia ipsa & Natura simul quodammodo in eo obstupescentibus, seorsim accrescat. Sic Cœlestis Virginis Asterismus, inter Leonem & Lybram per astra superna coruscans, Majestatem, ac Temperantiam, quæ pari stupore, ac miraculo ad integram efformandam pulchritudinem convincat, auspicatur, atque perindè ostendit, ima summis, & summa imis coæquari debere, ut conjugalia fœdera hanc admirandam copulam tutò servare possit.

Andragasina. Brigicta. Lucia. Ptolemaidæ Virgines. Nota.

Itaque sicuti conjunctio ista, seu ligamen castitatis conjugalis cum peregrina forma plurimo labore, ac solertia semper indiguit pro ejus illibata conservatione, quę in nuptijs requiritur, ita etiam experimentum valdè longum in omni ævo mortales docuit, pericla quamplurima & omnia gravissima, maxima incommoda, infelicissima discrimina, deplorabiles casus maritis, familijs, Domibus, Communitatibus, Vrbibus, Regionibus, Rebuspublicis, Regnis, Imperijs ipsis nimiam pulchritudinem ut plurimum induxisse. Quæ ergo concludit Cassaneus ex Tiraquello in fine illius Considerationis 22. mihi in hoc proposito satis arrident, cum tam ex parte pulchritudinis, quam ex parte turpitudinis extrema, quæ in rebus omnibus propemodum sunt vitiosa, è nuptijs excludat. Ait enim, laudat An-

Andreas Tiraquellus apud Cassan. ibidem.

Andreas Tiraquellus in suis legibus, ubi recitat connubia, pulchritudinem, dummodò non sit excessiva, sed mediocris, & media; & multum vituperat deformitatem. Attamen, inquit, pulchritudinem mulierum illis afferre superbiam, & præsumptionem libidinis, & appetitum inordinatum veneris: & sic magnam partem vitæ eis adimere, quod multis ostendit rationibus, &c. Igitur hanc secundam nuptiarum felicitatem, ex mediocris temperatæque formositatis nobilitate erumpentem, non autem peregrinæ, ita frequenter præfatæ nobilitati adversæ, atque ad infelicissima prognostica paratæ, ortum identidem ducere, pro comperto habemus.

III. Nobilitas Politica. Excursus 2.

Tertiò in conspicuis connubijs ea dicitur ingenuitas politicè, quæ per longum tempus Majorum, sive Progenitorum claritate fulget in posteros. Quod satis fusè probavimus in exordio I. Gentilitij. Stirpium Serenitas pluribus de causis in Magnatum Conjugijs expetenda est; At certè ibi amplius, ut felicitatis consequentias proximè gignat, ubi etiam generalibus Auorum influentijs viciniores parentum non deesse constabit, cum sane ad bonas prolium nativitates hæ maximè conferant. Mirantur ferè omnes (& multa quidem cum ratione) monstrosos partus, ac nimium sibi degeneres nobilissimos parentes plerumque in lucem prodere, quorum exempla passim apud auctores & nos loco citato cum dicterio illo *Herωum filij noxa,* retulimus. Subtilissima adhuc ingenia hujusmodi imparilitatem contuentia, indecisam relinquunt litem, & sub Judice, ut ajunt; num scilicet isthæc deformissima liberorum degeneratio, adeoque moribus genitorum adversa magis, ac magis improborum operum umbris clara eorum nomina obscurent, an potius, secundum axioma illud, *opposita juxta se posita magis elucescunt*, clarificent? Hujusmodi prodigij radix etsi ignota visa sit alijs, & incerta, Plato tamen ejus causam nuptiarum inæqualitati attribuit. Cui adstipulatur Lyricus, ubi cecinit.

Horat. apud Thes.

Fæcunda culpæ secula, nuptias
Primùm inquinavere & genus, & domos.
Hoc fonte derivata clades,
In patriam populumque fluxit.

Tunc profectò, eodem Platone teste, sæculum aureum in sæculum æreum degenerat, cum grandis animi aurum inferioris conjugij ære confunditur. Rex apum ex purissimo florum spiritu generatur. Vbi duæ palmæ è trunco eodem germinarint, propinquæque fuerint, feliciores gignuntur fructus. Quò magis Orbes cœlestes eminentiori situ elevantur, eò etiam magis substantia nobiliori potiuntur. Hinc cecinit ille, hæc eadē felicitatis initia, è nuptiarū nobilitate necessariò erumpentia, patefaciens.

Apud eund. Thes.

Quod si nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina causæ,
Quis venerabilior sanguis; quæ major origo?

SECTIO

SECTIO III.

CONCLVSIO

Pro Austriacorum Conjugiorum felicitate, ac fortuna.



HAsce tres Felicitates, tribus quoque enarratis nobilitatibus miro modo correspondentes, tres aliæ, digna spectabilitate insignitæ pulchro ordine sequuntur. Nimirum paritas Religionis inter conjuges, Dos uxorum opulenta, & fœcunditas in procreandis liberis. Præsens Excursus, quantum ad primam istarum Felicitatum sortem, circa conjugia Christianorum, atque Catholicorum Principum versatur. Quorum Horoscopus, ut bona infallibilia auspicetur, non ab astris, sed à Pietate, astrorum domina, explorandus est, ut toties probavimus. Quamobrem non est cur admiremur, si hac ex parte inter Regias Augustasque orbis terrarum Prosapias maximè & admirandum in modum Austria Domus quamplurimis anteferatur. Austria Domus, inquam, Catholica undequaque, perindè ac Pijssima, quæ per suos Comites, Duces, Archiduces, Principes, Reges, Monarchas, Cæsares jurejurando immutabili, ac irrevocabili semper spospondit, quemadmodum, ac deinceps observavit, atque adhuc observat, *Quod Fidem & sedem Apostolicam defendet, quod unquam cum Saraceno, Pagano, Schismatico, Heretico unionem quamlibet, seu confederationem, & parentelam inibit.* Idcirco nunquam passa est in causa nuptiarum, & in ordine ad utrumque sexum sub aliquo pretextu, seu colore, quin & parata magni momenti utilitate, fœdera maritalia, in re fidei partim claudicantia cum nobilissimis Europæ stirpibus cōtrahere. Facinus profectò magni momenti, si quidem in lege Naturæ loquens Genebrardus de magna primorum humani generis progenitorum fœcunditate, erant, inquit, fœcundi, quod Scriptura significat Gen. c. 5. dum eos ait genuisse filios, & filias; & traditiones Hebrææ dum narrant, eorum partus fuisse perpetuò geminos, & tergeminos ob corporis molem, & copiosos humores, sic providente Deo humani generis multiplicationi, ob quam gradus cognationis matrimonium non prohibebat, sed nec alij casus, præter disparitatem religionis, ut collogitur è Genesis cap. 6.

Pulcher nexus & quidem non aspernandus.
I. Felicitas Nuptiarum.

Loco supra citato in princip. 2. Sect.

Si autem loquamur de bonorum temporalium affluentia, vel ratione Dotis, vel jure successionis (quam sanè affluentiam ad fortunam, à Catholica Pietate, sine cujus adjutorio omnis sors bona transit celeriter in nullam, pendentem, subordinatè referimus) equidem Austriæ Domus

felicitas sobolũ Phœnix inter celebriora, ac illustriora Christiani Orbis Matrimonia extat. Nulla enim totius Mũdi familia tot tantaq; munera propter Catholicã Pietatẽ medijs conjugibus à Deo consecuta est, sicuti ipsa. Hinc merito Hortensius Pallavicinus Mediolanensis exhibens integro volumine *D.O.M. Austriacos Cæsares Maria Anna Magni Cæsaris Ferdinandi III. Filia, Maximi Regum Philippi IV. Sponsa, Potentissima Hispana Monarchia Regina in Dotale auspiciũ Infantis Monarcha totiusq; Serenissima Posteritatis*, hæc fata præcipuè in rem nostram, historicis monumentis è Religionis Catholicæ atque Christianæ Pietatis radice prodeuntibus, innixus, intexuit. Quanquam nec historicæ tantum Augustæ imagines te referunt, Oratrices prædicant, Poetriæ canunt, sed & Auspices innocentem quandam haruspicinam exercent futurorum. Quis enim dubitet de Austriaci Hymenei felicitate, qui sciat conjugem esse in Austriadum nuptijs semper felicitatem; qui videat tam egregia exemplaria delineasse Naturam; ut quos MARIA ANNA dederis Heroas absolveret? Evolue ingens Patrimonium Hauspurgicæ (melius Habsburgicæ, Hauspurg enim, quod nomen sine H. scribunt Theutones, Augusta Vindelicorum est) Familiæ, utriusque Orbis pretio amplissimum; præter Germanicum Imperium, quod calculis debetur meritorum, ferè totum dotalem hæreditatem esse comperies, ut jam in Austriadum nuptijs omnium bonorum conjugia iniri dici possit, atque in capacem totius terrarum Orbis Imperatricem, regnatricemque domum inferri. Deindè idem auctor opulentissimam bonorum hæreditatem, ingentemque Pietatis fortunæ molem super conjugalem basim erectam (Habsburgico Comitatu solùm relicto, eo quia Austrium sanguinem cum secunda opinione, apud me minus probabili, ut in I. Gentilitio adnotavi, ab illo Regum Gallorum Austriasiorum cum alijs recensioribus derivat) his verbis enumerat. Alsatiam Alberto Sapienti peperit simul cum Rudolpho, magno Imperatorum Austriadum Principe, auctoreque Imperij, Hedvviges. Austriam confinesque Principatus Habsburgicæ Familiæ tuæ Elisabethæ cum Alberto I. Cæsare Triumphatore nuptiæ conjugarunt. Nota sunt eodem gemella partu Hungariæ & Bohemiæ Regna Alberto II. Honorifico, & ex altera Elisabetha Sigismundi Cæsaris Filia, ancillantibus magnæ duorum Regnorum soboli Lusatia, Silesia, Moravia, alijsque opulentissimis Provincijs. Eadem nuptiali jure renata sunt Ferdinando I. Cæsari ex Anna Vladislai Hungariæ, & Bohemiæ Regis Filia. Burgundia septendecim Belgicis Provincijs stipata cessit Maximiliano I. in dotalem hæreditatem ex Maria, Caroli Audacis Burgundiæ Ducis, Principisque Belgarum Filia. Hispana Monarchia mortalis apex potentiæ, utriusque Solis purpurâ illustris ex tot Regnorum pondere gravi, Sceptro potens, terrarum, mariumque ambitu, Cœli Zonis, imò ipso Cœlo, omniumque stellarum serto coronata, in Joanna Ferdinandi & Isabellæ

Titulus libri Hort. Pall.

Epist. ded. pag. 5. & sequ.

Excur. 8. & sequ.

Sed de his distinctius in 3. Gentilitio.

Alsatia. Austria. Hungaria. Bohemia. Lusatia. Silesia. Moravia.

Hispana Monarchia.

bellæ Catholicorum Regum Filia Philippo I. Pulchro nupsit unico sanguinis Austriaci hæredi Tritavo tuo, ac tui Conjugis Monarchæ, ad quem Philippæum nomen, potentia, ac virtus transmissa sunt, Abavo fortunatissimo.

Demum pergit auctor hæc sequentia. Oriens Occidenti, & Athlantici Maris Africa litora Americanis, omnisque amplissima per immensa maria Lusitanici nominis potentia uno fuere juncta conjugio Caroli V. Maximi cum Isabella Emanuelis Portugalliæ Regis Filia & sanctissimo titulo maternæ Dotis Philippo II. quo nihil prudentius, nihil potentius Orbis terrarum vidit, transcripta. Omitto magna Provinciarum nomina, quæ Carinthiæ, ac Ferretanæ Regiæ Sponsæ Austrij Patrimonij Principatibus addidere. Omitto ipsum Occidentis Imperium eodem, quo Hungariæ & Bohemiæ Regna partu, iterum ortum in Austriaca Domo enitente tergeminam sobolem immensæ felicitatis Elisabetha Augusta, Sigismundi Cæsaris Filia, & Caroli IV. clarissimi Imperatoris nepote, ex inclyta Lucemburgensium Comitum stirpe. Ex his omnibus postremò HortentiusPallavicinus, Hortus, nomine & sapientia Palladi unicus, concludit. Ita nata est atque adulta Austriaca potentia Provincijs cum Reginis, Austrijs Principibus desponsatis, cum regijs Infantibus nascentibus Populis Reginis, ipsis in Austriadum nuptijs, imo & Mundis in Dotem numeratis.

Loco ci...o. Lusitania. America. Carinthia. Ferretum. Hortensius Pallavicinus. *in te Hortus, Palladi unicus,* sonat, addita litera D. tantum.

At tertiò de auspicata fœcunditate in conjugijs Austriadum pauca hic annectere opere pretium duxi. Et sanè generaliter loquendo, *Nuptiarum magna est dignitas*, ut habetur *in Auth. de Nupt.* §. *Deinceps*. Animata mulierum germina, unde humani generis flores propagantur, degustanturque fructus, nonne semina sunt admiranda, quibus, rationalium creaturarum multiplicatâ generatione, illud *Naturæ Miraculum* conservatur, sine quo aut Mundus noster non viveret, aut si viveret, vita meliori careret; aut (si verum fateri volumus) orbis terrarum, qui propter genus humanum creatus est, & incipiens cum homine, unâ cum eodem extingueretur, prorsus funditus corrueret. Mulieres perindè sunt, quæ familias, quæ Respublicas, Imperia, Monarchias, & cujuslibet generis regimina omnia restaurant, imò retinent, ne deficiant: Quotquot enim in Orbe dominantur, ab eis ortum habent. At quod majus est, totam humanam conditionem immortalem reddunt. Hæc Romanæ Vrbis conditor intelligens, cum fœminis careret, cum Sabinis grave bellum inire non dubitavit. Cognoscebat enim hujusmodi Imperium, si mulieres non adfuissent, paucissimis diebus esse duraturum. In gemino Orbe Austriaco, ex utroque Polo hinc inde circumspecto, Austriam Domum fundaverunt fœminæ medijs conjugijs. Opulentiam Austriacam, tantis circumvallatam ditionibus, Sacramentalis fœcunditas cumulatissimè peperit. Proles innumeras, quarum natalia imperandi symbola pro Ascendenti ut plurimum habuere,

III. Felicitas. Mulierum encomia. Cass. loco. cit. Consid. 21.

buere, Austriorum utriusque sexus Principum hoc in eodem Gentilitio suis locis recensebimus. Itaque Nuptiarum Austriadum dignitas magna est, magna prosperitas, ingens claritas, ineffabilis gloria, tot tantisque puerperijs semper puerpera. Quod assertum, ab experimento deductum, idemet Pallavicinus his candidissimis calculis venustè subscribit. Quis deinde Regiam posteritatem numerosissimam jam non sibi numeret, fastisque inscribat in ea Domo, in qua semper innocenti duello felicitas fœcunditasque certarunt, illa Regnorum, hac Regum procreatrice, confusis etiam titulis, & altera alteri mixta, ita ut semper fuerit felix fœcunditas, fœcunda felicitas? Certè cum Austriacos fastos lego, ac si stellarum aureis notis scripta volumina legerem, Domusque hæc Serenissima Cœlum esset, suspicio non singulas stellas, sed earum quasi familias numerosa prole progigni. Hæc ille. Porrò sex etiam felicitates ad summum hujus vitæ bonum spectantes, & in Matrimonijs Austriacis singillatim inspiciendas, brevi adnotare consului. Nimirum quod in omni tempestate, uti dictum est, imparia connubia secundum veræ, ac Catholicæ Religionis jura, sacris Canonibus fulcita, licet passim non sine aliqua spe certa, ac proxima consequendi amplissimas hæreditates, instar capitalium criminum Austriaci Principes magnanimiter respuerint. Quod à suis incunabulis usque ad Rudolphum I. Cæsarem tam sanguinis æqualitas, quam dotum proportio in Perleonum cum Habsburgensibus nuptijs, horumque cum alijs familijs reperta sint. Adeo ut quidquid ex eis natum est, felicissimo exordio utroque modo initia, ad gloriosiora incrementa propensa, propter antiquorum predecessorum Pietatis fomitem, successivè cognoverit. Quod ab eodem Rudolpho Habsburgico usq, ad Principes superstites nusquã eorũ aliquis, veluti privata persona conjugale ligamen inierit, quotiens aliqua magna Ditio, aut regnum aliquod ex eo eis, hoc est Austriacis accessit. Quod propterea eorum Pietas Catholica, unde, ut semper Principes Soboles ab eo tẽpore nascerentur, obtinuere, causa extiterit, ut in alienis bonis, nuptiali, sive adoptionis jure hæreditariò possidendis, neque ante tempus, & violenter turpiter intrarent, neque ab eorum patronis ultrò, ac sponte introducti, indignum aliquid in eos molirentur; quemadmodum in exemplo Philippi I. cum Ferdinando Catholico ejus Socero comperimus.

Loco cit. pag. 7.

Sex peregrinæ felicitates in Austriorũ conjugiis.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Nota.

Quarta.

Et tamen scimus, antiquissima tempora rimantes, quibus multotiens neoterica arrisere, Tiberiũ de Anisio Gallo obdubitasse, quod *plusquã civilia agitaret*, ex quo illi, quæ ejus Vxor prius fuerat, nupserit. Quæ suspicio erga privatos quoslibet, fœminas è regio sanguine sibi in matrimoniũ jũgi procurantes, nõ immeritò statim irrepsit. Nã talis Societas, vel ut aliquis eorũ ad culmen principatus perveniret, vel ut in eo, si forte ad ipsam aliquando pervenerit, firmaretur, facillima visa est. Dubitandi occasio tunc impulit Saul de Davide, cũ Michol ejus filia illi in Vxorẽ locãda esset. Quamobrẽ hãc magni ponderis rationem status mente circumspecta revolvens, millies, &

Advertentia Politica, & valde notanda. Tacit. 1. ann.

Filiæ ex sanguine regio quibus nubendæ?

semper

semper illicitè, ab ea re, quæ intolerabilem animi mærorem ei quotidie inferebat, se liberare tentavit. *Deditque ei Saul Michol filiam suam*, inquit textus sacer, subditque, *Michol autem diligebat eum, & Saul capit timere David.* Perinde Rex Salomon Bersabeæ, imprudenter Abisac Sunamitidem in mulierem pro Adonia expostulanti, ita respondit. *Quare postulas Abisac Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum.* Et quemadmodum Sapientissimus omnium Politicorum respondens Matri, negavit quod petijt, nempè Adoniæ Vxorem; ita quoque Tiberius Cæsar propter eadem rationem Agrippinæ fermè obmutescens, maritum, quem poposcit, minimè concessit. *Cæsar*, inquit Tacitus, *non ignarus quantum ex Republica peteretur; ne tamen offensionis, aut metus manifestus foret, sine responso, quamquam instantem reliquit.* Idem pariter fecit cum Seiano, Liviam ducere expostulante, ad quem verba faciens, neque amplius tacens, sicuti fecit cum Agrippina, *Falleris Seiane*, respondit, *si te mansurum in eodem ordine putas, & Liviam, quæ Caio Cæsari, mox Druso nupta fuerat, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat.* Non ergo mirum si parem formidinem Vitellius pro Dolabella ostenderit, cum in eodem casu, in quo pro Asinio Gallo Tiberij mens fluctuando versabatur, reperiretur. *Vitellius metu & odio*, ait Cornelius, *quod Petroniam uxorem ejus mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistolas, vitata Flaminia via celebritate, divertere Interamnam, atque ibi interfici jussit.* Hinc Plaltes prudentissimè quidem se gessit, cum datam sibi à Rege Saul Michol in Vxoré, eam tangere nequaquã ausus est, adeo ut, auctore Rabbi Salome, in medio inter se & ipsã, ambobus simul in lecto eodem quiescentibus, pugionem suum collocarit. Neque aliter se gerere in hac re, neque melius poterat, idcirco mortuo Saul, statim Abner, sciens, Regem minimè David esse posse, si ejus Vxor alijs nupta fuisset, eum allocutus est, precepitque. *Non videbis faciem meam antequam adduxeris Michol filiam Saul.* His exemplis ratio, tam ex Philosophia, quã ex Politica desumpta adstipulatur. Nam primò ubi Aristoteles in libris de generatione agit, quomodo elementa inter se transmutentur, *In Elementis*, inquit, *habentibus symbolam qualitatem, facilior est transitus.* Exempli gratia, terra facilius in aquam, quam in aerem transmutatur, propterea quod cum terra sit frigida, & sicca, & aqua frigida, & humida, cumque aer calidus sit, & humidus, consequenter ubi terra cum aere in duabus qualitatibus, cum aqua in una tantum impar reperitur, & non amplius. Eodem modo in præsentibus philosophandum, nam cum in privatis Personis quælibet Regni acquisitio sit veluti transmutatio quædam, atque illâ elementorum longè difficilior, equidem ut ad eam medijs matrimonijs perveniatur, transitus falicior proculdubio videretur, ubi aliqua symbola affinitatis qualitas, vel saltem dignitatis inter cõjuges inveniretur, quam si ex his nulla eis inesset. Secunda ratio politicè consistit in hoc, quia populi maximè diligunt Principes suos, ideoque illis extinctis, facilius, ac lubentius

1. Reg. c. 18.
3. Reg. cap. 2.
4. Annal.
Loco citato.
2. Histor.
Rabbi Salome super hunc locum.
Duplex ratio confirmat allata exempla.
Ratio Philosophica ex 2. de gen. text. 25.
Altera ratio. Politica.

bentius vellent sub dominio illorũ esse, in quibus aliquã extinctorũ Principũ Sobolis scintillã remansisse intelligunt. Darius, egregij judicij vir, ex privato homine Princeps factus, ut in Imperio stabiliretur, quandã Cyri filiam duxit. Maximè enim huic rei prodesse sciebat, si illius sanguinis, antea dominari visus fuerat, uxorẽ haberet. Vnde Justinus, *Principiò igitur Regni Cyri Regis filiam regalibus nuptiis regnum firmaturus in matrimonium accepit, ut non tam in extremum translatum, quam in familiam Cyri reversum videretur.* Hoc idem Tigrani filij excogitaverunt; quamvis aliundè desiderio fraudatos demirans Tacitus, ait. *Nec Tigrani diuturnum Imperium, neque liberis ejus, quamquam societatis more externo in matrimonium, Regnumque.* Neque alia de causa ad Macedoniæ regnum evectus est Demetrius, nisi quia senioris Antipatri filiam in uxorem duxerat.

Iust. lib. 1. de Dario.

2. Annal.

Princeps, mascula carens prole, & parens solum unius fœminæ, ad quam tota ejus hæreditas devoluenda est, non immerito pavore immodico incessanter afficitur. Vellet eam viro tradere, sed utrum ea nupta, posset amplius securus vivere, videlicet ne à genero suo, ipso adhuc superstite, semel & pro semper Regno spolietur, maximè internis angustijs pressus obdubitat. Huic periculo trino remedio statuum rerum periti occurrunt: nam dicunt primò, eam nubendam esse infimo viro, qui nullo modo animum perveniendi immaturè, & inopportuno tempore ad imperium habere possit. Quæ deliberatio, ut videtur, Principi etiam magnis in negocijs potest valdè prodesse; tum quia plurimum ei conferret, ut magis à genero proprio, quam ab extraneis fidelitatem speraret; tum etiam quia cum eodemet absque ulla hæsitatione, & sine ulla formidine viveret. Hujusmodi consilij gnarus valdè Augustus, Tacito materiem dicendi porrexit. *At enim Augustus filiam suam equiti Romano meditatus est. Mirum hercule si cum omnes curas distraheretur, immensumque attolli provideret quem conjunctione tali super alios extulisset, Caium Proculeum, & quosdam in sermonibus habuit insigni tranquillitate vitæ nullis Reipublicæ negotijs permixtos.* Quod monitum haudquaquam malum omninò esset, quotiens maritus ingenio & artificio, quibus ad Imperij fastigium aptè se conducere posset, penitus careret. Tales erant ij, quos Tiberius nominat, quosque acutè Romanus annalista *Tranquillitate vitæ* vocabulo nuncupat. Demonstratque simul omni exutos audacia, & ferocitate, ac proinde sine ullo Principis discrimine in altum evectos. *Quod si ablato discrimine*, ait Politicus, *quem extollere oporteat, non tamen eum, qui sit moribus audax. Nam hujusmodi homines aptissimi sunt ad invadendum circa res omnes.* Vbi verò deindè legimus, dedisse Augustum filiam suam Agrippæ, quem *ignobilem loco, bonum militia, & Victoria socium* Tacitus asserit, id tamen propterea ei contigisse dicimus, eo quod, quia coactè Agrippam timeret, nulla rationis, seu occasionis, aut temporis via illi amplius supererat, ut secus efficere posset. Quandoquidem ei necessarium fuisset, aut præcipere, ut Agrippa occideretur (quod

Quid faciendum quando Princeps unicam filiam nubendam, & hæredem habuerit. Primum Remedium.

Lib. 4. Ann.

Sed modificatur.

Arist. 3. Polit.

Ann. 1.

(quod ſcelus etiam Ethnico Principi, nedum Chriſtiano indignum videtur) aut ſpem certam Imperij illi tribuere. Quod Dion ore docuit Mæcenatis, qui loquens de iſthoc Agrippa, ait, quando Princeps, ut ſervum aliquem nimis ſuprè extolleret, non vult acquieſcere, magnam & pluſquam decet auctoritatem illi tradens, cogitur omninò, ubi eum vivere permiſerit, ac ſeipſum, & perinde ſtatum in tuto ponere exoptaverit, in ſuum affinem eligere. Cyro pariter, hanc politicam amplectenti, tradentique ſororem ſuam in conjugem Sibari, id profectò accidit, quod & Auguſto contigit. *Sibarem,* ait Juſtinus, *captorum quem juxta nocturnum viſum ergaſtulo liberaverat, comitemque in omnibus rebus habuerat* (quod idem eſt cum Tacito *victoriæ ſocium*) *Perſis præpoſuit, ſororemque ſuam ei in matrimonium dedit.* Et quia Galba non iſthoc modo uſus eſt cum Othone, quemadmodum uſi ſunt Cyrus cum Sibare, & Auguſtus cum Agrippa, ideo Imperium perdidit, ſicut ſcribit Tacitus ipſe. Hiſtor. lib. 54. Iuſt. lib. 1.

Praxim hanc uti diſcrimini expoſitam, incertam, ac fallacem, ita aliqui recenſiores reſpuunt omninò. Nam, inquiunt, etſi ille, cui filia, vel affinis ex Regio ſanguine nupta eſt, ignobilis ſit, & ſpiritu nimis parvus exiliſque, facillimè tamen contingere poteſt, ut ei filius adnaſcatur, magis avo, quam parenti ſimilis. *Aſtiages neque claro viro, neque civi dedit filiam, ne paterna maternaque nobilitas animum extolleret. Sed de gente obſcura tunc temporis Perſarum Cambyſi mediocri viro in matrimonium tradidit.* Fruſtra tamen id effecit, cum ex hujuſmodi conjugio natus Cyrus, poſt paucos annos avo Regnum vi abſtulit, atque eo miſerrimè expoliavit. Inſuper iſta circumſpectio infelix plerumque ſuccedit propter mulierum ferocitatem, & propter acre earum ingenium. Etſi enim talibus viris copulentur, paucæ tamen ex eis inveniuntur, quæ identidem maritis fomenta in ijs non eſſent, quorum exordia, ac molimina ex ſeſe nequaquam conjuges excogitarent, reſolverentque, vel ſi utrumque agerent, non quidẽ tam citò exequutioni mandarent. Tullia, Servi filia una fuit ex his, cum enim Regno ſuccedendi haud amplius expectare pateretur, Orontem Tarquiniũ virum ſuum *mitis ingenij juvenem,* ut vocat Livius, muliebri inſtigatione impulit, ut ſocero occiſo, ſceptro potiretur. Sic enim eius fœminea elatio, ac ingens cupido, poſſe ſe dare Regnum, ac ſimul auferre, jam ex regio ſanguine natale ducens, congruum videri exiſtimavit. Unde aliquando ſuperbè conqueſta *ipſa regio ſemine orta, nullum momentum in dando adimendoque regno faciebat.* Demum Regis filiæ aut non poſſunt, aut non ſciunt privatè vivere. Quare loquens idem auctor de Daramata Hieroni Syracuſani genita, atque ab eodem tradita Andronadoro, reddenſque rationem, cur ejus vir Regnum ſocero auferre tandem reſolverit, cum ante ſuper hoc facinus nihil excogitaverit, *Qui feſſus tandem inquit, uxoris vocibus, monentis nunc eſſe tempus occupandi regnum.* Impugnatur ac refellitur primũ remedium. Iuſt. loco cit. lib. 1. Livius Deca. 1. lib. 1.

Secundum

II. Remedium.

Secundum remedium, ab alijs excogitatum, & ut nimis aptum Principibus exhibitum, ut discrimina, quibus hoc in negotio plurimum excruciantur Magnates, protinus evitentur, illud est, si hujusmodi filiæ Cænobiorum septis, sive, loquendo more antiquorum, Templis clauderentur. Nam hoc modo cœlibatus observantiæ addictæ, neque ab earum maritis, quibus carerent, neque à nepotibus pavendi occasio, vel aliqua suspicio etiam minima suboriri potest. Ita Nemulius expulso Numitore, ac necato ejus filio, *Fratris filiæ Rheæ Sylviæ per speciem honoris, cum Vestalem eam legisset, perpetua Virginitate spem partus ademit.* Sed num hoc remedium ineptum ut plurimum fuerit, ac minus communi bono utile, licet periculo Principis magis & omninò proficuum, quam commemoratum, meliores Politici videant.

Liv. Deca. 1. lib. 1.

Exploditur.

III. Remedium.

Et illi præcipuè, qui tertium remedium ut melius, & utilius proponunt, & nos hoc modo ex Italico idiomate eruditissimi viri Virgilij Malvezij Latinè proponimus. Qui hasce nubiles filias habuerit, pro quibus hæsitabundus noctu diuque viveret, nec non & nimio pavore affectus, pro eis locandis, solis Principibus, & non alijs, neque uni tantum placitũ suũ aperiat; eas dumtaxat nonnisi eis solummodo, & nõ alijs tradere se velle, immutabiliter asserens. Hac enim arte non solũ suorũ discrimina, verũ etiam & illorũ, qui propterea ut inimici ingentia damna sibi pararent, sive, ut uno verbo dicam, hostiũ internorum & externorũ pericula omnia facilius evitabit. Nam quilibet eorũ, quibus animũ suum prodidit, propter spem cõsequendi connubij, prompto ac cõstanti animo eum ab adversarijs defenderet. Et ubi peractis nuptijs unicum tantum defensorem & plura discrimina experiretur, suspensa deliberatione, sicut spe multos nutriret, ita & multos quoque auxiliatores & discrimen ullum in omnibus eventibus semper haberet. Quod remedium optimè amplexus Carolus Burgundiæ Dux, teste Argentone, filiam hæredem, antequam postremò Maximiliano I. Austriaco nubendam promitteret, tribus Principibus, ac Ducibus, nimirũ illi Guiennæ, Nicolao, Calabriæ, & Lotharingiæ, nec non & Filiberto Sabaudiæ jam spopondit, nunquam tamen eam, auctore eodem, alicui usque dum viveret elocaturus. Quod si adeo prudenter alijs in rebus Princeps iste, cujus magna *Audacia*, unde cognomentum assumpserat, terminos in eo magnanimitatis, ac simul humanæ rationis excesserat, se gerere curavisset, nequaquam ita infeliciter periclitatus esset.

Super Tacit. Discur. 40, in fine.

Argent. lib. 3. in vita Ludov. Franc Regis de Carolo Audace.

V. Felicitas.

Quinta Conjugiorum Austriacorum felicitas ea est, quã non tyrannicè, per dolum videlicet, sive per fraudem, ac vi armorum extera Imperia, humanitùs haud excogitata, nedum sperata, licet divinitùs Rudolphi Cæsaris Pietati promissa, aut aliquo simili modo, sed tantum sacrosanctis juribus nacti sunt Austrij Principes. Hinc meritò obstupescens ille, ita veridico ore fassus est. O auspicatissimos Regnorum triumphatores Austriæ Gentis Hymeneos, quæ supra omnium Augustarum, & Reginarum familiarum beatitatem ferè totum terrarum Orbem possidet Sanctissimo

Pall. loc. citato.

titulo

titulo Sacramentis Nuptialibus obligatum; incruentis victoriis, non bellis, sed conjugijs, non in laurea, sed in florea expugnatum! Huic auctori addimus Spondanum, natione Gallum, prælatione Appaniarum Antistitem, qui eadem de Austriaca Domo profitetur. Inquit enim, omnes Alberti successores, relicto Habsburgi cognomine, ut minus nobili, Austriæ longè nobilius sibi assumpserunt, qua Nuptiarum fœderibus, successionibusque inde provenientibus, qua etiam prudentia civili, prævia Religione Catholica, Hispaniarum accessione, & novi Orbis beneficio *Sedis Apostolicæ* adeptione, in eam demum Imperij magnitudinem pervenerunt, ut terrarum latitudine, ac vastitate antiquiora quæque maxima ferè æquaverit, fortè etiam superaverit; quantumvis & earumdem disjunctione, & longinquarum dissolutione nec minimo eorum comparandum videatur. Spondan. ad ann. 1273.

Sexta & ultima felicitas ex eo auspicatur, quod sicut Fortunatissima Austriæ Domus Pietas supra omnes totius Vniversi Prosapias ratione connubiorum locupletata videtur, adeo ut ei illud Claudiani optimè quadret, *Toto pariter ditabere Mundo*; eodem etiam modo, facta comparatione tot tantorumque bonorum temporalium effectuum in ordine ad eandem causam, super easdem cultu, ac Religione toto in orbe eminentissimo lumine fulgere experitur. Sed ad Matrimonium seriem. VI. Felicitas. Claud. de Nupt. Mar. August.

EXCURSUS II.

Hujus tertiæ Partis argumentum, necnon & Ordinem procedendi, & methodum declarat, atque alia, suis sectionibus pertractanda, subijcit.



Iterum Habsburgensium sanguinem cum illo Austriorum affero: nec tamen ad probandum, alterum cum altero idem esse, atque solo nomine differre (id enim in primo Gentilitio ex professo, & quidem satis fusè, & distinctè ostensum est) sed ad constituendum Matrimoniorum initium ab Alberto Divite, per cujus Hymeneum cum tunc temporis unica filia, ac hærede superstite novissimi Comitis de Habsburg stirps inclyta Romana Perleonum, antiquitate clarissima, majestate eminens, Pietate unica, potentia & opibus Vrbi & Orbi valdè nota, ad alia, longè illustriora, ac feliciora (intuitu tanti exulis animi pro veri Pontificis tuenda auctoritate, atque Ecclesiæ Romanæ libertate, avita fide, ac Religione Christianissimè excandescentis, ita Deo ordinante) novas sibi aperuit vias, quibus dein- Perleoniæ familiæ prærogativæ insigniores.

ceps antiqua Aniciorum felicitas majora fortunæ incrementa propediem adepta est. Methodum, quam modo in hac 3. parte jacere curabo, in uno tantum deficit juxta promissa in 1. Gentilitio; sed ejus defectio magis lectori proficiet, cum præscriptus ac promissus Ordo, non paucam confusionem posset ei proculdubio parere. Prima ergo enarratio in præsentibus erit de illis Matrimonijs sexus utriusque, quæ ab eodem Alberto Divite recta linea, ut ajunt, nec non & laterali usque ad Cæsarem Rudolphum, & ulterius ex eodem Comitum de Habsburg sanguine per aliquot annos interjecta inveniuntur. Secundò naturalem dispositionem quantum ad Soboles masculas Arboris Genealogicæ observabo, omnium enim & singulorum stemma propagantium, & etiam prolium suorũ nuptias secundum temporum supputationem, in quibus contingerunt; scribere exactè studebo. Hinc veniam ad sequentem Gentilitij partem, quæ in ordine erit quarta, moxque ad postremam, nempè ad quintam; sicque ibi Mulierum conjugia, hic verò parentelas omnes, ab Austriacis cum illustribus Europæ stirpibus contractas, proferens, totam voluminis molem, historicæ veritati fundatam pro viribus meis consurgere ultimò faciam.

In Syntagm. pag. 47.

SECTIO I.

In qua ea, quæ ad Conjugium Alberti Divitis pertinent, Continentur.

MATRIMONIVM I. TRIPLEX.

Albertus, Patria Romanus, sanguine vero Æneias, Julius, Julianus, Anicius, Petrus Leo, Frangipanis, primus post Wernerum II. Ergoviæ, & Habsburgi Comitum novissimum, novorum Habsburgentium fundator, ac Dives cognomento, tres uxores Germanas duxit.



Vmmum Mundi hujus felicitatem trifariè constituunt Plato, ejusque auditor, ac discipulus, nec non & Magni Alexandri socius, preceptor, & Secretarius, atque Scolæ Peripateticorum Princeps Aristoteles, & omnes eorum sectatores. Ducuntur trium bonorum ratione, unde totum terrenæ beatitatis genus conflatur. Illorum duo essentiæ hominis extrema suapte natura respiciunt, at postremum ea supponit, quæ sunt ipsi externa. Sic

Plato. Arist. & alij apud Cass. lib. 12. cõsid. 52.

Quibus bonis summa hujus Mundi beatitas constituatur.

Virtutes

Virtutes animi bona dicuntur, bona autem corporis valetudo, sanitas, formositas, robur, & similia. At divitiæ, honor, & cætera hujusmodi, quæ Fortunæ ascribuntur, extranea, ac peregrina sunt homini. Ex tertio maritali fœdere, ut paulò inferius patebit, tota felicitas desumenda est Alberti Divitis Romani, Ergoviæ Habsburgique Comitis. Cum postremum ejus Connubium fons & origo illius Domus extiterit, quæ bonorum omnium seminarium haud incongruè dici potest. Quare si principes è primis duabus nuptiæ tanto Domino plurimum arrisere, tam ex parte nobilitatis Conjugis suæ (quæ sive à Regum Francorum stemmate, ut ex consequenti in ordine ad paternum genus primæ opinionis sectarij gratis concederent, sive aliunde, non ita altè, & parum probabiliter, ac fideliter, sed nimirum ab eadem familia cum Ducibus Zaringensibus, quod ijdem libentius affirmarent) quam etiam ratione paternæ dotis, Ducatus Ergoviæ, & Habsburgi comprehendentis; postremæ tamen sortem majorem sibi peperere ob earum fœcunditatem, de qua inferius.

Quot delubra Fortunæ, quam veluti rem divinam colebant, ædificavere Romani, tot pariter cognomenta eidem dedere. Vnde quemadmodum sexcenta illi templa construere satagerunt, ita quoque totidem cognomina & ipsi tribuere usi sunt. O rem omninò vanissimam, ac satis superque superstitiosam! Nihilominus ex tanta molium agnominumque varietate, inter quæ præsertim illa erant, quibus Primigenia, Viscata, Pusilla, Fortis, Mascula, Convertens, Benesperans, Virgo, Barbara, &c. ipsa vocabatur, humana ratio, experimento comprobata, naturaliter cognoscit, quemlibet civili prudentia ne dum Christiana aliquantò callentem, debere sese subscribi verbis Beroaldi, ita loquentis de Fortuna. *Hæc toto Mundo locis omnibus, ut inquit Plinius, omnibus horis, omnium vocibus sola invocatur.* At voces has auscultemus, invocationesque, ut sic percipere omninò possimus, quam sapientissimè infinitus stultorum numerus, etsi veluti Deam eam impiè adorarit, celebrarit, ei horridis blasphemijs vicissim indignetur. *Vna accusatur* (sequitur Beroaldus) *una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum convicijs tollitur, volubilisque à plerisque, & cæca etiam existimatur; vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix, huic omnia expensa, huic omnia ferunt accepta, & tota ratione mortalium sola utramque paginam facit.* Aliam verò, & quidem meliorem & aptiorem palinodiam, à Lyrico desumptam, Fortunæ canere quilibet vir cordatus isthoc modo posset.

Templa Fortunæ, & ejus cognomina.

Philippus Beroal. in suo libello de optimo statu.

Plin lib. 2. cap. 7.

Convicia in Deam Fortunã.

Fortuna omnipotens insipientibus,
Quantum juris atrox quæ tibi vendicas?
Evertensque bonos, erigis improbos.
Nec servare potes muneribus fidem.

Horat. apud Cass.

Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Iustos illa viros pauperie gravat.
Indignos eadem divitijs beat.

Nota.

Igitur Fortuna Ethnicis scriptoribus, ac adoratoribus, attestantibus, omnipotentiam suam atrocitate roborat, amicitiã improbitate vestit, beneficia impotentia, & inconstantia præponderat, honores demeritis exornat; totamque suam divinitatem inhumanitate, ac tyrannide beat. Igitur more Idolatrarum (nullo habito respectu ad Deum Christianorum, bonorum omnium Auctorem, ac malorum punitorem) nihil aliud hoc modo Fortuna erit, quam abstractum quoddam, sive, ut ajunt, una quinta impietatis, ac infelicitatis essentia, carens ratione, justitia, & consilio; ac demum omnium scelerum coacla abominanda. Ex quibus omnibus inferimus, quod sicuti Alberti Divitis exulatio in illis Helvetiæ partibus, sive libera, ac beneplacens ibidẽ accessio nullũ aliud principiũ cognoscit, nisi eum, quod pluries demonstravimus, nimirũ Zelum Pietatis, ac Religionis: ita pariter omnis ejus radicalis gloria, ac beatitas conjugalis non à Fortuna antiquorum more, sed ab eodem Zelo, unde Sortis bonæ fontalis origo, petenda est. Hæc tanti Equitis Divina, ac in omnibus laudanda, benedicenda, adorandaque Fortuna in tot tantisque suis, & posteritatis bonis, ac stirpi Comitum Ergoniæ & Habsburgi Sacramentaliter copulata, idcirco firma, immutabilis, constansque reperta est, quia triplici Pietatis Christianæ funiculo, Deo, ejus Vicario, & Sponsæ Ecclesiæ aureis nodis arctissimè ligato, ac propterea difficulter rumpendo, rotam ejus fixo clavo circumligaverat.

Funiculus triplex difficilè rumpitur.

Si ab hac re transirem ad aliam, certè neque propositi gradus vitiosè irrumperem, neque lectorem gravarem, cujus honestam curiositatem passim in hoc opere variarum rerum interpositione expascere lubentissimè ducor. Alexander Taxonus vir eruditus, ac scriptor valdè acutus, nec non illarum rerum, de quibus tractat, sedulus, ac perspicax indagator, in libro suo Italico inter multas alias, quibus totum volumen illud constat, hanc etiam movet quæstionem. Cur Ferrarienses nubere Mense Majo nequaquam permiserint? Ejus excursus super hanc rem, quem nos Latinè afferimus, est hujusmodi. Si aliquis mensis sit, ait, in toto anno, qui ad nubendum provocet, certè hunc esse Mensem Majum quilibet affirmaret. Nam cum ipse Veris cor jure merito vocetur, in quo, anno jam innovato, transactoque hiemali rigore, animalia omnia spirituum vigorem sumere, sanguinem juvenescere, intraque venas fervere sentiunt, atque ut genus fecundetur plusquam alio tempore inter sese copulari venereè appetant, ajente Philosopho, *sunt porrò Animalia propensiora ad coitum propè dixerim omnia*

Curiosa, exquisitio Taxonis, pungentis Ferrarienses lib 8. quæst. 2. nolentes nubere mense Majo.

Arist. lib. 6. cap. 18. Hist. Anim

nia verno tempore; quis unquam ambigere posset, non solum esse extra rationem, verum etiam contra naturæ instinctũ mala auspicari connubia eo tempore, quod prævalet Vere, quodque, Veris flos cum sit, ita ineptè Ferrarienses abominantur? Attamen aliundè compertum est, viguisse apud Romanos proverbium illud, *Malum nubere mense Majo.* Plutarchus autumat, hoc ea de re contigisse, quia Venus Junoque (illi Aprilis, huic verò Junius dicabatur) conjugijs præsidebant; ac propterea in aliquo horum mensium nubere unusquisque potius, quam in Majo expetebat, Seniorum mensem à Poeta vocato. Plut. in suis quæsti n.

Mensis erat Majus, maiorum nomine dictus. Ovid. apud eundem.

Subditque, posse hujus rei ex duplici alia causa etiam rationem peti. Prima est, quia eo Mense placationes fiebant, luctuosè, ac sordidè vita degebatur, neque ipsi Junonis, Matrimoniorum Deæ, Sacerdotissæ lauandi manus concessum erat. Secunda, quia mense eodem, in quo Romulus ad fratris sui Remi, ab ipso interfecti, animam placandam, *Remuria*, sive corrupto vocabulo *Lemuria* instituerat, mos vigebat celebrandi defunctorum officia. Quæ lex, seu institutio, connubiorum nuptiarumque sollemnitati, mestitiæ signis, tam in cæremonijs, quam etiam in vestibus ex nigro, ac luctuoso colore ostensis, inimica, prorsus adversabatur. Omnia Templa tunc temporis claudebantur, ideoque neque in illis, sicuti, alio tempore mos erat, poterant sponsæ noctẽ totam, sponsalia præcedentem, ut oracula acciperent, insomnes ducere: neq; Sponsi Junonis Jugalis, ut eis propitia, ac fautrix esset, diu ea visitare. Sunt tamen qui opinentur, Majum à Romulo Senioribus dedicatum, uti dictum est, Juinum verò, testibus Macrobio, & Plutarcho eodem, juvenibus. Hinc factum, ut quilibet, ad illud infelix auspicium evitandum, canente Euripide, Macrob. 1. Satur. Plutarch. in quæst. Romanis.

Senectus Cypridem missam facit,
Annisque onustos Venus aversatur viros,

sequenti mense maritalia fœdera contrahere satageret. Vnde Romanis ex Augusti lege ultra annos 25. uxores ducere minimè permittebatur; secus autem Spartanis Licurgo præceperat sub gravibus pœnis, quotiens ante hoc tempus aliquis eorum nupsisset. Verum talis responsio ad quæstionem nullo modo Taxono arridet, eo quia, inquit, Februario mense, animarum defunctorum, quin & infernalium umbrarum placationi (quod tristius augurium est) dicato, canente Ovidio, Impugnatur à Taxono aliorum opinatio.

Februa Romani dixere piamina Patres Ovid. & Festus
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem,

nulla propterea consuetudo vigebat de non nubendo in eo; ac per conse-

consequens dedicatio illa mensis Maij, facta à Romulo senioribus, hujus moris causa esse non poterat. Idcirco credendum, inquit, aliquem alium respectum intervenisse, qui adjunctus supradictis, adeo in re hac Mensem Majum potissimum è cæteris secerneret, ut solus ipse, & nullus alius mali auspicij in nuptijs haberetur. Canens Ovidius de Mercurio, cui mortuorum cura commissa erat, quique secundum alios à Maja ejus Matre Majum appellaverat, ostendit, quod pro mortali augurio à sponsis habebatur, si in eo Mense, in quo clausis delubris cæremonijs pro fantasmatum celebritatibus, defunctorumque operibus Romani occupabantur, nuberent: Refertque eandem causam, unde mali eventus passim experiebantur, quæ mox commemorato proverbio occasionem dederit, his carminibus.

Sententi T zoni.

Ovid. Fast. 5.

Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri
Inferias tacitis manibus illa dabant.
Nec viduæ tedis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit non diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si nos proverbia tangunt,
Mense malum Majo nubere, vulgus ait.

Respondet Auctor quæstioni.

Demum respondens auctor quæstioni, hæc subdit. Ferrariam nequaquam morem hunc à Romanis discere potuisse, satis liquet. Etenim ejus fundatio expletis Gentilium superstitionis observationibus, ac finitis eorum cæremonijs incepit. Ideo opinandum, id ipsam circa infausta matrimoniorum auspicia exinde tenuisse, quod Romana, ac vana antiquitas ante tenuerat. Quodque Romani evenire existimabant ab illis suis superstitiosis ritibus, atque mortuorum placationibus, non ab ijs, sed aliunde, nempè ab aliqua alia causa naturali, Ferrarensibus commune, contigisse. Quia videlicet tam Romæ quam Ferrariæ civium humores propter magnam, superfluamque climatum situumque humiditatem, unàque solis calorem; qui eo Mense incipit vires adijcere, maximè commoventur. Vel dicendum, hujus moris usum apud ipsos ab aliquo alio, nondum à nobis sufficienter cognito respectu, initia habuisse. Postremò ponit Auctor istam thesim, simulque ut video, Ferrarienses, cum sit ipse Mutinensis, acutè pungit. Etiam, ait, proverbialiter dici solet, Majum esse Asinorum Mensem; & quia, si cætera animalia multò prius stimulis, ac fomentis, quibus ad speciem sobolemque fœcundandam validè incitantur, initia venisse sentiant, solus asinus, cum sit nimium insulsus, ac stupidus, nimiaque frigiditate affectus, & ad eadem fomenta magno calore, ut videtur, indigeat, Mensem Majum expectat, quando, uti dictum est, solares radij fervere incipiunt, ac convalescere. Hinc forsan à vilitate similitudinis moti Ferrarienses, ne cum his animalibus communia haberent connubia, nubere

Conclusio Tazoni, Ferrarienses carpentis. Quare Majus Mensis asinorũ vocetur.

nubere mense Majo abhorrent. Ego audivi, tandem concludit, ab aliquibus eorum, observatum fuisse, plures ex nobilibus Ferrariæ in mense Majo nuptos, imò etiam nonnullos ex illius Ditionis Principibus intra paucos dies vita functos. Ac proinde hanc observationem maximè extitisse causam, ut ibidem mos iste de nuptiarum abstinentia introduceretur. Sic legimus Macedonas infelicem Junium mensem existimasse, neque in eo unquam armato exercitu in campum exivisse. Ac, teste Plutarcho, Alexander Macedo cum bellum Granicum contra Persas, quorum sexcenta millia hominum cæsa fuere, non posset efficere in Junio, ad triste augurium evitandum, eum alterum, sive secundum Majum vocari fecit.

Plutar. in vita Alexandri.

Hæc idcirco in præsenti sectione jeci, atque in principe Alberti Divitis conjugio, cujus tertia Vxor ex claro sanguine ortum habuit, sicut suo loco dicendum, ut intelligatur, quod Matrimonium illud felicissimè auspicari potuit, non ab externis Fortunæ bonis, non à tempore, in quo contigit, neque ab aliqua alia causa, sive superstiosè, sive naturaliter, aut quovis alio modo perspecta, sed ab ipsa Pietate, ac Religione, in qua ejus Progenitores semper floruere, cum quorum sanguine è parentû mammillis eam posteri unà cum lacte suxerunt. Si Pithagoricæ literæ, sive melius Jordani flumini sacro, qui, auctore D. Hieronymo, ex duobus diversis fontibus, JOR, & DAN, in unum confluentibus denominatus perhibetur, Alberti Divitis Matrimonium cum tertia, ac pulcherrima Juvencula Pfullendorfensi, attenta ejus gloriosa fœcunditate, comparabimus, non inepta quidem erit similitudo. Nulla profectò IOR, & DAN felicitas esse potest illa melior, ac prosperior, qua Mundi Salvator à suo Præcursore eorum aquis meruit baptizari. Sic quoddammodo hi duo animati, ac diversi fontes, nimirum Albertus Romanus, & postrema ejus Conjux Theutonica in unum confluentes Matrimonium, quendam Christum, ut ita dicam, Rudolphum scilicet I. Romanorum Regem, non solum intra proprij sanguinis undas cernere meruerunt, verum etiam & abs se nasci, ut novæ legis lauacro in baptismate mundaretur. Qui deinde completis superorum oraculis Proauorum genus sceptris, coronis, ac diadematibus cumulatissimè confertum feliciter propagaret, moxque non uno tantum ditaret Orbe, sed gemino. Conjugium illud, ex quo ortum habuit Lampedo, Plinius ex consequenti laudibus sublevat, ubi ait. *Vna fœminarum in omni æuo Lampedo Lacedemonia refertur, quæ Regis filia, Regis uxor, Regis mater fuit.* Scioppius verò in Austriaca Gente tanquam frivolum, ac leve hoc Plinij exemplum deridet, decora longè majora in solo conjugali fœdere Alberti V. Austriaci cum Elisabetha Sigismundi Cæsaris filia perspiciens, ita de Elisabetha altera illius filia, & S. Casimiri parente, affatus est. Longè Lacænam illam Lampedona excellit Elisabetha Poloniæ Regis Regina, quæ Imperatoris Cæsaris, ac Regis filia, & Neptis, Regis soror, Regis uxor, Regum quatuor Mater, & denique Regis avia fuit; nimirum

Ex D. Hieron. etiam in I. Gen. dato.

Nota.

Plin. apud Gasp. Sciopp. datus à Silesio, & uterque alibi à nobis Gentil. I. Excur. 7. diu. 7.

nata

nata ex Alberto II. Imperatore, Bohæmiæ & Hungariæ Rege; fratrem Ladislaum Hungariæ & Bohæmiæ Regem, maritum Casimirum, Poloniæ Regem; & filios protulit Reges Hungariæ, Bohæmiæque Ioannem Albertum, Vladislaum, Alexandrum, & Sigismundum.

Verum argumentum horum, sive utrumque exemplum non tanti ipse facio, licet origo, quam affert tanquam plurima laude promeritam, regalibus ligaminibus fascijsque circumornari se jactitet; quotiens in lumbis Protoparentis Alberti nostri Romani, ac pariter in ejus conjugali toro sub felicissimo Pietatis, ac Religionis Horoscopo Austriadas glorias multa cum admiratione intueor. Nondũ Alberti germina quartã generationem attigerant, nondum unius hominis senectus, nempè ann. 54. curriculum, ab illius nuptijs postremis usque ad Rudolphum I. ejus Pronepotem; istius transierat nativitatem, quæ contigit anno 1218. secundùm omniũ historicorũ consensum, uno Gans excepto, annos decem, nisi tamen typographus erret, huic supputationi addente: Quando recens sui generis in Germania arbor, cum Habsburgica vite matrimonialiter colligata, cui novus truncus ipse evasurus erat, tanto nascente pronepote, in illa temporalis felicitatis præludia erupit, quæ nulli totius Vniversi Conjugio ab Orbe condito usque ad præsentem diem, licet aliunde divinis oraculis pronunciato, & insolitis muneribus locupletato, sunt auspicata, neque fortè in posterum auspicatura. Et sane quæ hucusque humana propago ita sobolevit, sicut hæc? Ab isthoc primo Connubio exiens, quod post annos 54. Rudolphum parturit, præter tot Duces, Archiduces, Principes, Reges, Monarchas, 14. etiam Imperatores annorum 383. serie exinde produxit; & tam illos quam hos perfectissimè Christianos, ac Catholicos & alioqui frequenter inter innumera rerum discrimina, quæ haud rarò sobolis & regiminum eradicationem illis propediem annunciavere, quod secus factum esset, si aliquantisper à Progenitorum orthodoxa credulitate deflexissent? Ergo ut ad rem nostram veniamus, Alberti Romani, & Rudolphi fratris natu majoris, accepta à Patre ingenti pecunia in Helveticas oras translatio verisimilius contigit, secundum asserta & probata in Gentilitio I. anno humanæ salutis 1145. Tunc enim, ut ibidem cum Seifrido ostendimus, Vrbe expulsis, vel etiam spontè cedentibus, ut invidiam, & odium, quod propter cujusdam civis Romani potentissimi occisionem in defensione Ecclesiæ Romanæ, ac summi ejus Pontificis exortam, contraxerant, in Alsatiam commigrarunt. Par est autem credere illos eodem anno, quo patriam deseruerunt, ibidem pervenisse. Hine paucis alijs annis interjectis, ut scribit Magister Albertus Argentinensis, cum uterque jam statum suum in illis Theutoniæ partibus stabilivisset, Leo de Maximis seu Maximus Petrus Leo, eorum Pater, Romam profectus; eos invisit; & natu quidem majorẽ reperit plurimis prædijs sedem sibi stabilem paravisse, minorẽ verò natu Castri de Habsburg, maximâ clientũ turbâ comparatâ, patronũ esse invenit.

Hæc auctoris verisimilis supputatio est ab ann. 1152. in quo Petrus Leo filios suos in Germania invisit.

Excursus 5. Sectione 2. lib. 1. cap. 9. & 10. citato sub errore 2.

Nempè post annos VII. ut in 1. Gentil. hoc est 1152.

invenit. Hæc & sequentia etsi loco citato ejusdem Gentilitij ex eodem Alberto protulerimus, nihilominus tam ad majorem rerum gestarum fidem, quam ad præsentiarum intellectum hic necessariò repetenda fore judicavimus. Sic enim se habent. *Patre autem eorum post aliquot annos filios visitante, cum vidisset senioris prædia ab eo empta, ejus prudentiam commendavit. Requirens autem de juniore, quid egisset, illum se in fortissimam quandam munitionem collocasse vidit, & jussis omnibus vasallis suis cum eorum liberis masculis optime armatis venire ad montem, ubi Castrum Habsburg est collocatum, illuc Patrem traducens, illam fortium multitudinem ostendit, quos & omnes eorum posteros masculini sexus suæ posteritati fideles fore speraret. In illius ergo animosa nobilitate gavisus Pater magnum thesaurum destinavit eidem.* Alber. Argent. in chronico suo circa princip.

Ex qua Historia duo sunt animadvertenda; primum, quod anno eodem paternæ visitationis Albertus Dives Comitatum Habsburgicum possidens (vel ratione connubij cum filia, & hærede Vernerij II. ultimi Comitis, vel alio pacto ex duobus, quæ alibi ex Joanne Seifrido commemoravimus, & verisimilius fuisse primum simul ostendimus) adhuc ejus Conjux Habsburgica, sive altera ex tribus vivebat, & ex illa filios procreaverat, aut saltem quamcitius procreare sperabat. Idcirco ait Auctor. *Quos & omnes eorum posteros masculini sexus suæ posteritati fideles fore speraret.* Nec mirum esse debet, quod scilicet homo advena, Romanusque exul vix Suiceranas plagas ingressus, vixque notus tale connubium adeo celeriter ibidem celebraverit. Nam quidquid tunc temporis Romæ agebatur à Patre suo in favorem Ecclesiasticæ libertatis, & in auxilium Apostolicæ Sedis, & quidquid ab ipsomet filio Alberto cum fratre Rudolpho actum fuerat, facili negotio sciri poterat in ijs partibus, & maximè à proceribus provincialibus: Quemadmodum etiam qui fuerint Equites nobilesque illi, illinc profecti, cum Perleonum Frangipanum nomen jam penè ubique per Europam diffusum esset. Deinde sciendum, quod idem Pater filium suum minorem nobilissimæ Vxori copulatum reperiens, ut stirpem suam, tum avorum sanguinis claritate, vicinis, ac etiam longinquis regionibus manifesta, tum etiam maximarum divitiarum splendore dotatam ostenderet, *magnum thesaurum eidem destinavit.* Quamobrem sicuti Albertus non solum ex ingenti pecunia, quam antea, Roma discedens, simul cum Rudolpho fratre Germano, à patre acceperat, quemadmodum etiam ex contracto cum Comitissa Habsburgica matrimonio, nec non & ex altero, ut modò dicendum, rerum copia potiebatur, verum etiam ex thesauro sibi à parentè relicto, ita quoque Divitis, atque opulentis Principis non immerito sortitus est cognomentum. Verum tam hujus primæ conjugis Habsburgicæ (si prima fuerit) quam etiam alterius nomen, cujus nulla mentio apud auctores, penitus ignoratur; postremæ autem, quæ tantum ab eis recensetur, nulla facta mentione de duabus, nequaquam, licet alij vocent Itham, alij verò Bethtã. Roo ad ann. 1164. ita de eo breviter scribit. Alberto

Nota 1.

Ejusdem excurs. 5. Sect. 3.

Nota 2.

Vnde Alberto Romano *Divitis* cognomentum?

Roo lib. 1. ad ann. 1164 pag. 6. de Alberto Divite.

F Diviti

Diviti Berchta (sive Itha ea fuit) uxor data, Rudolphi ultimi Comitis Pfullendorfensis filia, ex qua prognati sunt Rudolphus, & Berchta, cuidam Leiningensi Comiti nupta. Hunc Albertum memorabili illi prælio, quod anno supra millesimum centesimum sexagesimo quarto inter Welfonem Juniorem & Hugonem Palatinum Tubingæ commissum est, interfuisse refert Eberhartus ab Altaich. Quinquennio post, cum socer ejus Imperatori Friderico omnem suam ditionem transcripsisset, Fridericus Alberto Tigurinæ Civitatis eo tempore Imperialis, & Secconiensis Ecclesiæ præfecturam contulit. Floruit adhuc Albertus sub Henrico VI. circiter annum ejus seculi nonagesimum. Hactenus Roho. Attamen Albertus de Bonstetten apud Seifridum ita inquit de tribus simul conjugibus Alberti. Albertus ante *Itham* Rudolphi Pfullendurі, & Brigantij Comitis filiam duas alias uxores habuit, quarum prima non diu in ejus conjugio vixit, altera autem in puerperio partus difficultate partus interijt; Ipse verò ex utriusque connubio magnis opibus, multisque bonis, atque maxima adauctus fuit affinitate. Hæc ille. Quare autem primarum duarum conjugum nomen è memoria scriptorum exciderit, causa esse potest; quia parvo tempore vixerint, & utraque sine prole decesserit.

Loco, cit. cap. 12.

At pro exacta presentis sectionis intelligentia sciendum, Albertum hunc, de quo loquimur, in tabula Hieronymi Henningij reperiri XVII. Comitem post Wernerum parentem, quem non secundum facit, sed III. licet opinativè & valdè circumspectè. Sed Roho assertivè III. quoque facit eundem Wernerum, uti & Guillimannus, à quo hanc unam sententiam (sic eam vocat Auctor superstes Genealogiæ Comitum de Habsburg, ut I. Gent. ostensum est) novo, ac pernicioso errore deturpatam esse ad oculum idem demonstrare contendit, dum Wernero Comiti de Habsburg Othonis filio non Albertum, ut nos, sed VVernerum *Itha* de Tierstein filium supponit, cum tamen *Itha* de Tierstein soror fuerit Othonis Comitis de Habsburg, Itham de Tierstein genere Habsburgicam minimè efficit. Concluditque hunc VVernerum III. nunquam fuisse in rerum natura, vel si fuerit, plurimum allucinatum esse Guillimannum, qui post VVernerum II. Othonis filium, lineæ Habsburgicæ VVernerum Comitem de Tierstein, unde Itha ejus Conjux Habsburgica cognominabatur, interſit, Ac propterea turpiter lapsus est, tum quia necessariò proles mascula in VVernero II. Othonis filii Habsburgicæ familiæ penitus defecisset; tum quia asserendum ex consequenti omninò foret, Albertum Divitem VVernerij ejusdem de Tierstein filium extitisse, ac per consequens Austriam gentem non ab Habsburgico sanguine, sed aliunde initia sortitam esse. Genuit Albertus Rudolphum taciturnum, de quo inferius & Berthá, ut diximus, cujus matrimonium suo loco.

Tom. 4. par. 1. pag 268.
Loco citato pag 5.
Excur. X. exam. postremo.

SECTIO


SECTIO II.

In qua Alberti Divitis duarum Conjugum, primæ scilicet ac postremæ gradus Genealogici lineantur, nec non & Connubium Rudolphi Taciturni, aliaque Matrimonia Lateralia Comitum de Habsburg, Lauffenbergensium & Rynfeldensium etiam Agnominibus denominatorum.

Inferius in Matrimonio Rudolphi Taciturni, filij Alberti Divitis patebit intellectus secundæ partis hujus sectionis. Ibi enim demonstrabitur, quomodo stirps collateralis Habsburgica, retenta solum Comitatus denominatione, jus nunquam regiminis ad posteros Alberti sapientis primonati remanserat, in Lauffenbergam, & in Rynseldensem transierit.

GENEALOGIA PRIMÆ VXORIS

Alberti Divitis, ex claro sanguine Comitum Habsburgensium deducta.



Fm, quamplurimis hæsitationibus, ac difficillimis dubijs intricatam planè, & plenè ostendimus in Gentilitio I. ubi recensuimus secundam sententiam, in qua Alberti Divitis antecessores Comites oriundos esse existimatur à multis opinatoribus ex clarissimo Regum Gallorum genere, per Reges Austrasiæ, quorum posteri ex Sigeberto exule, ac profugo, Theoberti, seu Theodoberti (nothi secundum aliquos) Regis Austrasiæ VII. filio, quorum posteri Duces exindè Alemanniæ dicti sunt, ex quibus mox Comites de Habsburg exierunt. Neque tamen tot virorum placitum, hucusque acerrimè defensum, ausi sumus tanquam omninò improbabile assertivè damnare, sed potius in sua probabilitate, & fide lubenter relinquere. Quare sicuti Auctores primæ Sententiæ de Origine Domus Austriacæ Albertum Divitem Romanũ faciunt, ita sectatores secundæ ejus Conjugem Habsburgicam (supposito quod fuerit Wernerij II. gnata) Gallicam radicali genere affirmarent sine ulla controversia inter sese, licet Guillimannus illis non adstipularetur. Neque ab ejus Perleonistæ Frangipanistæ dissentirent, cum tota illorum concertatio circa solum Albertum Excurs. VIII.

Henn in loco mox citando.

Divitem versetur. Quia verò Habsburgensium Comitum stirps veluti amplum quoddam Seminarium aliarum celeberrimarum familiarum extitit, ex ea enim prodiere Duces Burgundiæ, Zaringiæ, Taccenses; Comites Hollandiæ, & Zelandiæ, Serenissima Austriorum Principum soboles, Comites quoque Tyrolenses, & Lauffenburgenses, Kiburgenses, &c. Sufficiet omninò hoc loco àGuntramo I. hujus nobilissimæ Fœminæ serie Genealogicâ stirpem tali modo ordinare.

Familiæ illustres è Comitum Habs. exortæ.

Ex Henn. loco citato pag. 265.

Guntramus I. Fortissimus Comes Altbergensis, & Habsburgensis VII Landgravius Alsatiæ, & Dynasta Lauffenburgi, defunctus A. C. &c. Scuto obliquè rotundo, in quo noctua sedet in virescente ramulo, trunco arboris & macheræ imposito cum inscriptione, Non solum nobis, pro Symbolo usus est. Ejus Vxor N. Comitissa Burgundiæ.

Ejus Symbolū.

Luithardus Religiosus, qui & *Leuthardus*, *Leucardus*, & *Luitgardus* Guntrami filius primus (alij Hunifridi) Comes Habsburgensis, vel Habensburgensis VIII. & Alteburgius, unde Nortgoviæ, Suntgoviæ, Ergoviæ, Mortinoviæ, & Turgoviæ Principes. Obijt A. C. 895. Vxor Erentrudis Comitissa Franciæ, vel Bertha, Regneri Lotharingiæ Ducis filia. Leonem unguibus clavam frangentem, & ori admotam cum inscript. Pro æquitate, habuit pro Symbolo. Alij fratres Luithardi fuere Wolfgangus, Comes Dagspergensis, Sigismundus, & Emfridus.

Symbolum.

Luitfridus Laudatissimus tertionatus Luithardi, Comes Altbergensis & Habsburgensis IX. Landgravius Neomagensis, obijt A. C. &c. Ejus Symbolum fuit Equus transiens duas columnas, sed sinistræ freno alligatus cum inscript. Hæc vera potentia. Vxor Bibrada Comitissa, mortua A. C. 929.

Symbolum.

Hunifridus Honoratissimus ejus primògenitus, Comes Altbergensis & Habsburgensis X. qui mortuo Fratre Luitfrido A. C. 954. Leuthardis Marito Comiteque Sundgoviæ & Mortinoviæ, his Comitatibus successit: Landgravius Alsatiæ. Mortuus A. C. &c. Symbolo usus est testudine Scuto celato, aquis innatante, & sole desuper radios suos in eam vibrante cum inscript. Sic immersaberis. Vxor Anastasia, Marchionissa à Ransperg in Suevia. Ejus fratrem tertiò natum faciunt Hugonem Comitem Egenshemensem, Dynastam in VVilertall & Lebertall ratione Vxoris, quæ fuit Hedvvigis, Filia Hugonis Magni Comitis Ergoviæ, bisavi Brunonis, Episcopi Tullensis, & Pontificis Romani, Leonis IX. dicti.

Symbolum.

Guntramus II. Modestus, & Dives cognomento, Hunifridi honoratissimi primògenitus. Huic fuerunt fratres Eberardus Comes Brisgoviæ, à quo Lazius Zaringiæ Duces deducit (uti Stumpfius, & alij, sed diversimodè) per Bertoldum Barbatum secundogenitum, & I. Ducem Zaringensem, cui Henricus III. Imperator promisit Sueviæ Ducatum, & Matrimo-

Origo stirpis Zaringiæ.

Matrimoniũ filiæ; & Rothardus Comes. Iste Guntramus Comes Altbergensis & Habsburgensis XI. Nordgoviæ, Ergoviæ & Turgoviæ Princeps floruit circa A.C. 950. Caniculã, adversus quam se se anterioribus pedibus elevat Elephas, cum inscript. Tempore & assiduitate pro Symbolo habuit. Stumpfius ex annalibus Cœnobij Murhi hunc Guntramum, quem ipse divitem, alij modestum nominant, facit stipitem Comitum Habsburgensiũ, & Archiducum Austriæ, &c. & Superiores, vel majores hujus ne gligit. Quod intelligitur juxta secundã sententiã, quã principalior omninò respuit. Vxor prima Guntrami II. N. Comitissa Brigantina, genere Monsfortij, cujus nomen deperditum est. Secunda verò ITHA, filia Adalberonis Comitis à Kalau, vel Calbensis: ex quibus nati sunt quatuor filij, nempè Berthilo Dynasta in Streichburg, &c. Vnde Stumpfius & alij, relicto Heberando patruo, Zaringiæ Ducum Genealagiam incipiunt. Cunzelinus quasi parvus Conredus, Comes Ergoviæ, qui floruit circa A. C 970. Vxor N. Comitissa Sonnebergensis, ex qua duos filios, de quibus inferius, genuit. Gebiczo, vel Gebeson, & Beczo Fortissimus, vel Bezelinus Comes Altbergensis, & Habsburgensis XI mortuus A. C. &c. Symbolum ejus Taurus sylvester rete fugiens cum inscript: Conscia virtus. Huic præter Rapatonem & Rudolphum (qui tamen Cuntzelini sunt filij) ex diversis conjugibus (plures enim habuit) etiam hi ascribuntur. Wernerus, vel Werengarius Antistes Argentinensis. Bertholdus I. Barbatus Dux Zaringiæ I. juxta Hieronymum Gebu iterum; Margarita, nupta Menegoldo Comiti Kiburgensi, cui Bertholdus affinis Brisgoviam ademit. Richenza, Vxor Comitis Lentzburgi ad Arulam. Beczelinus: Egino Comes, Vxor N. Comitissa Taccensis; Theodoricus hic fortè jungendus. Nam Rapatonis ut sit filius quemadmodum Lazius vult, & tempora & conjugia non ferunt,

Symbolum.

Ab hoc Guntramo II. deducit Stumpfius originem Austriam.

Symbolum.

Rapato Constans, vel Rapeto Comes Altburgensis & Habsburgensis XIII. vel natus major Bezelini Fortissimi, vel ut alij, & melius, Nepos ex fratre Cunzelino secundogenito. Fuit frater Rapatonis Rudolphus I. Ergoviæ, & Sundgoviæ Comes, cui Vxor Adelheidis, Comitissa à Vroburg. Extitit etiam Rapato Ergoviæ, Briscoviæ, & Alsatiæ Princeps, in hac enim multa oppida, vicus, & pagos donatos accepit à Wernero patruele, vel fratre Episcopo Argentinensi. Cœnobium Murhi propè Lucernam in D. Martini honorem condidit, vel munivit, & novam arcem Habsburgensem ad Arulam non procul à monte Vocetio ædificavit Obijt A.C. 1034. Symbolo usus: Pisce marino rete capto capite libro super aquas natante, quod manus è nube desuper attingit cum inscript: Timentem time. Vxor ejus honestissima & pijssima Matrona fuit ITHA, vel Richenza, filia Caroli Salmensis Ducis Lotharingiæ, de quo in altera tertiæ Conjugis Alberti Divitis Genealogia.

Symbolum.

Wernerus I. Liberalis, & Pius, qui etiam Warengarius, Varangerus, Bernherus, & Berengarius nominatur, Ergoviæ & Habsburgi Comes XIV. ac Primogenitus Rapatonis. Obijt A. C. 1096. pro Symbolo habuit Ventos duos, arborem folijs nudantes cum inscript. Facilis jactura. Fratres hujus VVernerij fuerunt Otho, Albertus I. & Richenza, nupta primò Vlrico Comiti à Lenzburg, deinde VVernero de Baden, ex qua orti sunt VVernerus, Arnoldus de Baden, Pater Richenzæ, vxoris Vlrici Comitis Kiburgensis. Vxor VVerneri I. fuit Hildegardis Comitissa Pfyretarum, ex qua orti sunt VVernerus Habsburgius, qui, vivo adhuc Patre, Lauffenburgum in possessionem accepit, Lotharingiæ Dux nominari voluit ob jus, quod avia in Ducatum istum habuit. Alij sacris hunc initiatum putant, & Episcopum Argentinensem factum. Albertus II Iudenthæ conjux.

Symbolum.

Otho Prudens Ergoviæ & Habsburgi Comes XV. cujus Symbolum Manus è nube Leonis jubam indice tangente cum inscript. *Paulatim:* Et ITHA nupta Comiti à Thierstein. Vxor Othonis fuit Hilla, vel Sybilla Comitissa; ex qua ortum habuere

Symbolum.

Wernerus III. alij Verutherus, vel Bernherus Justus Comes Ergoviæ, & Habsburgi XVI. Obijt A. C. 1159. sepultus in cœnobio VVettingensi, quod Ave Maris Stella nominatur, in cujus fabrica magnifica dona contulit. Symbolum ei fuit Aper currens, & ex adverso mucro hastæ cum inscript. Vna Salus. Ejus fratres Rudolphus Habsburgi Comes, & Adelheidis Vxor N. Comitis ab Hovunburg & Fricktal (alij Popponis Comitis Hennebergij) Conjugem habuit hic VVernerus N. Baronissam à Starckenberg. Ex qua, juxta illorum placitum, qui Albertum Divitem non Romanum sed Habsburgicum Helveticumque sanguine, & hæreditate faciunt: Comitemque Ergoviæ & Habsburgi XVII. genuit hunc Albertum, Richensam, nuptam Theobaldo Comiti à Pfyrt, & Gertrudem, elocatam N. Montisbelgardo Comiti.

Hic Wernerus II. dici debet & non III. ut superius adnotatum est.

Qui verò eundem Comitem Albertum Romanum dicunt ex gente Perleonia, asserunt cum Alberto de Bonstetten citato unam ex primis duabus ejus uxoribus filiam natam majorem VVerneri II. fuisse, pro qua presens Genealogia jacta est. Apud Hennig. Richensam, & Gertrudem filias hujus Verneri, Maritis traditas, & etiam sine liberis invenio. Vnde potest esse, quod Richensa natu major conjux fuerit Alberti Romani post mortem viri ejus primi, ac in statu viduali ducta. Obijt Albertus Dives A. C. 1199. ut tradit Guillimannus, quod versimilie videtur D. Dominico Abbati, alias dato. Pro Symbolo usus est Arbore arida, in cujus ramo inferiori ad dextram sedet alis expansis Aquila, superiore Noctua cum columba,

Nota.

Gen. 6. in fine.

Symbolum.

ba, quæ etiam alas expandit, insistens in utroque columba alis expansis, cum inscript. Ego movebor. Quod Symbolum in Gentilitio penultimo una cum alijs omnium Principum Austriacorum, jacto in unoquoque proprio schemate cum ejus declaratione, Nnmineadjuvante, dabimus.

GENEALOGIA

Ithæ, Filiæ Rudolphi à Pfullendorff, & Bringantia, ac novissimæ Alberti Divitis Conjugis.



Vjus nobilissimæ Fœminæ generis gradus ex familia Rhynfeldensium Comitum hoc modo ordinandi sunt. Richensæ, vel Richelitæ, sive Richildis, Chunonis Comitis Oeingensis filiæ duo fuerunt mariti, Carolus scilicet Salmensis Dux Lotharingiæ & *Henn. loc. cit. pag. 269.*

Theodoricus Comes Habsburgensis, patruelis ex patruo Bezelino Rapatonis Constantis Pulsus Lotharingia Rhynfeldam primus construxit ex dote, & hæreditate uxoris suæ, viduæ Caroli Salmensis Comitis, & Ducis Lotharingiæ, unde ipse, & posteri Comites Rhynfeldenses nominati sunt. *Rhynfeldæ constructio, unde ejus Comites.* Carolus hic genuit ex eadem Richensa septem liberos; nimirum Itham, vel Richensam, Rapatonis Comitis Habsburgensis Conjugem, VVernerum Episcopum Argentoratensem, Theodoricum Ducem Lotharingiæ, Gerhardos duos, alterum A. C. 1017. defunctum, alterum verò Comitem Egesheimensem, Vlricum, & Stephanum. Theodorico autem per ipsammet Richiensam extitit Primogenitus

Chuno Comes Rhynfeldensis mortuus A. C. &c. cui fuerunt fratres, Mechtildis, Vxor Luderi Comitis Stadensis & Marchionis Brandeburgensis, & Vlricus Rhynfeldensis Comes, maritus N. postremi Lontzburgensis ad Arulam Comitis filiæ, quem Comitatum etiam in suam familiam transtulit. Ex Chuno per Conjugem Itham orti sunt.

Rudolphus Comes Rhynfeldensis, & Advocatus Imperij, constitutus ab Henrico III. Imperatore; apud Turengum Dux Sueviæ ab Henrico IV. Imperatore: *designatus à Germania Proceribus in locum Henrici IV. ejusdem, à Gregorio VII. excommunicationis fulmine jure merito instar Ecclesi. hostis plexi, at neque inauguratus neque coronatus.* Sed circa Elistrum Mysiæ victus, obijt Martisburgi A. C. 1080. Et etiam ortus est Adalbertus, qui ex Monacho S. Galli, vel S. Blasij Episcopus Wormatiensis electus est. A. C. 1065. Suffocatus stupenda corporis pinguedine (Tanta enim crassitudine fuit, ut aspicientibus horrorem magis

gis incuteret, quam admirationem injiceret) A. C. 1070. Tres habuit Rudolphus Vxores, Adelheidem, Othonis Marchionis Italiæ filiam, & sororem Berthæ vxoris Henrici IV. Imp. mortuam cum esset constitutus ab Henrico III. Imp. advocatus Imperij, Agnetem filiam ejusdem Henrici III. Imp. Et postremò Adelheidem alteram, filiam Guillelmi (alij Reginaldi) Burgundiæ Comitis ex Comitissa Vroburgensi, Sororem Beatricis Imperatricis Germanam. Filij ex prima Vxore.

Bertoldus, Otho. ambo, Patre defuncto, interempti, Comitatusque Rhynfeldensis ad Sororem germanam Agnatem devolutus est. Bertha nupta primo Vlrico III. Comiti Brigantiæ, fundatori Albæ Augiæ Brigantinæ, ac filio unigenito Vlrici II. Comitis Gamartingensis, & Brigantini, qui successit Hugoni sine liberis mortuo: Ac deindè Sigefrido II. Marchioni Brandeburgensi. Mathildis Vxor Ernesti Marchionis Austriæ novæ ad Danubium in Horico. Ex tertia conjuge natæ sunt Rudolpho duæ tantum fœminæ, nimirum Agnes Vxor Bertholdi Ducis Zaringiæ, qui comitatum Rhynfeldensem accepit: Et Adelheidis, nupta Colomanno Regi Vngariæ. Bertha autem, primogenita ex prima Vxore, genuit cum Vlrico III. primo ejus marito Vlricum IV. Brigantinum, qui nupsit Irmingardi filiæ Alberti II. Comitis à Kalvu vel Calbe. Vlricus IV. genuit Rudolphum Comitem à Pfullendorff & Brigantia, Rudolphus verò factus maritus Wulffildis, Henrici Nigri VVelphonis Bavariæ Ducis filiæ, genuit Rudolphum Comitem à Pfullendorff & Brigantia, Itham Alberti Divitis Ergoviæ, & Habsburgi Comitis Vxorem, & Hugonem Palatinum in Sigmaringen.

Itha conjux Alberti divitis 3. est etiam ex materno sanguine Habsburgica.

Itha ergo genere materno per Bertham, filiam Rudolphi Comitis Rhynfeldensis & Imperatoris designati ex prima vxore Adelheide Habsburgica est. Eo quia Theodoricus, ut diximus, filius fuerit non Rapatonis Constantis Comitis Altbergensis, & Habsburgensis XIII. sed potius Bezelini ejus Patrui Comitis Habsburgi XII.

MATRIMONIVM II.

Iste Rudolphus primus est post Albertum parentem in ordine ad connubia.

Rudolphus I. Comes Ergoviæ, & de Habsburg. XVIII. Alberti Divitis Romani unigenitus cognomento Taciturnus duxit Agnetem, Gothofridi Baronis de Stoffen filiam.



Vperius ex tabula Henningiana duos alios Rudolphos genealogicè annumeravimus: alterum Cunzelini, secundògeniti Guntrami II. Modesti filium, alterum verò Othonis Prudentis tertiògeniti VVernerij I. Liberalis. Quia tamen uterque illiberis mortuus est, imò secundus & innuptus, idcircò ubi

ubi apud Henningium Rudolphus iste Taciturnus, qui Landgraviatum Kiffenbergensem familiæ suæ addidit, tertius est, apud Genealogiam D. Dominici Abbatis est primus. Quæ Genealogia Rudolphi Vxorem & liberos his verbis consignat. Rudolphus per Agnesam filiam Gotfridi Baronis de Stoffen, quod est inter Wormatiam, & Spiram, genuit Albertum, Rudolphum, Wernerum, Helwigam, Gertrudem, Vxores Hermanni & Ludovici fratrum, Comitum de Froburg. Ab isthoc Matrimonio desumenda sunt exordia radicalia connubiorum lateralium tam masculorum, quam fœminarum familiæ Habsburgicæ Lauffenbergicæ, & Rynfeldensis. Hinc Roo ubi agit de eo, hæc annectit post traditionem eorundem quinque filiorum Rudolphi. Lazius Gertrudim Ludovico Comiti à Vochburg & Helwigim Hermanno Comiti à Freyburg elocatas esse scribit. Wernerus sine prole obijt. In reliquis duobus divisa stirps est. Ex Rudolpho qui sunt nati, Habsburgij & Lauffenburgi titulo contenti fuere usque ad Ioannem IV. qui ultimus sui stemmatis obijt circa ann. 1166. Wernerus Sangallensis Abbas collegij sui præfecturam (Advocatiam vocant) ea lege tradidit, ne illam cuiquam beneficij nomine conferre Comes posset. Hæc Roo Ioannes vero Seifridus explicans Ramum 17. ac postremum Arboris Anicianæ, caput illud 20 hoc modo intitulat. *Gens Anicia Habsburgica Lauffenberga, & Rynfeldensis, subditque protinus.*

Hic Rudolphus Landgraviatum Kiffenbergensem familiæ suæ addidit.

Generat. VII.

De familijs Lauffenbergicæ, & Rynfeldensis.

Roo lib. 1 pag. 6. sub. ann. 1190

Lib. 3. pro ut in 1. Gentil. Excur. 7. divis. 6.

Pervenimus tandem, Deo auspice, ad ipsum Arboris Anicianæ culmen, supremosque ejus ramos attigimus, gentem nimirum Lauffenbergam & Rynfeldensem, cæterasque gentis Habsburgiæ propagines, quæ ex ea pullularunt postquam ipsa in stirpem Aniciam Perleoniam per connubij insitionem est transplantata; qua de re nostram sententiam firmavimus libro primo. Etsi autem plures familiæ genus suum retulerint ad stirpem Perleoniam Habsburgicam, eæ tamen vel gente dumtaxat materna ab ea sunt oriundæ, vel non in tot Genealogiæ gradus excreverunt, ut inter maiores arboris Anicianæ ramos sint numerandæ; præter hanc, de qua agere cæpimus, gentem Lauffenbergam; & nobilissima illa florentissimaque ejusdem stirpis germina, quæ hoc nostro ævo una cum Austriaca prosapia in summo dignitatis vertice sunt constituta; germen, inquam, Hispanum à Carolo V. Imperatore maximo & felicissimo proseminatum, & Tyrolense ac Styrense à duobus Ferdinandi Filijs in hodiernum usque diem propagatum: quorum series & successio cum sit notissima, pluribusque nostri temporis scriptoribus celebrata, sola dumtaxat Genealogiæ ipsorum schemata hic describemus. Porrò hæc, de qua agimus, Comitum Habsburgentium, & Lauffenbergensium familia ortum habuit à Rudolpho Patruo Rudolphi I. Imperatoris, qui tres habuisse filios in antiquo Monasterij *Maristellæ* instrumento reperitur. Rudolphum nimirum Canonicum Ecclesiæ Basileensis, Gotfridum, & Eberhardum, à quibus deindè cæteri Comites Habsburgici, qui præter Austriacos Principes, posterioribus tem-

Videat lector loc. eod.

Lib. cap. 12. Excur. 4. Sect. 2. sub. 3. errore.

poribus in Helvetia floruerunt, sunt profecti. Instrumentum quod Stumphius in magno Helvetiorum Chronico, & nos etiam primo libro scripsimus, id clare probat. In Gentil. I. ipsum quoq; attulimus, licet ejus mediũ, non autem principium, quod est hujusmodi. *Comites de Habsburg, videlicet Rudolphus Landgravius Alsatiæ; Rudolphus Canonicus Ecclesiæ Basiliensis; Gotfridus, & Eberhardus fratres, ejusdem Landgravij patrueles, Vniversis, &c.* Igitur concludit Seifridus: Comitum Habsburgensium familia in filijs Rudolphi hujus nominis II. Comitis Habsburgici & nepotibus Alberti I. Divitis cognominati in duas divisa cognationes, utraque ad posteros propagata est: una quidem ab Alberto sapiente Rudolphi I. Imperatoris patre, quæ deindè ab Austria Austrium cognomen accepit, cujus propagationis seriem libro septimo describemus: altera à Rudolpho Rudolphi Imp. patruo, cujus Genealogiam texit Stumphius; sed in 4. Matrimonio ex Hennin nos eam dabimus. Advertendũ tamen, tabulam Stumphianam discrepare cum alijs aliorum Chronologicorum in hoc, quia Rudolphum taciturnum, Alberti sapientis fratrem, nepotem cum eodem Alberti Divitis facit, filiumque alterius Rudolphi ab eodem Alberto Divite geniti. Subditque Rudolpho taciturno quinque liberos, nempè Wernerum sine liberis, Rudolphum Episc. Constan. Gotfridum, Othonem, & Eberhardum Comites.

MATRIMONIVM III.

Bertha soror Rudolphi Taciturni, nepos Alberti I. Divitis, ac Amita Alberti II. Sapientis, Patris Rudolphi I. Imperatoris, Vxor fuit cujusdam Comitis Leyningensis.

MATRIMONIVM IV.

Origo stirpium Lauff. & Rynf.

Rudolphus II. Rudolphi Taciturni tertiògenitus Comes Habsburgensis, Alberti sapientis Frater, Patruusque Rudolphi I. Imper. conjugem habuit Gertrudam (alij Bertham) filiam Lutholdi Comitis à Regensperg.



Loc. cit. pag. 291.

Mortuo Wernero fratre sine prole, ab hoc Comite Habsburgico, ut paulo ante adnotatum est, Rhynfeldensium, & Lauffenbergensium Comitum origo. Hunc Henningius Comitem etiam Rhynfeldensem nominat, necnon & Seckingen-

ekingensem Advocatum, mortuum A. C. 1241. Vbi totam illam tabulam Genealogicam ordinat ex ejusdem Rudolphi posteritate per eandem Conjugem Gertrudem, vel ut alij Bertham, ex qua ortum duxit

Alia VIII. Matrimonia.

Gothofridus I. Comes Habsburgensis Lauffenberg, Seckingen, & prefecturam terræ GLARIS feudi loco ab Abatissa Seckingensi accepit, mortuus A. C. 1273. tunc quando Rudolphus III. ejus patruelis creatus est Imperator. Vxor ejus Elisabetha, ex qua tres liberi orti sunt, *Rudolphus* VII. (ita dictus ab Henning. qui alios Rudolphos numerat, respectu Rudolphi V. Imp. & etiam VI. hujus filij, ejusque consaguineorum, ille in 3. gradu, hic verò in 4.) Comes Habsburg & Lauff mortuus A. C. 1314. *Elisabetha* nupta Baroni Ochsenstenio *Gothofridus* II. Comes Habsburgensis. *Rudolphus* VII. Vxorem duxit Elisabetham, filiam Rudolphi ultimi, vel posthumi Comitis à Rappersvvil, & Wandelburg. Ejus filij fuerunt *Rudolphus VIII.* Comes Habsburg. Palatinus Burgundiæ, & Imperij Vicarius in Arelato, obijt A. C. 1314. *Joannes I.* Comes Habsburgensis, Dynasta Louffenburgensis in Rappersvvil, & Marcha, Hæres enim fuit fratris, & Werneri de Homberg cognati sui, mortuus A. C. 1337. ejus Conjux tres masculos illi peperit. *Ioannem II.* Comitem Habsburg. Dynastam in Rappersvvil. *Gothofridum I.* Comitem Habsb. & Louffenburgensem, qui arcem Rappersvvil, jam eversam cum Civitate, Rudolpho, Friderico, Alberto, & Leopoldo Austriacis vendidit A. C. 1358. mortuus 1373. Et *Rudolphum* IX. Habsburg. & Louff. Dynastam in Rappers. & Marcha. Vxor ejus Elisabetha Comitissa à Montau, ex qua natus est *Ioannes* III. Senior Comes Habsb. & Louff. Landgravius Sisgoviæ, Dynasta arcium Wartenberg, & Mtuterz, quas pignoris loco possedit. Mortuus A. C. 1380. Ex Ioanne Seniore natus est per N. *Ioannes* IV. junior, ultimus Comes Habsb. in hac linea, Landgravius Klætgoviæ circa A. C mortuus 1403. cui Vxor N. peperit *Vrsulam*, nuptam Comiti à Silz, qui hoc connubio Landgraviatum Klætgoviæ accepit. Hactenus Henningius.

Henn. ibidem pag. 441. ab Lauffenberga Lauffenbergenses Comites.

Ejus Vxor, & liberi.

Hujus Dynastæ stemma apud Henn. loco cit. pag. 441.

Itaque ab anno 1241. in quo obijt Rudolphus IV. Rudolphi Taciturni filius, usque ad Ioannem juniorem, cujus mors anno 1403 contigit, VIII. Matrimonia inveniuntur, ut videre est. Quæ licet propofuerim seorsim rescribere, tame res merè supervacanea dein mihi visa est, ac propterea ad alia pertransire operæ pretium duxi. Sed expletis conjugijs hujus lateris, deveniendum ad illa Hedvvigis, ac Gertrudis Sororum, atque Rudolphi Taciturni filiarum.

MATRIMONIVM XIII.

Hedvvigis, Filia Rudolphi Taciturni, Comitis Ergoviæ & Habsburgi XVIII. Alberti Sapientis ſoror, & Rudolphi II. præfatæ lateralis lineæ conditoris, atque Amita Rudolphi I. Cæſaris nupſit Hermanno Comiti à Friburg.

MATRIMONIVM XIV.

Gertrudis, Soror Hedvvigis ſupradictæ, nupſit Ludovico à Froburg, vel Homberg.

MATRIMONIVM XV. TRIPLEX.


Albertus II. Sapiens, & exulator, Ergoviæ & Habsburgi Comes XIX. Primogenitus Rudolphi Taciturni, & primus Landgravius Alſatię tres uxores ſumpſit: Hedvvigem, Vlrici Comitis Kiburgenſis Filiam, & duas Comitiſſas, alteram ab Egenesheim & Willertal, alteram verò Montis-fortis

---

Hening. loco citato.

Ejus Symbola.

Proles ex I. Conjuge.




Omes iſte in diviſione, cum fratre facta, Ergoviam, Turgoviam, & Landgraviatum Kiſſenbergenſem retinuit, quibus adjunxit Provincialem Comitatum, ſeu Landgraviatum Alſatiæ. Vſus eſt duobus Symbolis, in quorum primo Gallus cum pullis aſpiciebat ſupra ſe collocatum miluũ. Inſcriptio, Dulce & decorũ eſt. In alteroMare erat, ſe extollens, atq; dicteriũ, Non habet unda Deos. Ex prima Cõjuge certiſſimè ſex liberos genuit, ſed fortè quatuor ex altera. Illi fuere Albertus Canonicus Conſtant. juvenis mortuus. Hedvvigis, quæ Bertha ab aliquibus nominatur, duobus nupta, ut infra patebit. Carolus Canonicus Baſilienſis, qui obijt in juventute. Martha Monialis. Rudolphus Comes Habsburg. XX. & I. Imperator hujus nominis. Albertus captus in obſidione Parmæ, & mor-

& mortuus fœtore carceris, cum ut vir militaris suppetias tulisset Conradino Duci Sueviæ, regnorum Siciliæ, & Apuliæ Hæredi. Filij verò ex altera Conjuge, sed non certi apud omnes Hartmannus, Henricus, Agnes, Comitissa Burgundiæ, & Elisabetha, Uxor Eitelfriderici I. Comitis Zollerensis, de cujus familia paulo post. Proles ex altera Conjuge.

GENEALOGIA HEDWIGIS

Primæ Conjugis Alberti II. sapientis, & Matris Rudolphi I. Imperatoris.



Enus huj⁹ felicissimæ Conjugis pendet ab illis nobilibus, qui *Dilingenses de Werdea*, Kiburgenses, & Winterthurenses Landgravij Alsatiæ fuerunt. Graduatio in Tabula Hennigiana est hujusmodi. Henn. loco cit. pag. 295.

Hartmannus Comes à Dilingen, & Werdea vixit sub Arnulpho Imperatore circa A.C. 890. Uxor Hildegardis, ex qua genuit duos filios, quorum alter fuit S. Adelbero, vel Albertus Præpositus Elfangensis, ac deindè Episcopus Augustanus electus A. C. 904. Ludovicum IV. Imperatorem in moribus informavit, S. Vdalricum instituit, obijt A.C. 922. Vir eximiè doctus, & musicus insignis. Primus autem filius fuit *Hugobaldus*, sive *Hupaldus* Comes Dilingensis, & de Werdea, qui Uxorem duxit Dietburgem, filiam Rudolphi Regis Burgundiæ, vel Burckardi, Comitis Veringensis. Ex ea orti sunt Burckardus, & Hartmannus, ille Comes ab Helfenstein sedem sortitus est in Geitingen, hic verò II. Comes Kiburgensis, & Winterthurensis, Landgravius Alsatiæ, investitus ab Othone I. Imperatore, vixit circa A. C. 950 Hartmannus ex Adelheide, filia Luitfridi Brigantiæ Comitis genuit quinque masculos, quorum secundus stemma propagavit. Fuere Wolfradus Comes à Kiburg, Manegoldus Comes Kiburgensis, Landgravius Alsatiæ beneficio Othonis III. Imp. Albertus Comes in Achlam, & duos Vdalricos, ambo Comites in Gamartingen, sed alter etiam Brigantiæ, succedens Hugoni, sine liberis mortuo. Manegoldus ex Coniuge Wuria procreauit Warmannum ex Monacho Prçsulem Constantiensem, Eberardum, qui fratri succeßit in Episcopatu, Vlricum, Comitem Kiburgensem, Landgravium Alsatiæ, cui Uxor Richenza filia Arnoldi de Baden, cuique peperit Hartmannum, Vdalricum, & Sigismundum. Vdalricus Comes Kiburg, & Landgravius Alsatiæ Conjugem duxit N. ex qua orti sunt Hartmannus senior, Comes Kiburgensis, Badensis, & Alsatiæ Landgravius, Vchtlandiam accepit à Nepote ex fratre Hartmanno juniore, obijt. A. C. 1264. Uxor ejus N. Comitissa Saubaudiæ, cui testamento legavit Comitatum suum. Ex ea genuit Elisabetham, Uxorem Eberhardi Comitis Habsburgensis, qui & si cum posteris se scripserit Comitem Kiburgensem, Ejus Vxor, & liberi. S. Adelber oEp. Augustanus.

tamen eundem Comitatum non possedit. Wernerus Comes Kiburgensis, & Landgravius Alsatiæ, Vxor Anna Soror Bertholdi V. & ultimi Ducis Zaringiæ. Hartmannus junior Comes Kiburgensis matris hæreditatem, Friburgum Vchtlandiæ, Thun, & Burgdorft occupavit, quæ, ipso sine liberis mortuo A. C. 1236, peruenit ad Hartmannum seniorem. Hedvvigis, sive Heilvigis Conjux Alberti IV. Sapientis, &c. Mater Rudolphi I. Imperat. qui defuncto Hartmanno Seniore Comitatum ejus occupavit. Hactenus Henningius.

MATRIMONIVM XVI. DVPLEX.

Hedvvigis, alij Bertha, filia Alberti Sapientis ex prima Vxore, & Soror Rudolphi Imper. duobus nupsit: nimirum Comiti à Kissenberg, & Othoni Domino ab Oxenstain, cujus stemma, & origo apud Henningium pag. 441.

MATRIMONIVM XVII.

Guillim. cont. lib. 2. M.S. num. 12.

Elisabetha Filia Alberti II. Sapientis ex secunda Vxore, ac soror Rudolphi I. Imp. (ex hac descendunt VII. Burgravij Norinbergenses, & inde Brandeburgi Electores) nupsit Eitelfriderico I. Comitis Zollerensi, cujus hæc est

---

GENEALOGIA ZOLLERANA HENNINGIANA

Ex stirpe Romana Columnensi.

Henning. par. 2. tom. 3. pag. 207.

Alij deducunt hoc Genus ex familia VVelphonum.

Tempus, quo Petrus Columna in Germaniam se trastulit.



PEtrus Columna Patricius, & nobilis Romanus fuit. Ejus stirpem Entzelinus & Reineccius (sed utrum minus probabiliter, vel nec ne, lector judicet) ex VVelphonum Sobole ortam esse volunt. Bertholdo videlicet tertiogenito Rudolphi II. Bavariæ inferioris Duce, sed III. Altorffen, & Ravensberg ex Ithà filia Cunonis, vel Conradi Comitis Oeningensis ad Lacum Brigantinum, nepte Othonis I. Imp. ex filia Richolta, vel Richilde. Temporibus Paschalis II. Summi Pontificis in Germaniam se transtulit.

transtulit, Petrus hic & in Suevia Henrico IV. imperante consedit, & alteram nobilissimorum Zollerensium Comitum familiam hac serie condidit. *Fridericus* ejus filius militavit Henrico IV. Imperatori, ideò ab Imperatore primus Comes *Hohenzollern* constitutus est A. C. 1080. similiter Burchardus frater Friderici circa A. C. sub Henrico V. Imp. 1120. Ioannes tertiogenitus Petri Columnæ refertur in literis A. C. 1130. *Fridericus* Comes Zollerensis filius Burchardi nupsit N. Carinthiæ Marchionissæ, genuitque ex ea *Fridericum* II. Comitem Zollerensem, maritum N. Comitissæ Tubingensis, quæ peperit ei *Fridericum* IV. & *Eitelfridericum* I. Comites Zolleranos. Vxor Friderici IV. fuit Adelheidis, filia Hartmanni Comitis Dilligensis, cujus stirpem delineat Henningius p. 1. pag. 294. ut visum est. Sed Eitelfridericus uxorem duxit Elisabetham, alij Agnetam, filiam Alberti Comitis Habsburgensis, & primi Landgravij Alsatiæ, Sororemque Rudolphi I. Imperatoris. Hactenus Henning. Itaque Domus Columnensis, inter Patricios Romanos adhuc nobilissima bifariè sanguini Rudolphi Habsbur. Cæsaris, Austriacæ Prosapiæ conditoris, copulata reperitur. Nam preter quamquod hæc Elisabetha ejusdem Cæsaris soror extitit, Agnes quoque, Alberti I. Imperatoris filij sui genita, Nepos ejus fuit, & tamen hæc Fridericum Columnam, ut dictum est Gentil. 1 & etiam suo loco expressius dicendum, in *primum conjugem* duxit. Eitelfridericus I. ut ad Henning. redeamus. *genuit* ex eadem Elisabetha Bertholdum, cui Vxor N. Comitissa Montisferrati. *Eitelfridericum* II. Comitem Zollerensem. Elisabetham, Vxorem N. Comitis VVirtenbergici, & Barbaram nuptam N. Comiti à VVerthaym. Eitelfridericus II. propagavit stemma paternum usque ad Eitelfridericum V. primum Judicem Cameræ Imperialis, ac maritum Magdalenæ Friderici III. cognomento Crassi Marchionis Brandeburgensis, Burgravij Næribergensis. Hinc, teste Arnoldo VVione, Brandeburgij, qui à Zolleranis Comitibus originem ducunt, ab eodem Petro Columna se progenitos gloriantur.

Locus unde Zollerenses Proceres Romani dicti

Stirps Romana Columnensis duplici affinitatis vinculo juncta est soboli Rudolphi I. Imp.

Excur. XI. grad. I. pag. 262.


Consule eũdem Henn p. 2 loco citato pag. 209.

Vide eũdem ibi. pag. 209.

In opus. §. 4. dat. in I. Gentil.

EXCVRSVS III.

De Conjugijs masculorum Principum Austriæ, propagantium stemma vel non propagantium, à Rudolpho I. Imperatore usque ad superstites Archiduces Annorum spatio 409. celebratis.



Xplicatis utriusque sexus Matrimonijs Habsburgiacis tam rectæ lineæ, quam etiam lateralis, unde stirps Lauffenbergica, ac Rynfeldensis, ab Alberto Divite Romano usque ad Nepotem Albertum sapientem, propositisque germinibus lateralibus usque ad Ioannem ultimũ Comitem de Habsburg

per

per Rudolphum alterum, primi, cognomento Taciturni filium, nunc deveniendum ad Matrimonia Rudolphi I Imperatoris, & omnium posterorum masculæ sobolis, quæ ad tantum Parentem suum Austrium genus felicissime refert. Princeps conjugium hujus secundi ordinis plusquam nonnulla alia ex sequentibus durum negotium nobis facessit, eo quia cum Guillimanno, sententiam communem de Rudolphi conjugibus non absque apparenti fundamento carpente, ac respuente, scriptore perinde laudato, dimicandum.

SECTIO I.

MATRIMONIUM I. DUPLEX.

Juxta Sententiam Communem, triplex verò juxta solum Guilimanni placitum, cujus motiva inferius liquebunt.

Rudolphus Rom. Imper. semper Augustus, Comes Habsburgi, & Kiburgi, avito genere Italus, Alberti Divitis Romani pronepos, ac stirpis propagator; nec non & Sapientis, Martyris à nonnullis vocitati, tertiò natus, cognomento Magnus: Pater & Conditor Domus Austriacæ, duabus uxoribus se copulavit, non autem tribus: Annæ Sueviæ Hohebergicæ, unde tota ejus soboles, utraque origine Itala, & Isabellæ Burgundæ. Alteri 1240. Pontificatus Gregorij IX. anno penultimo, Imperij verò Friderici II. anno 20. Alteri 1284 qui fuit Martini II. annus 3. Imperij verò sui annus 11.

M. S. Guillimanni duobus voluminibus distinctum, nec dum impressum, à quo scriptore completum.



Ntequam Francisci Guillimanni rimarem scripta (de ijs loquor, quæ nondum prælum habuere, neque ab eodem auctore consummationem, quam exindè, comet præmatura morte è vivis sublato, Ioannes Paulus Wndechius SS. Theol. Doctor, & in alma Vniversitate Friburgensi Professor ordinarius, explevit; si ipse quantum ad numerum Conjugum Rudolphi I. Cæsaris tantisper hæsitanter scriberem, proculdubio quilibet historicus, etiamsi mediocriter bonus mente captum me adjudicaret, eo quod rem plusquam certam, & ab omnibus ut talem communissime acceptam, in controversiam revocarem. Omnes siquidem uno ore fatentur, duas tantum, & non plures conjuges habuisse Rudolphum Cæsarem, scilicet

cet Annam Hohenbergicam ab eo cum esset annorum 22. ann 1240. ductam, & Isabellam præfatam, puellam ann. 14. cum ipse jam 66. annum complevisset. Attamen audiant, si placet, præfatum Guillimannum, eorum igorantiam de prima ejus consorte in tabula atque scriptione illius tom. 1. & capitis IX. carpentem. De prima Vxore Rudolphi I. Cæsaris, omnibus historicis ignota. Cujus subjecta ac formalis scriptio, necnon & probatio est ut sequitur. Tradunt quicunque de rebus Austriacis scripserunt, Rudolphum I. Cæsarem duas Vxores habuisse, ANNAM Alberti Hoenbergæ Comitis filiam (Manlius Rudolphum Comitem Hohenbergæ vocat, Cuspinianus Bernardum, Trithemius Burcardum, & ipsam Elisabetham contra omnium opinionem, & addo veritatem) & Agnetem, Othone Burgundiæ Comite genitam. Atque ex Anna quos habuit liberos suscepisse, magno profectò, & intolerabili errore Instrumentorumque ignorantia atque injuria. Nam mihi constat, primo matrimonio *Gertrudem* Burcardi sanè Hochenbergæ, sed & Froburgi Comitis filiam Uxorem ei fuisse, duxissetque eam anno 1245. mense Majo, & secundo Regni anno morte desiderasse, cum novem & viginti in ejus conjugio fuisset, eosque omnes procreasset, qui ab illo Habsburgienses Comites, & Austriacos Principes hucusque propagavere: *Annam* post illam accepisse, & denique *Isabellam Burgundam.* Et de Gertruda res clara ex subjectis documentis, quorum duo priora comprehendunt venditionem Pagi Tengiæ in Brisgovia siti, ab ipso Rudolpho factam, confirmatam ab Gertruda biennio antequam maritus imperaret. Harum literarum ex protographis hæc sunt exempla.

Tom. 1. cap. 12. lib. 1.
M. S. apud me ex hac Biblioth. Archiducali.

Tempus & ætas primarum nup. Rud. 1.
Omnes Rudolphi liberi ex sola Gertruda juxta Guill. cujus loquendi modo deceptus auctor in lib. Italico Antuerp. & in Gentil. 1. numerum 29. ann. quibus Gertruda vixit in conjugio cum Rudolpho, pro filiorũ sumpsit.
Exemplum literarum Gertrudæ.

Gertrudis de Habsburg & Kiburg Comitissa, nec non Alsatiæ Landgravia, universis in Christo fidelibus præsentem literam inspecturis salutem & notitiam subscriptorum. Ne veritas occultetur, ea, quæ fiunt apud homines, scriptura consueverunt testimonio præcaveri. Noverint itaque tam præsentes, quam futuri, quod nos monasterium Cellæ S. Mariæ in nigra silva Ordinis S. Augustini Constansiensis Diœceseos specialis amplectentes prærogativa dilectionis, quamvis ab aliis plus forsan potuerimus habuisse, curiam nostram sitam in villa Teengen in Prisgovia, quæ ad nos ratione dotis vel dotalitij noscitur pertinere, nostri & marito nostro obligatam, viris religionis Abbati & Conventui Monasterij Cellæ prædictæ de bona voluntate, & autoritate nostri mariti & advocati Rudolphi Comitis de Habsburg, & Kiburg, Landgravij Alsatiæ, & consensu nobilium virorum fratrum nostrum Alberti, Burcardi, & Vdalrici Comitum de Hohemberg cum hominibus, vineis, pratis, agris, cultis & incultis, pascuis, aquis, aquorum decursibus, nemoribus, molendinis, districtu, jurisdictione, bannis honoribus, juribus & libertatibus, prædiis, Servitutibus, rusticis & urbanis, & utilitatibus, quocunque nomine censeantur, spontanea voluntate, non vi, neque coactè, neque aliquo timore præcedente vendidimus, & tradidimus pro ducentis marcis puri & legalis argenti, quas confitemur nobis esse appensas & persolutas plenariè à dicto Abbate & Conventu Cellæ prædicta,

 dicta,

dicta, & etiam in nostram utilitatem & nostri mariti R. esse conversas, prædictum Abbatem & conventum in prædicta curia districtus, bannorum, liberatum, & aliorum jurium possessionem vacuam & liberam inducentes, nihil nobis, seu nostris successoribus in dicta curia juris penitus reservatio. Quare nos de consensu mariti nostri expresso, & fratrum nostrorum prædictorum pro nobis & nostris successoribus per juramentum nostrum corporaliter ad S. Dei Evangelica præstitum renunciamus exceptioni non numeratæ pecuniæ, & de argento nobis non appenso vel tradito beneficio restitutionis in integrum, literis impetrandis vel impetratis, consuetudini, auxilio juris Canonici & civilis, actioni cuilibet, & generaliter omnibus exceptionibus, ac si nominatim & specialiter essent à nobis expressa, per quas quidem posset prædicta venditio à nobis, vel successoribus nostris in posterum retractari. Promittimus etiam omnibus supradictis & singulis sæpe dicto Abbati & Conventui nomine monasterij Cellæ S. Mariæ pro nobis & nostris successioribus & alijs quibuslibet de supradictis omnibus tam in foro Ecclesiastico, quam civili nos exhibituros debitam Vuarandiam, & de evictione nos & nostros successores firmiter per nostrum juramentum obligamus, renunciantes omni juri, quod nobis in dicta curia competebat, jus proprietatis, vel quodlibet aliud jus in prædictum Dominum Abbatem & Conventum hilariter transferentes: promittentes etiam per nostrum juramentum, quod de dicta curia in Tuengen vel de suis pertinentiis nullatenus nos intromittemus. In horum omnium evidentiam & testimonium indubitatū duximus præsentem literam sigillo nostri Mariti R. & nostri muniminе roborandam. Testes autem qui huic venditioni & traditioni interfuerunt sunt hi. Clericus de Herwenlingen, Hartmannus de Baldegge & dictus de Ostra milites. Datum, & actum in Brugge Anno 1272. Non. Mart. Indict. 14.

Rudolphus Dei gratia de Habsburg, & de Kiburg Comes, nec non Alsatiæ Landgravius. Universis in Christo fidelibus præsentem literam inspecturis salutem, & notitiam subscriptorum. Ne veritas occultetur, ea quæ fiunt apud homines scriptura consueverunt testimonio præcaveri. Noverit itaque tam præsens ætas, quam futura posteritas, quod nos monasterium, & cætera ut supra paucis mut. mutand. Quare nos una cum sæpe dictis uxore nostra, & fratribus nostris suis pro nobis & successoribus nostris renunciamus exceptioni non numeratæ pecuniæ, & de argento nobis non appenso vel tradito beneficio restitutionis integrum, literis imperatis vel impetrandis, consuetudini, auxilio juris Canonici & civilis, actioni cuilibet, & generaliter omnibus exceptionibus, ac si nominatim, ac specialiter essent à nobis expressa, per qua, quidem prædicta venditio posset à nobis vel nostris successoribus inposterum retractari. Nos quoque una cum Alberto & Burcardo Comitibus de Momberg prædictis, promisus & promittimus sæpe dicto Alberti nomine sui monasterij pro nobis & Gertruda Uxore nostra prædicta & Vlrico fratre ipsius, & alijs quibuslibet de prædictis omnibus & singulis, tam in foro Ecclesiastico quam civili nos exhibituros debitam Vuarandiam & de evictione nos præsentibus obligamus nos Gertruda Comitissa de Habsburg prædicta per juramentum exceptioni pro dote seu Velleiano. Nos quoque Alberto, Burcardo

&

& Vlrico Comites de Hoimberg renunciamus omni juri, quod nobis in dicta Curia competebat, jus proprietatis in prædictum dominium Abbatem & conventum transferentes, promittentes eisdem quod de advocatia nos nullatenus in dicta Curia, vel suis pertinentiis intromittemus, nisi de consensu Abbatis & Conventus prædictorum. In horum evidentiam, & testimonium inhibitarum præsentem confici procuravimus literam. Sigillis venerabilis in Christo patris Domini nostri è Dei gratia Constant Episcopi nostrorumque & Vxoris nostræ sæpedictæ Alberti, Burcardi, & Vlrici fratrum de Hohinberg, ac nobilium virorum avunculorum nostrorum C. & H. de Friburg, & de Tirstenberg comitum fideliter communitam. Nos è Dei gratia Constant. Episc. ad petitionem prædicti Comitis de Habsburg & Vxoris suæ Gertrudis nostrum sigillum duximus præsentibus apponendum. Nos Gertrudis Comitissa de Habsburg Alb. Burg. & Vlrici fratres prædicti, præscriptis consensum adhibentes cum de nostra & cum nostra processerint voluntate, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Nos C & H. fratres de Friburg & Tirstenberg Comites ad petitionem prædicti virorum nobilium Rudolphi de Habsburg, Alberti, Bur. & Vlrici Comitum de Hoimberg, sigilla nostra duximus præsentibus apponenda. Testes autem qui huic venditioni & traditioni interfuerunt sunt hi. C. & H. in Friburg & de Tirstenberg Comites. C. de Hervvelinga Clericus. Magister de Burgge C. dictus Buzze. Magister Vualterus Scholasticus in Friburg, Vuarnherus, & Vulterus milites de Valckenstein ... dictus Mainvardt - - - . dictus Lango, & filius suus, R. dictus Revueli Datum & actum in Civitate Friburgensi sita in Prisgovia Anno Domini 1271. Cal. Martij Institutione decima quarta.

Post horum Instrumentorum, monumentorumque enarrationem statim ut suam stabiliat Auctor sententiam, istum paragraphum annectit. Loco citato §. unico.

Demonstratio Gertrudam citra dubitationem fuisse Rudolphi I. Vxorem. **Fuit igitur, inquit, Gertruda Rudolphi Habsburgij ejus, qui postea imperavit, neque enim alius ante ipsum Rudolphus Comes Habsburgij simul & Kiburgij Alsatiæque Landgravius, quod in Habsburgiacorum opere pluribus demonstravimus. Sed ut ne sic quoque tamen dubium ullum restitet, quin & Gertruda fuerit eadem; quæ Rudolphi Regis Romanorum in matrimonio primis annis regni egit, tertium ex ipso quoque authographo instrumentum apposui in quo Regina ipsa nominatur, duodecimo die ex quo Rudolphus Rex appellatus. Cum enim Rudolphus ut etiam in Habsburgiacis scripsimus in obsidione Basiliensi Rom. Rex 3. Cal. Octobris renunciatus esset, & eodem tempore apud pontem Arulæ, ut fermè solitabat Gertruda agere, ad eam è vicinia viri primores utriusque ordinis multi gratulatum, & obedientiam, obsequiaque præstitum adiere. Inter illos Vualterus II. fuit Abbas Montis Angelorum Vallis Silvaniæ, qui multa in suo monasterio Friburgens. & Habsburgicorum Comitum esse beneficia rerum reputans, rogare Reginam institit, uti ob suorum Maiorum memoriam, & in eorum honorem monasteriũ pro-**

Citat Habsburg ubi egit de Rudolpho.

Anno 1273.

tegendum suscipere dignaretur, simulque prohibere, ne monasterij pascui montes vim & injuriam, à finitimis præsertim Vranijs capiant & patiantur. Illa ad ministrum (Amannum nunc vocant) Vraniensem ita rescripsit.

Ex autographo. Literæ Gertrudis jam salutatæ Rom. Reginæ.

Gertrud Comitissa de Habspurch, de Kiburg, *Alsatiæque Landgravia, nutu Dei in Reginam Rom. electa Burcardo ministro suo, ceterisque hominibus ac ministris universis Vallis Vraniæ suam gratiam. Cum nos dilectos in Christo regulares, Monachos in Engelberti Ord. S. Benedicti, cum personis & rerum omnium facultatibus in nostram protectionem receperimus specialem, Universis vobis præcipimus & mandamus quatenus dictam protectionem nostram taliter observare velitis, sicuti nostram diligitis gratiam & amorem, maxime in Alpibus secundum quod hactenus regio Imperio tuebantur &; pro ut in suis privilegijs ab Imperio privilegiati sunt. Datum in Bruggo Anno Domini 1273. 6. Idus Octob.*

Hoc expleto argumento, pergit statim ad caput X. cui titulus

Loco cit. cap. 10.

De Comitatu Froburgensi, ac Hoenbergensi, unde genus duxerat Gertruda. Inquitque. Comitatus verò Froburgi, & Hohenbergæ fuisse eodem tempore in unius familiæ ditione infra.

Literæ venditionis factæ à Ludovico Com. de Froburg.

Sciant omnes, quos nosse fuerit opportunum, quod nobilis vir Ludovicus Comes de Vroburg per manum filiorum suorum Rudolphi præpositi Zofingensis, Hermanni Comitis de Hohenberg & Hartmanni, omnia bona sua, quæ habuit in Arnolsdorff cum omnibus juribus, & pertinentijs suis, & omnibus ibidem existentibus, vendidit Monasterio de Vettingen Cisterciensis Ordinis pro 153. Marcis argenti, & in manus Venerabilis Conradi Abbatis prædicta bona resignavit, præsentibus viris discretis & honestis Rudolpho præposito & Hermanno Comite filijs præfatis .... de Patris & --- de S. Vrbano Abbatibus Cisterciensis Ord. Rudolpho Comite de Thierstain, Henrico de Gruninberg, Gerhardo de Gozinhoven, Cunrado de Bachburg, Thuringo juniore de Ramstein, Vlrico & Iacobo fratribus de Kienberg, Gotfrido & Heinrico fratribus de Henthal, & alijs viris honestis, in hujus rei testimonium præsens litera Ludovici Comitis Rudolphi præpositi, & Hermanni Comitis filiorum sigillis est confirmata. Actum 1242. Indict. 3.

Burchardus Gertrudæ Pater, sed hæsitanter.

Fuerint Burcardus Hohenbergensis Gertrudæ pater, & Ludovicus Froburgensis fratres an patrueles postremò qua ratione conjuncti, hoc verò est, quod jam quidem non affirmem. Ab Burcardo orti qui in Suevia

egerunt

egerunt ex Ludovico qui in Helvetia claritate nominis & factis utrique egregij, Familiam eandem fuisse manifestant,. quamvis diversa armorum insignia, quod superius est videre, Gertruda enim Aquilâ, Froburgi in Helvetia Comitatus insignibus utitur. Fratres ejus Hohenbergæ Comitatus Sueviæ, unica colorum sectione. Gertrudæ Avus Hermannus fuit, proavus Ludovicus, proavia Gertruda Habsburgiensis, Rudolphi I. Comitis Habsburgij filia.

Arma Gentilitia Gertrudæ.

Atque hæc quidem ita sunt, magnumque adeo, & memorabile facinus duco antiquissimam, & verissimam Austriæ Principum Genitricem reperisse, ut velut post longam tot sæculorum peregrinationem domum reductam pristinæ dignitati & splendori per meipsum restitutam esse. Sed ut nihil prætercam, quod posteros ejus juvet, sive ob tam eximiæ matris gratiam & reverentiam aut antiquitatis cura. Situm est Froburgum in Helvetia in ipso monte Jura ad eum locum, ubi vocatur ab incolis minor Havvenstein, sive inferior, viginti circiter passuum millibus ab Habsburgo supra Oltam oppidum, quod Arulæ in sinistra ripa est, vetustissima & nobilissima Comitum eo nomine Sedes. Corruit arx tremore illo terræ terribili, quo Basilea Vrbs & ultra 60. ad Jura eundem arces periere, Anno 1357. die festo Lucæ. Ioannes Comes paulò ante cum familia Oltam evaserat. Obijt ipse Anno Christi 1365. cum consanguineorum Principum nomine Alsatiam, Argoviam, & Turgoviam regeret ultimus Froburgensium Comitum. Quo facto Olta, & Valenburgum & pleraque ejus Comitatus ad Episcopum Basiliensem, cujus beneficia erant, redierant. Dedit postea Oltam Joannes Episcopus Rudolpho Comiti Nidovij, pro ejus contra Bernenses sumptibus belli, qui se quoque inde Friburgi Dominum nuncupavit. Vbi verò is Anglico bello perijt, neque mares liberos reliquit, extincta quoque simul Froburgi memoria, Salodorenses nunc possident, ruinas nunc villicus incolit. In eorûdem quoque ditionem Olta pervenit, reliqua Comitatus, uti & Zoffingam Argoviæ oppidum haud contemnendum, quæ Rudolphus Cæsar à Ludovico Hartmanni filio, de quo in superiori instrumento, Ioannis ultimi Comitis patre, ea conditone acceperat, ut æs ejus alienum dissolveret, Bernenses occupant, capta sub Cæsare Sigismundo. Hohenbergæ Comitatum retinent nunc etiam Principes Austriaci. Manlius Rudolphum Annam Alberti Comitis ab Hgerloch filiam, Comitis Levvensteinij viduam, & Alberti Comitis matrem, quem ideo Rudolphus filium vocat, Albertus germanum suum carissimum secundo regni anno habuisse, Rudolphum ostendit, ejus quoque Annæ inhibitorium ad Suizenses, ne Monasterio Stain, in eorum jurisdictione sito, exactionibus, & collectis molesti sint, & si quas extorserint, restituantur.

Iactatur Auctor se reperisse veram Principum Austriæ Matrem per tot sæcula derelictam.

Froburgi situs.

Et ruina ex terræm. ann. 1357. Basileæ.

Vltimus Frobur. Comes.

Successores.

Manlius de Anna.

Postremò antequam prætereat ad cap. 12. agatque brevi de Isabella 3. Rudolphi conjuge, consignat caput ij. inscribitque, De secunda Rudolphi

Cap. ij de Anna 2. Rudolph. conjuge.

Ex M.S. Schudiano.

dolphi I. Vxore. Affertque M. S. Schudianum his verbis. **Anna Dei gratia Roman. Regina** *viris providis & honestis Rudolpho ministro de Stauffach, & Vuernhero de Sevven Salutem, & omne bonum. Cum dilectas in Christo sanctimoniales in Stainc Ordinis Cisterciensis Constantiensis Diœcesis cum universis possessionibus & omnium bonorum facultatibus earundem in nostram protectionem & defensionem ceperimus specialem de beneplacito inclyti Domini nostri Regis, volentes ut aliquam precariam dare à nostris officiatis aliquatenus compellantur. Et cum intellexerimus, quod tu Rudolphe minister de Stauffach ob ejusmodi precariæ exactionem equum pro pignore memoratis Sanctimonialibus abstulisti. Volumus & mandamus tuæ discretioni, diligenter te rogantes, quatenus dictum equum restituas, sine mora & contradictione qualibet. Vos ambo illas non velitis amplius in exactionibus ejusmodi gravare, ab omnium nihilominus incursibus & injuriis pro viribus vestris & posse constanter & fideliter protegentes. Datum apud Kiburg 2. non. Septembr. anno regni memorati nostri Regis secundo.* Peperit ea Carolum anno 1276. Cal. Martij, quem paucis post hebdomadis defunctum Basileæ in choro cathedrali sepelivit neque alio auctum reperio. Excessit ipsa Viennæ A. D. 1281. Cal. Martij. Defunctæ corpus Basileam sicuti in testamento petierat, deferendum Cæsar curavit, ibique eadem Cathedrali Ecclesia nobili, quod videtur monumento componendum eodem etiam monumento Caroli ossicula inclusa. Hactenus Guillimanuus in toto illo cap. ij. in quo clarum Annæ nomen; tot sæculis orbi toto valde notum pene obscuratum videtur. sed an sit verum, statim.

Anna peperit unicum filium, qui obijt infans. Annæ mors, & sepultura ex Chronico Basil. lib. 3. cap. 1.

Auctoris judicium.

Sententiam Guillimannicam non esse firmam, nec citra dubitationem, sicut auctor vult, adeò quod Communissima sit omninò respuenda, trifariè demonstratur.

Excur. IX. Exam. postremo Prima Ratio adversus Guillimannum.

ET quidem primò ex judicio D. Abbatis Dominici, quod in 1. Gentilitio attulimus, & superius denuò tetigimus. Vbi enim, ut dictum est, Guillimannus ex archivo Murensis Cænobij, à Comitibus de Habsburg fundati, ac locupletati, in quo omnes ferè antiquæ authenticæque memoriæ eorundem Comitum asservantur, ipsorum originem clarè deprehendere, ac firmiter aperire conatus est, Rudolphi Cæsaris Genealogiam adeo tamen infeliciter contexuit, ut Habsburgenses Comites stirpitus è terra sustulerit,

stulerit, ac radicitus eliminarit. Quod probat idem Abbas in Alberto I, quem præfatus Guillimannus, ut paulò ante iterum tactum est ex monumentis Murensibus, non Wernerij II. Comitis illum fuisse filium, sed Werneri III. conatu valde solerti satagit ostendere. Atque eodem ferè loquendi modo, quo deinceps se jactavit, peregrinam Gertrudem se solû in domum primum reduxisse, licet ego non dum quempiam viderim, aut invenerim scriptorum, qui passus sit illam eò introire, aut à Guillimanno introduci, aut introductam relinqui, quò nunquam adhuc ausus est Annam expellere. Non me fugit, inquit, qui hactenus Habsburgensium originem, stemmaque prodiere omnes Wernerum III. hunc Vernero II. natum ignorasse, aut utriusque nomen vitamque in unum contulisse, patrem filiumque eundem putasse. Major apud me fides Libelli fundatorum Murensis Monasterij super antiqua instrumenta, &c. Quare spretis instrumentis omnibus, adeo allucinatus est, illum libellum attentè rimando, ut lapsus in Rudolphum Comitem de Tierstein, è genere Habsburgensi ab eo falsissimè putatum, ejus filium Wernerum in Genealogia interposuerit, & ex stirpe de Tierstein, non autem Habsburgica Domum Austriacam deduxerit, ac per consequens à toto Mundo simul expulerit. Quæ cum ita sint, certè si potuit Guillimannus ita intolerabiliter allucinari in Alberto Werneri II. filio, potuit etiam & in Geltrude, licet non ita turpiter. Sique etiam in illo non tanti fecit instrumentalia monumenta, ne recederet à Sententia communi, malè commemoratum Muri libellum intelligendo, neque in hac tam festivè illa amplecti debebat, tantaque existimatione reddere, ut eis innixus, statim postea peculiarem opinationem adversus omnium historicorum judicium fundare, atque eam citra dubitationem certam dicere. Secunda ratio desumenda est ex stirpe Annæ, unde concordantia primi Instrumenti, ab adversario adducti, quod est fundamentum, & Achilles ejus placiti, aliquo modo deduci potest. Quæ stirps ut planè omnibus eluceat, ab Henningio in hunc modum describitur.

Gen. 6.

Loco citat. in Habsb.

II. Ratio.

GENEALOGIA ANNÆ HOHENBERGICÆ, primæ Rudolphi Cæsaris Conjugis ex genere Italico Veronensi.



Ermannus Marchio Veronensis, qui Imperatori Friderico Barbarossæ militans, cum ipso, Italia relicta, Germaniam ingressus est circa ann. Christi 1155. Cumque hæc magis ipsi quam Italia arrideret, Imperator ipsi *Imutham* (alij Juditham, quæ alibi soror Imuthæ nominatur, sepulta Backhenæ A. C. 1162.) ultimi Comitis Badensis, & Hochbergensis filiam despondit, addita dotis loco ditione Badensi, quam in

Henn. loco cit. pag. 239.

Eius Vxor.

Hermanni regimen laude dignum.

in Marchionatum, & Principatum Imperij sublimavit. Factus itaque primus Marchio Badensis, & Hochbergensis, magna Sapientia, & prudentia subditos gubernavit, atque Imperatori in rebus difficillimis armis & consilijs adhæsit, donec tandem annis & laboribus exhaustus, diem clausit extremum circa A. C. 1160. Vxor *Imutha* Præposituram in Backhena ad Murr amnem pro 8. Canonicis inchoavit, quibus postea Benedictini Monachi accesserunt.

Ejus mors.

Rudolphus I. Marchio Veronensis, & Badensis ejus filius, Stuccardiæ habitavit. Vxor Cunegundis, filia Othonis Senioris Comitis Eberfteinij. Vtrum verò in hoc Hermanni gnato parentis soboles terminum habuerit, vel nec ne, responsio est problematica, inquit enim Henningius, Marchionem Rudolphum hunc sine mascula prole obijsse, decessisseque; nec non reliquisse filiam unicam nomine Annam, Vxoremque Joannis Comitis Wirtenbergici, eique successisse Albertum fratrem Marchionem Badensem, Hochbergensem, Haigerlocum, & Hurminganum. Hac historica veritate motus Arnoldus Wion, cui adstipulatur Seifridus, arguit objurgatque & quidem multa cum ratione Spigelij ausum plusquam temerarium (utor Seifridi verbis) non solum stultitiæ damnantis scriptores omnes, stirpem Rudolphi Cæsaris ex Romana gente deducentes, verum etiam universam Italicam nationem, tanquam omni auita nobilitate spoliatam traducentis, ac si ipsi omnis generis claritudo à priscis Germanorum fontibus emendicanda foret. Qua de re adducit Auctor adversus illius impudentiam exempla pleraque nobilissimarum Theutonicę stirpium, (ut Ducum Bavariæ, Electorum Saxoniæ semel & iterum, nec non Brandeburgi, & modernorum Luneburgorum, & Brunsuigiæ Ducum, & Ascaniorum Ballestendeorum, & recensiorum Anhaltinorum, & aliorum multorum Principum) adducit, quæ ab Italis Heroibus stemma paternum duxisse ostendunt. Et inter ea hanc Annæ, de qua loquimur, sobolem enumerat, ita in adversarium invehens. *Marchionum* Hochbergicorum, unde recensiores Badenses patrem nonne & ipsi Germani agnoscunt *Hermannum Veronensem, qui anno circiter 1156. cum Imperatore Friderico Barbarossa Germaniam intravit*. Confirmat Seifridus, respondens ad tretasticon quoddam, antiquo ac insulsissimo more compositum, quo Gerbardus de Roo; nec non Guillimannus genus Rudolphi Habsburgici Imp. neque Romanum esse, neque Gallicum probant: quodque loco citato nos protulimus, atque iterum hic repetere non incongruum judicavimus.

Datus in I. Gent. Excur. 5. Sect. 3.

Arnol. W. loco citato.

Roo lib. 1. Guillim. in Habsb. lib. 2. c. 3. Seifrid. lib. 1. c. 4. nos vero Gent. 2. Excur. 8. & 10.

Rex Rudolphus, & inlustris Regina dat Anna,
Natio quod floret jam præ reliquis Alemanna.
Nam Rudolphus & Anna, quibus precor omnibus annis,
Vt sit honos, utriusque trahunt genus ex Alemannis.

Vbi

Vbi inter alia hæc subdit Seifridus: Quanquam paternum ejusdem Rudolphi genus in Germaniam transplantatum jam quartum generationis annum attigerat: ut non immeritò Poeta ille existimare potuerit, cæteros etiam ejusdem progenitores Germanos fuisse. Imò si uxoris ejusdem Annæ, quæ germen fuit Comitum Hochenbergiorum, genus paulò altius repetijsset, illud non ex Alemannis (de paterno enim loquor, & non de materno) sed ab Hermanno Veronensi deductum deprehendisset, ut modò ex Arnoldo audivimus, nec inficiatur Lazius. Scio quidem recensiorem Guillimannum contra sentire, sed utitur sollemni illo suo argumento, quod ut paulò ante dictum est, absolutè prolatum parum efficacitatis habet. Quare ut Rhythmographum illum vera cecinisse sentiamus, necesse est, ut fateamur, ipsum sicut de Annæ, ita etiam de Rudolphi materno dumtaxat genere locutum esse: Siquidem aliundè compertum est utriusque paternum genus.

Ab Alberto Divite, jam nupto tertia vice, usque Iphum natum vix ann. circiter 60. plus minus inveniũtur.

Respondet Seifrid. Guilliman.

Satisfit Rhythmographo.

Quibus adnotatis, dico primum, me non sine ratione in titulo Matrimonij Rudolphi Cæsaris posuisse Italam omnem ejus sobolem, ac per consequens ejus I. connubiũ utroq; genere, tam scilicet ex parte sua, quam Vxoris ejus Italicum, cum uterque ex Itala gente, altera Romana, altera Veronensi derivet, ut ostensum est. Dico secundò, Gens Hermanni Veronensis non solum usque ad Annam Rudolphi Cæsaris Conjugem devenisse, verum etiam ulterius. Ac proinde sicut dicendum est cum alijs apud eundem Henning. Rudolphum I. hujus Hermanni filium sine prole mascula nequaquam decessisse, ita etiam affirmandum, Albertum Marchionem Badensem successisse Rudolpho eidem, ejusdemque filium esse, ac Patrem Hermanni II. Wernerique, ex quo nati sunt Wernerus alter, & Hernestus Dynasta in Hochberg castro, sito in nigra silva, ut in tabula Henningij anneсtuntur.

Hermannus II. tertius filius I. cognomento parvus, Marchio Badensis, Veronensis, frater Alberti præfati, & Hochbergensis Comes Haigerlochius, & Herminganus. Obijt circa A. C. 1170. Vxor ejus Bachena, Martini Ducis Lotaringiæ filia, ex qua nati sunt Ioannes Marchio Badensis, & Henricus Marchio Hochbergensis, à quo Hochenbergenses descendunt. Henricus genuit duos filios, Rudolphum, & Burchardum I. Hochbergensem Marchionem, cujus filij per conjugem suam N. fuerunt Fridericus Marchio Hochbergensis, qui castrum Hochberg infra Friburgum accepit in divisione cum fratre facta; genuitque ex N. Rudolphum, Burchardum Marchionem Hochbergensem in Briscovia, Egon. & Thimo. Burchardus II. in divisione hæreditatis paternæ sortitus est arcem Hohenberg in nigra sylva propè Rotvvylam, cujus rudera tantum hodie conspiciuntur. Ejus uxor N. Palatina Tubingensis, ex qua natus est Albertus Comes Hohenbergensis ad Nicrum, Henrico ultimo Comite provinciali Alsatiæ, absque hærede defuncto, de successione diu contendit cum Ludovico

Continuat Henning.

Ab Henrico Marchione Hochbergico descendunt Hochbergenses.

I vico

vico Oetingensi, & Alberto Habsburgico comitibus, cujus tandem filio in generum ascito, jus suum, quod in Alsatia habuit, concessit. Ludovicus Oetingensis verò Comes suam partem vendidit Episcopo Argentinensi. Alberti liberi fuere ex N. Albertus, *Rostman* cognomento, Comes in Haigerloch, Horb, Rotenburga, Ebinga, Wiltberga, & Nagilta. Ex terra Sancta reversus, ab Othone Duce Bavariæ, cui properanti in auxilium Adolpho Cæsari adversus Albertum Austriacum per terras suas transitus negarat. Albertus Rostman genuit Waltherum, & Albertum illum Patrem Wernheri, & Comitem ultimum in Haigerloch, hunc ex Canonico Constantiensi in Præsulem ejusdem Civitatis electum. ANNA filia Burchardi I. Comitis Hochbergensis, soror Alberti Comitis in Aigerloch Conjux Rudolphi I. cui frater Albertus in dotem dedit Vallem Obrechstal in Alsatia A. C. 1240. mortua (in alia tabula submersa in Rheno) cum Brisacum navigio proficisceretur anno Christi 1273. vel ut alij communiter, & verius 1281, ac Basileæ sepulta in summo Templo. Agnes nupta Alberto Duci Carinthiæ, Comiti Tyrolis, &c. & Burchardus Comes Hohenbergensis, qui ex N Comitissa Friburgensi genuit Burchardum, Burchardus verò per Agnetem Baronissem Vayhingensem genuit Othonem Hohenbergicum, Otho per N. Comitissam à Wertheim Rudolphum Comitem Susembergicum ultimum, hic denique per N. Baronissam à Reuntz genuit Margaritam, nuptam Georgio libero Baroni & Pincernæ à Lympurg. Itaque posteritas Hermanni Veronensis in hoc Rudolpho defecit. Ex Genealogia hac non obscurè, ut video, conjici potest, primum Instrumentum, à Guillimanno adductum in suæ novissimæ Sententiæ irrefragabile fulcimentum, ad Annam quoque spectare. Eo quia ibi etiam fit mentio Alberti, & Burchardi Comitum Hohbergensium (in Genalogia Henningiana Vlricus, qui fortè ille est, quem etiam in altero Instrumento Conjux Rudolphus suæ primæ uxoris cum alijs duobus fratrem appellat, non reperitur, benè tamen in tabula ejusdem Guillimanni, sive potius sui continuatoris, quam auctor profert de eadem Anna) ac fratrum Geltrudæ. Quare verisimiliter credi potest, vel quod charta instrumentaria illius venditionis pro Anna apposuerit Gertruda, vel quod scriptores pro Gertruda Annam libris suis adnotaverint, vel quod utroque nomine prima Conjux Rudolphi Cæsaris appellaretur, vel quod eadem dicta antea Gertruda, Anna, deindè, facta Imperatrix, vocari voluerit. Quæ varietas passim in similibus contingere solet. Si hæc conjectura non placet, ut lapsus, & deceptio Guillimanni concludatur, credaturque, totam controversiam in solo nomine versari, addam hanc aliam, certè non contemnendam. Texit auctor Genealogiam Gertrudæ, cui titulus in medio tabulæ, *Gertruda, ex qua genus deducunt omnes Austriæ Archiduces, Vxor fuit Rudolphi I. Cæsar.* Moxque statuit graduum, ac generationum ordinem, qui talis est. Ludovicus Comes Froburgi, ac Hohenbergensis in Suevia, Vxor Gertruda Habsburgensis.

Henn. ibid. pag. 270. in tab. Rud. Annæ mors, & sepultura.

I. Instrum. à Guillimanno adductum pertinere ad Annam haud obscurè demonstratur.

Tom. 2. M.S. lib. 30. num. IX. in hoc 2. tomo sunt Genealogiæ amissæ in primo, ut continuator fatetur jacto indice earum.

Tom. 2. loco cit. num. 8. in Geneal. Gertrudæ.

Herman-

Hermannus ejus filius, Burkhardus frater Ludovici, aut patruelis (ab hoc originem trahunt Comites Hohenbergenses ad Neccarum) Ludovicus filius Hermanni, (ab eo orti sunt Comites Froburgici in Helvetia) Rudolphus Præpositus Zoffingensis, Hermannus Comes Hohenbergensis, Harmannus ejus filij, & Gertruda Uxor I. Rudolphi I. Incertum est, an Ludovicus, aut Burkhardus ejus Pater fuerit. Hæc tota illa Guillimanni tabella, genealogicè intra suas lineas extensa, ac de verbo ad verbũ hic rescripta. Ponit exindè immediatè alterã tabulam Annæ, & hoc modo intitulat. *Anna Hohenbergensis II. Uxor Rudolphi I quam duxit Regni anno secundo, quæ obijt anno 1281.* Sequitur deindè totam stirpis seriem, quam hic afferre parum refert. Certè ipse admiror, nullam mentionem fieri de obitu Gertrudæ in tabula ista, neque superius à Guillimanno de sepultura, quemadmodum de ejus nuptijs fecerat, de obitu & sepultura Annæ. Gertrudæ Mors, ut ipse Fatetur, contigit postquam fuerit Regina Romanorum salutata, & secundo regni anno; ejus fecunditas jam Cæsari pepererat omnem prolem, cujus utrerque sexus Reges, Imperatores, Electrices, & Reginas habuit; ac per consequens vix credi potest, tantam Conjugem & Imperatricem obijsse tanquam personam privatam, ac sine pompa, & adeò secretè tumbæ allatam, ut à memoria omnium exciderit, & nullum monumentum de ea remanserit, ut ad posteros pervenire deindè posset. Felicior quidem Gertruda fuisset, si post reductionem peregrinationis tam longæ in domum suam, factam sibi à Guillimanno, quo tempore mortua esset, quibus pompis, & in quo templo ejus obitus celebratus, idem Auctor adinvenisset. At quia de ejusmodi obitu, ac sepultura Gertrudæ, non autem Annæ, perenne silentiũ apud ipsum, veluti & de ejus nomine apud omnes; & verisimili⁹ esset si hæc nõ de Gertruda, sed de Anna ignorari affirmaretur (licet de neutra Imperatrice opinandum esset idcirco conjectandum, unam & eandem esse Gertrudam & Annam Suevam, ac propterea errorem istum in solo nomine versari. Quod non advertens fortè, sicuti advertit in Isabella, Agnete ab omnibus ferè vocata, ut inferius dicendũ, lapsus est Guillimannus, cum tres Conjuges attribuit Rudolpho Cæsari, cum duas tantum duxerit. Si enim Imperator duxisset primò Gertrudam, alteram ab Anna, quis nunquam posset credere, immemorem tantæ conjugis, à qua tota ejus soboles, in ejus morte extitisse, & solum Annæ memorem, ex qua unicũ Carolum, in infantia extinctum ex Guillimanno susceperat? Gerhardus de Roo ubi loquitur de Annæ extinctione, hæc habet. Viennam inde cum redijsset uxor Anna, gravi morbo implicita sexto Calend Martij vitam mortalem æterna commutavit, anno humanæ salutis octogesimo primo supra mille ducentos. Corpus ejus Basileam deportatum, sepulturæ traditur, pompæ funebri adfuisse scribitur Episcopos tres, Abbates sexaginta unum, & trecentos Sacrificos. Igitur instrumenta illa, à Guillimanno adducta, ac multo cum applausu exarata (si tamen authenticam fidem contineant, neque

De hac Gertruda superius in VII. matrimonio.

Loco cit. num. 9.

Lib. 1. ad ann. 1281. in obitu Annæ.

que mutata ſint, aut corrupta, vel malè intellecta) nullam vim habere oſtendunt, ut ſuam ſtabiliant ſingulariſſimam opinionem contra communiſſimam omnium ſcriptorum, concorditer aſſerentium, Rudolphum Cæſarem duas conjuges habuiſſe, Annam & Iſabellam, de qua paulò poſt.

III. Ratio.

Vix hæc juxta tenuiſſimi ingenioli mei captum adnotaveram, quando mihi in mentem venit Genealogia, æri inciſa à Wolfango Kiliano alibi in 1. Gentilitio dato; quam vix ſumpſi, legique in Rudolpho I. hac intentione, reperiundi aliquid duntaxat ſuper hac re, quod ſtatim adinveni tertiam rationem, quæ conſiſtit in reſponſione ad id, quod auctor attulit in Habsburgica, ubi egit de Comitibus Habsburg. Ibi enim in Rudolpho hanc ſuam de conjugum numero, earundemque nominum differentia tetigit opinionem, quam deindè in alijs ſcriptis, à me aſſervatis, & nondum impreſſis, fuſius explicavit, probavit, ſtabilivit. Reſponſum quod ibi adinveni, eſt Pieſpordij, & his verbis ab Eiconographo illo prolatum. Anno 1244. cum Hermanno Seniore Kiburgi Comite avunculo maternæ dotis nomine diſſidium habuit Rudolphus, qui ipſi Comitatum Badenſem ademit. Anno 1244. aut 45. Vxorem duxit, quam Guillimannus Gertrudam nominat, & filiam Ludovici Froburgi Comitis: Rudolphi Præpoſiti Zoffingenſis, Hermanni Comitis de Hohenberg, & Hartmanni Froburgi Comitis Sororem conſtituit. Cæteri auctores omnes Annam appellant, & alij filiam, alij Sororem Alberti Comitis Hohenbergici fuiſſe volunt. Trithemius filiam Burchardi Comitis de Higerloch indigitat. Ita (quod mirum certè) alij aliter de ipſa fortiſſimi Cæſaris conjuge ſentiunt. Quid ergo mirum ſi nec in alijs ubique conveniunt? Ego (Pieſpordius) in manibus Genealogiam habui manuſcriptam illuſtriſſimæ familiæ Marchionum Badenſium, & Hochbergenſium, in qua Marchiones Hochbergenſes, & Comites in Hohenberg & Heigerloch atque illa ipſa *Anna* Auguſta deducuntur: ita illos ipſos Principes Sebaſtianus Munſtenus Coſmographiæ ſuæ lib. 3. derivat cumque omninò manifeſtum ſit, Comitatum Hohenbergicum à dicta familia defluxiſſe; non auſim negare, Annam Burchardi Marchionis Hohenbergenſis filiam, Alberti I. Marchionis, & Alberti Junioris Comitis I. ab Hohenberg Sororem potius, quam Ludovici Friburgici aut cujuſcumque alterius filiam fuiſſe. Hæc ille. Sed ad alteram Rudolphi Cæſaris uxorem, dum ſatis & fortè parum utiliter cum Guillimanno diſputatum. De liberis Rudolphi in Sectione ſequenti.

In Rudolpho I. ad ann. 1244. & ulterius. Alij ponunt 1240. vide Roo. lib. pag. 8. ſub eodem anno.

Atteſtatio Pieſpordij.

GENEA-

GENEALOGIA ISABELLÆ

Burgundæ, ſecundæ Conjugis Rudolphi Imperatoris.

Sed primo de ejus nomine nuptijſque, formoſitate, & viduitate.



Vatuor breviter conſideranda ſunt in hac adoleſcentula Imperatrice, antequam genus ejus adnotetur, nempè nomen, nuptiarum tempus, dotes perſonales, Viduitas. Si de ejus nomine erit diſceptatio, diſcrepant hiſtorici; Cuſpinianus, Roo, & alij recenſiores penè omnes Agnetem eam vocitant, Onuphrius verò, & neſcio an aliquis alius ante ipſum Iſabellam. Quem fortè cum non viderit Guillimannus, hæc abſolutè protulit, nulla facta exceptione. Inconſultè Agnetem vocant, & Othone Burgundiæ Comite genitam omnes, qui hactenus in tali materia ſcripſerunt de ea. Quantum ad ejus nuptias circa tempus & locum celebrationis, conjugium, ætatem, pompam, & ſplendorem ſollemnitatis, tam dignitati mariti, quam claritati ſanguinis & opulentiæ Vxoris jure merito congruiſſima, affert Roo, Rudolphum ſub anni 1284. initium hoc ſecundum matrimonium pactum eſſe Romolbergij, & ſequenti æſtate in magna principum frequentia nuptias Baſileæ celebraſſe. Guillimannus ſpecialius, Nuptias celeberrimas omnium penè Germaniæ, Galliæ, Burgundiæ procerum frequentia pergit (Imperator) apud montem Romaricum Lotharingiæ feſto S Agathæ anno ſupra memorato. Supergrediebatur Rex 66. annum ſuæ ætatis, Sponſa autem annum 14. vix attigebat, & tamen nec ſenectus, nec immoderata annorum improportio potuere Regem ab hoc connubio ſubtrahere, licet inutile, & parum conveniens videretur, tantam vim apud ipſum habuere Imperij ferè Principum omnium preces, & ſollicitatus. Sine quibus proculdubio ab his ſecundis nuptijs abſtinuiſſet. Puella erat formoſiſſima, ut pro comperto aſſeritur, & adeo pulchra, ſpectabilis, amabiliſque, ut non ſolum viri ſui (cujus decor, venerabili canitie venuſtatus, adhuc non modicè in ejus procero vultu, Corporis ſimetricæ poſitioni correſpondente virilis ſpecioſitatis ſplendorem ſervaverat) oculos, animumque rapuerit, verum etiam & cæterorum, imò & omnium, qui ad illius dilectionem alliciebantur. Quod probat eventus ſingularis ab eodem Roo adductus. Hanc, inquit, cum Fridericus, Comes Leningius, Antiſtes Spirenſis aliquando honoris & officij cauſa è curru levaret, raptus venuſtate mulieris, oſculo eam violenter petit, quod indignè ferens, Regi conqueritur, & bilem ei movet mediocrem, advertit Cuſpinianus, quan

Quatuor in hac Regina conſiderantur.

In Rudolpho lib. 1. pag. 57.

Loco citat cap. 12. in corpore.

Roo ubi ſupra

Loco cit.

IdemGuil. ibid.

Loco citato ad ann. 1284. Cuſpin in Rudol, & alij.

Nota.

doquidem, & ipse sæpè Principum Vxores osculabatur; hinc statim per nobilem quendam præsuli indicare jussit: ut quæsito ad deosculandum alio pacificali, hoc sibi soli comparatum relinqueret. Leningius Regis iram pertimescens, ultrò in exilium commigravit, nec prius ad Episcopatum, quam mortuo Rege, redijt. In secunda parte hujus Gentilitij scribens ego ad Regem Catholicum, jam recensui cum Pierio, unde Gallorum mos in deosculandis advenis mulieribus demerserit. Erat Leningius Germanus, & in Germania, erat & Ecclesiasticus, ac Pontificia dignitate decoratus, erat pariter speciosissima juvencula filia Ducis Burgundiæ S. Ludovici Regis Frãciæ neptis & Imperatrix, neque ab eo niet tanquam peregrina accepta; sed potius instar summæ Dominæ illo magni honoris servitio affectus, idcirco quod neque Gallico Proceri illa in occasione convenisset, Germano Principi, quinimò & Antistiti longè minus conveniebat. Verum prudentissimus Rex extremam Sponsæ suæ pulchritudinem, & venustatem considerans, ac simul puritatem, atque non malam; sed potius bonam in præsule mentem, dilectissimæ conjugi, ac propriæ indignationi satisfacere omninò existimavit modo commemorato; at præsul ipse exilium voluntarium eligens, prudentius fortè se gessit. Vidua effecta Isabella, ac illiberis post mortem Regis sui, quem nimiũ adamaverat, cuiq; fidem conjugalem egregiè servaverat Burgundiam redijt, ubi inuptam degens vitam, ut majoris dilectionis indicia erga defunctum virum patefaceret, in viduitatis statu laudabiliter decessit. Extat Isabellæ apographum Gallicum, quo dividit hæreditatem Hugonis fratris defuncti, & ejus unicæ filiæ Beatricis cum altero suo fratre Duce Roberto, ubi seipsam vocat uxorem quondam potentissimi, & nobilissimi Principis bonæ memoriæ Rudolphi Rom. Regis.

Decis I. ubi aliqua de Columbæ arcanis

Lib. memor. Burg. 6. c. 2. quẽ citat Guill. loco cit.

Hujus Imperatricis ex parte majores, ut ad propositum argumentum deveniamus, non eodem modo se habent apud Chronologistas. Qui eam asserunt non Hugonis 4. genitam, ac Roberti Ducis Sororem, sed potius Othonis, inconsultò se gerere, jam, ut diximus, Guillimannus fatetur. Qui deinde idipsum genealogica tabella confirmat hoc modo. *Rupertus* Dux Burgundiæ, ejus filij Hugo I. Rupertus II. Hugo Pater Isabellæ. Vxor Hugonis Agnes sancti Ludovici Regis Franciæ filia, Mater Isabellæ. Quidam scribunt Isabellam Hugonis IV. Ducis Burgundiæ filiam, & Roberti Ducis, & Hugonis Sororem fuisse, vide Baradinum lib. 2. ac Burgundiæ Annales. Hæc ille in tota illa, ac brevi serie.

M.S. lib. 30. nũ. o.

Hac forte de causa Isabella cujus Mater Agnes vocabatur, Agnes quoque ipsa dicta est.

Henningius paulò altius Serenissimum genus huius nobilissimæ Reginæ perquirens, eum ex Familia prima Burgundiæ Ducum, ab Hugone Capeto descendentium hoc ordine deducit. Robertus Francus Senior cum ad decrepitam ætatem pervenerit, filius Rudolphi Pij, nepos Hugonis Capeti, Regis Franciæ, electus in Ducem Burgundiæ A. C. 1030. gubernationi præfuit usque in annum 1015. sepultus Semurij. Eius filij ex Hermingarda HENRICVS Burgundus Justus, Pius, ac modestus, & *Hugo*.

Henn. ubi supra pag. 70.

Princeps

Princeps Henricus Patri non successit, habuit tamen per conjugem N. Hugonem I. & Eudum (alij Othonem) II. HVGO Dux Burgundiæ factus A. C. 1071. avo defuncto ducatum rexit annis 22. Vxor Iolantha, filia N. qua sine liberis defuncta, tantum hujus Mundi tædium ipsum cæpit, ut Cluniacense Monasterium ingressus sit A. C. 1097. Ducatu fratri relicto. Sepultus in eodem cœnobio A. C. 1108 EVDVS, sive Otho Dux Burgundiæ factus A. C. 1097. in Sacram Militiam profectus, in Sicilia obijt A. C. 1102. Ejus Filij ex N. HVGO II. qui Patri successit, ac præfuit annis 31. obijt A. C. 1133. Pius, & Justus Princeps; & Henricus Burgundus. Hunc Lacernam induere compulit Pater. Liberi Hugonis II. per Mathildem EVDVS III. Dux Burgundiæ obijt A. C. 1163. (alii 1164.) Alexander-Robertus Burgundus. Henricus. Aremburga Monialis, & Galtherus Archidiaconus.

Emendetur vel hæc ann. suppotatio, vel prima 1075 ut una alteri correspondeat.

Ab EVDO III. per Mariam, Theobaldi Comitis Campaniæ eius nominis III. filiam, natus est HVGO III. Dux Burgundiæ sub tutela patris avique materni. Peregrinationem in terram sanctam suscepit, cum Ludovicus VII. Rex Franciæ Salladino Vrbem Acram eripuisset, ex qua reversus, Sacram ædem Ditione ædificavit A. C. 1165. Cum Vergyano Domino bellum gessit, quod authoritate Philippi Augusti Regis Franciæ hac conditione sopitum est, ut hujus filius Alaidem Vergyanam in Vxorem duceret. Postea eundem regem secutus ad bellum sacrum A. C. 1190. copiis præficitur, & rebus præclarè gestis, vitam cum morte commutavit A. C. 1192. Duas uxores habuit, Alexiam (alii Alisam) Lotharingicam, Matthei Ducis filiam, & Beatricem, Guidonis (alij Guidi) Delphinati Allobrogici, vel Albonensis filiam, viduam Raimundi Comitis Tolesani, ductam A. C. 1187. Ex prima ejus conjuge nati sunt EVDVS IV. Dux Burgundiæ, & Alexander Burgundus. Eudus Patri defuncto successit, & operam egregiam Philippo Augusto Regi Franciæ in prælio Bovinensi gesto A. C. 1214. præstitit. Decessit A. C. 1218. Sponsalia contraxerat cum Mathilde regina, vidua Philippi Alsatici, Comitis Flandriæ, sed duxit primò Blancam, produxitque cum ea quatuor proles, Joannem, sine liberis ante patrem extinctum, N. nuptam N. Comiti Marchæ, Agnetem, sive Elisabetham II Rudolphi I. Imperatoris & Comitis Habsburgensis conjugem, & Mathildem, elocatam Ioanni Buchemeno Comiti Cabillinensi. Secundò nupsit Eudus Alaidi Vergyanæ, ex qua natus est Hugo IV. Dux Burgundiæ, per quem continuationem stemmatis, & generis Henningius sequitur pag. 71. immediata.

Hæc series Henningiana Guillimannicæ adversa est, ut apparet. Quæ autem verior sit, lector videat, mihi enim tantum sufficiet ad sequentem Sectionem, quæ in ordine est II. Gradum facere.

SECTIO

SECTIO II.

De Matrimonijs trium Filiorum Rudolphi I. Cæsaris, nimirum Alberti, Hartmanni, Rudolphi, spacio Ann. X. celebratis.

Discrepantia historicorum de numero & ord. gener. filior. Rud.



Vot Filios genuerit Imperator Rudolphus ex conjuge Anna, unde omnis Austriacorum Principum usque in præsentem diem posteritas (ut proinde non immeritò propter tantam fecunditatis GRATIAM, qua totus orbis Archiducibus, Regibus, Imperatoribus adimplendus erat, fortè, tali nomine relicto, priori insigniri voluit, ac dici) & quo generationis ordine, historicorum enarratio discors est, ac diversa. Lazius in Migrationibus liberos ejus VIII. ponit. In Commentario Geneal Austriæ undecim. Sed eundem numerum jam multò ante auxerant discriminatimque partibus æquis Cuspinianus, & qui paulò antecesserunt, Manlius, Stabius reliqui Maximiliani I. Historiographi; & masculos VII. totidemque fæminas fuisse memoriæ mandavere. Henningius noven fæminas præter septem mares enumerat, & omnes hoc ordine, Albertum, Rudolphum, Hartmannum, Fridericum, Hartmannum alterum, Carolum, Rudolphum II. Guttam, seu Juttam, Clementiam, Mechtildem, Margaritam, Agnetem, Hedvvigem, Catharinam, Euphemiam, & aliam quandam Anonimam, litera N. signatam. Cuspinianus multo ante Hennigium hos etiam mares septem, sed alia generationis serie opposuit. Nam post Rudolphum primogenitum, decimo ætatis anno defunctum, enumeravit Harmannum, & Fridericum illiberes, mox quarto loco Rudolphum II. quinto vero Albertum, deinde Harmannum II. & postremò Carolum, in pueritia extinctum. Guillimannus subjicit quædam carmina antiquissima, humili, sicca, ac rudi cantilena, pro ut ætas illa patiebatur, conferta; quæ super verbis illis JESU Christi, *Non potest arbor bona malos fructus facere*, filialia poma, ab optimis arboribus Rudolphi Cæsaris, & Annæ Hochbergicæ pijssima fecunditate Ecclesiæ Catholicæ, Imperio Romano, Regnis Hungariæ, & Bohæmiæ, ac Monarchiæ Ibericæ uberrimè exhibita, ita commemorant.

Lazius lib. 8. lib. 8. cap. 2. Geneal. 1 libello de orig. Austr. cap 4. Cuspin. Manlius. Henn. ibidem. pag. 270. & 271.

Loco. cit. cap. 13.

Ecce bonos fructus profert arbor bona, testis
Vox Evangelij probat ista notis manifestis.
Arbor præsignis Rex Rudolphus PIETATE,
Conspicuus prolem genuit mira probitate.
Nam Rex hic, superexcellens Laicalia, verè
Tres natos, & sex natas monstratur habere.

Ipsius

Istius egregiæ prolis fragrantia latè
Nomina, conjugia perstringam sub brevitate.
Albertus cui jus primò geniti foret ensis
Conjugij lege gener est Comitis Tyrolensis.
Hartmanno Socer es, Rex Angliæ, nam tua nata
Est tibi danda prout sponsalia sunt celebrata.
Rudolphus puer impubes jugia connubialis
Legis nescit adhuc virtutum præditus alis.
Ecce Palatino Ludovico maxima natu
Mechtildis nubit, quod res est digna relatu.
Saxonicoque Duci datur Agnes, quæ genitorum
Exæquare studet vestigia stemmate morum.
Huic sedet Helvvigis, quæ legis connubialis
Nescia sub Matris vivit, prout hanc decet, alis.
Filius Henrici Noricis Ducis Otho vocatur,
Innuba prælustris Clementia cælibe vita
Vivit adhuc cultu morum mirè redimita.
Pupillo Regis Odoacri Filia Regis
Nomine Gutta datur Socialis fædere legis.

Nomina prolis, & harum conjugia.

Hic deficit unus versus, qui 19. debet correspondere.

Super quam Poesim hæc sequentia struit Guillimannus immediatè, loquens de sua Gertruda. Atque hos omnes Gertruda certò, non arbitrio peperit, ut ex antedictis rationes quilibet haud supinus capiet, mares profectò. Cum enim Rudolphum, quem versificator impuberem eum affirmat, genuerit anno Christi 1269. ipsam verò in Rudolphi Cæsaris matrimonio fuisse anno I. Regni supra demonstravimus, manifestum est, & reliquos natu majores produxisse, quos paulo amplius explicemus. Et de maribus quidem distinctè in sequentibus. Hæc ille. At in sequentibus cap. 14. inquit statim. Vt clarior, & illustrior certiorque deinceps Serenissimæ Domus Austriacæ successio & amplitudo compareat, sintque Provinciarum gubernationes, & divisiones, gesta Principum cujusque & anni manifestatiores, non eum, quo ipsi in luce editi sunt, semper ordinem sequar, sed quo deserverunt, & inter se continuavere. Atque hæc omnia quanta potero cura, diligentiaque certè optima fide, scilicet ex ipsis potissimum gloriosissimæ familiæ Archivorum Thesauris, Tabularijs, Chartophilacijs, Bibliothecis, monumentis, postremò omnis generis scriptoribus integritate atque industria probatis. Primus igitur Rudolphi I. Imperat. Filiorum Hartmannus fuit, quem desideravit, translatum id nomen ab comitibus Kiburgi proavis maternis, &c. Ab Hartmanno transit ad Rudolphum.

Loco citato.

Cap. 14.

Guillimanni intentio & solertia in resceribendas rebus Austriacis.

phum, ac postremò ad Albertum, relicto generationis ordine, ut jam paulo ante promiserat, licet superius in tabella genealogica, in calce c. 13. apposita, illam graduationem exinde stabilisset, quā antea cum suo versificatore cecinerat. Vt primus filiorum sit Albertus I. Cæsar, mox Hartmannus, demum Rudolphus II. Attamen si diximus, tabellam præfatam ab ijs, quæ statim sequuntur, differre, quomodo salvare poterimus auctorem, ne de tam celeri, ac vicina inconstantia, quin & contradictione adnotetur, dum in Genealogia collocet primo loco Albertum, postmodum verò fateatur, primum Filiorum Rudolphi Hartmannum extitisse? Sed auctor non intelligit ibi de primjtate generationis, sed nominis, ut clarè patet. Differentia postmodum inter versificatorem prædictum, obmutescentem circa Rudolphum II. loquentemq; tantū de impubere, ac ponentē quinque tantū fœminas, relicta Margarita, & Guillimannum, qui tacet prædictum Rudolphum, & de 2. scribit, ut par erat suæ historiæ, enumeratque sex mulieres, mihi parum officit, & ideo alijs eam relinquo discutiendam. Ex recensioribus, qui adhuc supersunt, Patres Societatis duo, Gans, & Pallavicinus apud me reperiuntur, qui neque inter sese conveniunt in enumeranda prole mascula Rudolphi I. quod non mirum esse debet, si tam in numero, quam in ordine discordent, cum circa rem hanc scriptorum placita hinc inde diversimodè abeant. Sed quod valdè admirandum est, illud certò erit, quia Pallavicinus, cujus enumeratio, Rudolphus, Hermannus, Fridericus, Albertus, Meinardus, Rudolphus alter, inter sex hos mares quintum nominet Meinhardum, quod nomen in nullo ex liberis Rudolphi unquam repertum est. Series Gans est ista. Rudolphus, Albertus, Hartmannus, Fridericus, Rudolphus alter, Hermannus, Carolus. Apud Kilianum duos mares reperio, & primò Hartmannum, mox Albertum. Sit tamen ut sit, ubi in tanta opinantium caterva vix unus scriptor alteri conformatur, nihilominus quantum ad mares Rudolphi duos *nuptos* esse, nempè Rudolphum, & Albertum, hosque proles procreasse, Hartmannum verò sponsalia contraxisse cum Margarita Anglicana, penè omnes profitentur. Ipse autem sequens non successionis, sed generationis tramitem, super hunc seriem matrimoniorum constituam, & de illo successionis alibi mihi cura. Præjactam in hac Sectione 2. ex probatis monumentis desumpsi, & ex probatioribus historicis primogenituram Alberto tribuentibus.

In fine cap. 13.

In Synopsi Genealogica Rudolp. I.

Auctor vult sequi ordinem generationis dum agit de matrimonijs.

De filiabus quoq; Rudolphi Cæsaris historia variè affertur à scriptoribus. Quod advertēs P. Gans ubi supra, sic ait. Octo filias Rudolphi recenset Henningius, Peucerus verò in chronico, & Cuspinianus 7. Lazius, Roo, & Rasch. sex Heutt. denique tantū quinque puberes numerat. Neque minus in maritis istarum, atque ordine nativitatis, ut videbis, variant, tres porrò ex his, Antistite Moguntino, & summo Pontifice Gregorio X. adnitentibus, Comiteque Zolleriano mediatore, ut Guillimannus, Aquisgrani tribus Electoribus sunt elocatæ, tres deinde aliæ tribus Regibus desponsatæ. Gutta

Controversia scriptorum de filiabus Rudolphi Cæsaris.

in Habsburg.

prima

prima secundum Heutt. & Henn. octenni ferè adhuc Wenceslao, Othocari Bohemiæ Regis filio desponsata fuit circa ann. 1277. cum parens utriusque pacem per Brunonem Episcopum Olomucensem, & Ludovicum Palatinum inter se fecisset, cum pacto successionis, de quo superius in Rudolpho dictum est. Cuspinianus primogenitam Rudolphi facit Eufemiam monialem inter clarissas, de qua dicemus loco proprio. Postmodum enumerat sex reliquas ordine Genealogico, ac earum conjugia, atque eas fuisse vult, Guttam, Methildem, Agnetem, Catarinam, Annam, & Clementiam. Series Guillimannica in tribus differt cum Cuspinianica, nimirum in ordine, in nomine Annæ, quam ipse vocat Helvvigem, & etiam mariti Catharinæ, Othoni ab eo dicti non autem Harmanni cum Cuspiano. Itaque ejus enarratio est hujusmodi. *Methildis* nupsit A. C. 1273. Ludovico Palatino Rheni Duci Bavariæ, cui Ludovicum Bavariæ superioris Ducem, postea Imperatorem, & Rudolphum Electorem peperit. *Agnes* eodem anno Alberto Duci Saxoniæ Electori, unde Rudolphus & Wenceslaus. *Cathrina* Othoni Duci Bavariæ inferioris, electo Hungariæ Regi A. C. 1276. *Helvvigis* Othoni, Othonis Longi Marchionis Brandeburgensis filio A. C. 1278. *Gutha* denique Wenceslao Regi Bohemiæ Othocari filio A. C. 1286. cui intra annos novem liberos decem peperit insigni fæcunditate. *Clementia* Carolo Salernitano Principi, cognomento Martello, designato etiam Hungariæ Regni, Caroli II. Andagavensis Neapolis Regis filio A. C. 1281. ex qua Carolum Robertum Neapolis, & Hungariæ Regem concepit. Atque ista quidem jam de Rudolpho, & ejus Conjugibus, & liberis universim Principes & successionem explicare porro perseveremus. Hactenus Guillimannus. Verum in parte 4. seorsim eadem connubia, & explicatius subdemus, præpositam methodum persequendo. Hic solummodò ea tetigimus, quatenus discrepantes historiorum sententias circa ipsamet sciat postmodum unusquisque cui illorum meus ordo ibidem innitatur. Igitur Rudolphus I. Cæsar post multa fortiter, feliciterque gesta, Germania pacata, Imperio restituto de filio Alberto successore declarando cum Principibus acturus, Enfordia Francofordiam rediens, in itinere in febrim incidit; Spiram diversurus in oppido Germersheim vita excessit 18. Cal. Augusti A. C. 1291. in die divisionis Apostolorum. Vixit annos 73. menses duos dies 15. Imperavit annos 18. sepultus Spiræ in Templo Cathedrali cum tali inscriptione. Rudolphus de Habsburg Romanorum Rex anno regni sui 18. obijt Anno Domini 1291. in die divisionis Apostolorum. Symbolum ejus vocale fuit, *Melius benè imperare, quam imperium ampliare.* Vel usus est armato brachio, manu tenente ramum oleæ, & clavam manuariam Vngaricam, vel Polonicam, decussatim juncta, cum inscriptione. *Vtrum lubet.* Legens ipse hunc Rudolphi obitum in historia Austriaca apud Roo, reperi tandem eventum de Pietate tanti Cæsaris erga Eucharistiam, quod

Ordo Cuspin.

Loco cit. cap. 14 Ludovicus habuit aliam uxorem ante Methildem. Vide Cuspin. in Rud.

Rudolphi infirmitas obitus, & sepulturæ locus.

Ejus Symbolum vocale. Aliud.

quod certè hunc auctorem nequaquam illud enarrasse omninò credebam, pro ut in 2. p. Ep. dedicatoriæ pag. 191. inconsultè adverti. Inquit enim auctor. Rudolphus multis magnisque virtutibus insignis Princeps, sive animi, sive corporis dotes inspicias. In rebus enim agendis tanta dexteritate, tantaque prudentia, ac solertia usus est, ut nemini secundus sit habitus, in Religione, & cultu divino propagando quanto fuerit Zelo, & fervore: vel amplissima monasteria ab ipso partim de novo fundata, partim verò restaurata, & magnis proventibus dotata, testimonio esse possunt. Quibus & hoc non contemnendæ pietatis exemplum addere visum est. Quod aliquando Sacerdoti, Sacrosanctam Eucharistiam homini ægroto deferenti, obviam factus, equum, cui insidebat, donavit, indignum ratus hunc pedes ire, & se equo vehi. Hactenus Roo.

Lib. pag. 49. ad ann. 1291.

MATRIMONIVM II.

Albertus I. Rom. Imperator semper Augustus, Dux Austriæ, & Stiriæ, Princeps Carniolæ, & Marchiæ, Dominus Portus Naonis, Comes Habsburgi, & Kiburgi, Landgravius Alsatiæ, Victoriosus, ac Triumphator cognomine, Stirps Propagator, unde posteritas Leone Clypei Habsburgici dextrorsum insignia Austriaca, & Austriæ agnomen sibi assumpsit, duxit Elisabetham Carinthiam anno Domini 1282. Pontificatus Martini II. anno 2. Imperij verò paterni anno 9.



Matrimonium hoc quamvis simplex, illo tamen Rudolphi Cæsaris duplici, quin & triplici ex Guillimanno, minus felix neutiquam existimandum, ut ex dicendis apparebit. Quidquid in presentibus scribere de eo nobis contigit, nihil aliud amplectitur, nisi eum quem in antecedenti conjugio servavimus & in sequentibus servabimus ordinem, licet ibi non ita exactè etsi historico more. In præcedentibus matrimoniis ante Rudolphum Imper. pauca, imò nulla fuit nobis cura id efficere, ne scriptitatio in rebus non ita certis inutilem laborem susciperet, & minor occasio legendi Habsburgica Guillimanni relinqueretur. Itaque in hoc loco scribenda veniunt presentis conjugij promissio, nec non celebratio; insuper ejus dissolutio per violentum viri obitum, mox posteritas, ac postremò Vxoris prosapia, unde tantæ Mulieris laudabiles dotes elucebunt. Quæ

omnia

omnia brevi ex modò enarrandis, facilique negocio concipi possunt, atque ordinatè observari.

Ergo Rudolpho I. Cæsare adhuc privatis in rebus magna familiaritas, & conjunctio cum Meinardo (Guillimannus ferè ubique Meinrado) Goriciæ, & Tyrolis Comite, viro egregio, belloque, & pace præstanti: eam, quò constantior esset liberorum connubio, uterque Comes firmavere. Promisit Tyrolensis Elisabetham Filiam, ubi ætatem nacta esset, Alberto Habsburgij primogenito, quinto antequam ad Imperium perveniret, anno. Multi invicem fidei jussores nominati, quos antiquo Schedio exscriptos nominatim quoque memoriæ gratia subijcit Guillimannus. Ex parte Rudolphi 16 reperiuntur, & in ijs duo Episcopi, nempè Curiensis, & Constantiensis, unus S. Galli Abbas electus, quinque Comites, & quatuor Barones: ex parte verò Meinardi totidem ferè, duobus tantum exceptis, & inter eos Episcopus Goricensis, deindè affines ejus ambò Bavariæ Duces, & duo Vxoris Fratres. Sed ubi Rudolphus Imperij culmen obtinuit, magnaque in gloria res ejus fuere, dubius Meinardus, an cum fortuna animũ mutasset, ubi prima opportunitas tulit, ex Cæsare rogavit prius pacta num etiam rata haberet. Cæsar Comitem amplexus, non modo mansura quæ inter eos convenerunt, respondit, sed ostensurum brevi quantum ipsum honore & amore haberet: facturum enim ut omnes intelligant, majorem dignitatem dudum promeritum, & à nemine, quam à se rectius sperari, aut accipi. Et ipsum quidem, ut tradunt historiæ, Ducem Carinthiæ creavit. Hinc ubi Cæsar Procerum Imperij conventum Augustam Vindelicorum indixit, quem alibi expressius proferre curabo, anno eodem, ut illius tam perillustris Senatus lætitia satis superque augeretur per eosdem dies 4. Cal. Februarij Indict. XI. A. D. 1282. constituit Nuptiarum celebrationem Alberti Ducis primogeniti cum Elisabetha, Meinardi prædicti Goriciæ, & Tyrolis Comitis Carinthiæque adhuc Gubernatoris, postea Ducis Filia.

M.S. lib. 2. cap. 11. loc. cit. Dignus Princeps Meinardus.

Promissio 1268.

Errat Grantzianus qui lib 8. cap 37. Saxoniæ scribit Albertũ I. Vxorem sibi junxisse filiam Philippi Franciæ Regis.

Magna ingensque fortuna Rudolphi Cæsaris oculos non impiguavit.

Nuptiarum celebratio anno 1282. Guill. Roo, & alij.

Rudolphi Ducis Bohemiæ Regis morte, & Joannis Infantia, annoque sequenti Patris Cæsaris excessu, scilicet 1292. Albertus qui solus è tribus Fratribus supererat, Provinciarum omnium regimen suscepit & simul Nepotis tutelam. Sed de Alberto in Cæsaribus plura, quæ ipse Italico idiomate in Austria Cæsarea, nondum impressa, licet promissa, & penè confecta, exaravi, uti etiam in penultimo Gentilitio, assumpto labore id exigente, rescribam. Dictus est Imperator ab majori Electorum parte primò Maguntiæ 9. Cal Julij, postea Francofurti, victo, & interfecto Adolpho, ab omnibus V. Cal. August. 1298. Liberorum Alberti memoriam consecravit apud Campum regis tabula hæc post ejus cædem, à prædicto Joanne ex Fratre Rege Bohemiæ Nepote A. C. 1308. Cal. Maij propè fluvium olim Vrsam, nunc Rusam, vel Rhysam (Cuspinianus Octavo Calendas Maij inter Rusam, & Arulam Helvetiorũ flumina, non longe à Rheno)

Albertus ut curator suscipit Ioannis nepotis tutelam.

Creatur Imp. 1298.

Ejus cædes à Ioanne Nepote anno 1308. inflicta, ubi, & quando.

inflictam, ibi collocata, estque hujusmodi. Anno Dominj millesimo trecentesimo octavo in die B B. Apostolorum Philippi & Jacobi occisus est Sereniss. Albertus Rom. Rex Filius Domini Rudolphi Rom. Regis à Filio Fratris sui Joanne in loco, ubi positum est majus altare. Qui videlicet Dominus Albertus in ipso die occisionis reliquit decem liberos, scilicet Sereniss. Principem Fridericum, nunc Rom. Regem, & illustres Dominos, Leopoldum, Albertum, Henricum & Othonem Duces Austriæ: nec non & præclaras Dominas, Agnetem Reginam Ungariæ, Elisabetham Ducissam Lotharingiæ, Annam Ducissam Preslaiæ, Guttam Comitissam de Oettingen, & Catharinam Ducissam Calabriæ. Pro cujus animæ remedio inclita Elisabeth Filia Domini Meinardi Ducis Carinthiæ, relicta præfati Domini Alberti Regis genitrix, & Mater illorum omnium Ducum, de voluntate, & adjutorio eorum fundavit, construxit, & dotavit hæc duo monasteria Fratrum Minorum, & Sororum S. Claræ, cum Choro, & Ecclesia, & alijs ædificijs universis. Anno eodem, teste Henningio, quo coronatus est Albertus Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi 8. Cal. Aug. 1298. usus est proverbio, Quod optimum, idem jucundissimum. Vel Sceptro rotundis globulis in suprema parte nato, cui insidet avicula, alas in altum erigens, teneturque id à duabus manibus è nebula eminentibus, circumseptoque utrinque quatuor lancearum summitatibus. Ejus inscriptio, Fugam victoria nescit. Sepultura Alberti in prædicto cœnobio, ubi etiam Conjux requiescit, verum ejus ossa Spiram translata sunt in Imperatorum tumulo, & propè Patrem, vix palmo uno ab Adolpho Nassovio, quem Albertus in bello occiderat, distantia, condita.

In 1. Exemp. Petri, & Pauli, sed est mendum copistæ.

Liberi Alberti Cæsaris X. secundum hanc tabulam à die sui interitus.

Henn. loc. cit. pag. 270. de Symbolis Alberti.

Ossa Alberti Spiram translata.

Controversia diversorum scriptorum de Filijs, & Filiabus Alberti Cæsaris.

De posteritate liberorum Alberti, qui annos 26. in fide Uxoria, ac maritali fœdere egit, dicam fideliter id quod diversimodè scriptores ferunt. Joannes Cuspinianus, vir certè tam Poesi, quàm arte medica non ignarus, floruit tempore Maximiliani I. Imp. cujus Aulæ inservit, fuitque Cæsaris Historicus & orator, prosequens, explicansque præsentis Conjugij fortunatam fœcunditatem, cum 21. Partus in lucem edidisse testatur. Inquitque, illorum undecim justam assecutos fuisse ætatem, cæteros in pueritia extinctos, è quibus septem in Cœnobio Tulnensi Virginum sepulti jacent. Ipsa Elisa-

Variæ opiniones de prolibus Alberti.

Qui fuerit Cuspinianus.

In Alb. Cæs. pag. 449.

Elisabeth in sua fundatione Kongsfeldt (hoc est Regij Campi) sepelitur. Hæc ille. Lazius, ut Gans advertit, recitat 26. liberos, puberes verò ij sex masculos, & fœminas quinque. Insigniores liberi (sequitur Cuspinianus) hi fuerunt. Primogenitus *Rudolphus* cognomento mitis (alij ut Henning. & Gans contra Raschium, ordinem Cuspinianicum in hoc amplectentem, secundò genitus) cui Blanca Francorum Regis Philippi III. Filia (alij Soror, vide Gans ibid.) copulatur, Viennæ apud Fratres Minores sine liberis decedens; tandem Bohemiæ Rex factus, Regis Bohemiæ Wenceslai, junioris, inquit Heutt. pag. 15. Roo verò p 72. majoris, & fortè melius, relictã Viduam duxit Elisabethã, sic eam vocat Henn. cũ alijs, quibus concordat Gill. ut in Genealogia Agnetis superius positũ est, alij verò apud eundé Henn. Rixam, quod Gans verius dici autumat, sed ipsi me nõ subscriberem, eo quod asserverit Henningium illam vocasse Rixam, & Roo Elisabetham, cum Henning. eam quoque vocitet Elisabetham & alios illam vocasse Rixam annuat. *Fridericus* secundò genitus (Henning Gans, & alij primogenitus) elegans Dux, cognomento *Pulcher*. Qui postea Cæsar Rom. fuit. Huic Uxor erat Elisabetha, Jacobi Regis Aragonum filia, quæ Viennæ apud Minores sepulta jacet, unicam relinquens Filiam, quæ Comiti Goriciæ copulata, fuit tandem Conjux. Hunc cum super se regnare quidam Barones Austriæ, & Cives Viennenses nollent, trucidati sunt crudelissimè. Tertius Filius erat *Leopoldus*, cognomine Gloria Mundi. Cui Catharina, Sabaudiæ Comitis filia, soror Uxoris Henrici Imperatoris datur Uxor. Quæ duas reliquit Filias, quarum altera Duci de Schvveinitz, altera Domino de Kussi in Francia locantur Uxores. Filius IV. *Henricus* Placidus dictus, consortem Elisabeth habuit, Comitis de Vimberg in Esslia Filiam, quæ sine liberis decessit. Quintus Filius dictus *Albertus* II. Dux Austriæ, cognomento Sapiens, qui Provincias post Patris obitum diu rexit. Sed cum manibus, & pedibus eger esset, atque contractus, primum Pataviensis Canonicus Fratres omnes in ætate supergressus, duxit uxorem Joannam Udalrici ultimi Comitis Phyretarum in Sungau de claro Burgundiorum sanguine unicam Filiam: à qua Phyretarum Comitatus Austriæ accessit. Hic castrum Berchtolsdorff condidit, quatuorque genuit nobilissimos Principes, de quibus suo loco: Sextus Filius *Otho* Jucundus cognominabatur. Cui Vxor Elisabetha Ducissa Bavariæ, Fridericum, atque Leopoldum Filios progenuit.

Cit. in 1. Gentil. in Chronologia. Loco cit.

Series Cuspiniani de filijs Alb. Imper.

Ann in ar. 1. de liberis Alber.

Transit postmodum in fine illius Historiæ Cuspinianus ad Filias Alberti Cæsaris, & hæc habet. Quinque item invenio Filias Alberti, principales dignitates assecutas. *Elisabetham* scilicet, quæ Theodori Ducis Lotharingiæ Vxor fuit, eique tres liberos peperit. Secundam *Annam*, quæ Hermanni Marchionis Brandeburgensis Vxor primùm, post ejus obitum nupsit Duci Vratislaviæ, quæ ex utroque Filios, & Filias genuit. Tertium *Gutham*, quæ Vxor extitit Ludovici Comitis de Oeting in Rethia, generans ex ea Filium Ludovicum. Qui cum Ludovici Bavari, electi Regis Romano-

Ordo de Filiab. Alb. secundum Cuspin. citatum

manorum familiaris esset, postea cum Ducibus Austriæ est ab eo persequutus. Sed ante hanc prius habuit Vxorem is Comes Ludovicus Sororem Comitem de Wirtenberg, ex qua Filium, & Filiam progenuit. Quartam *Catharinam* Henrico VII. desponsatam. Post cujus obitum Carolo Calabriæ Duci Vxor locatur. Quintam *Agnetem* cuidam Romano de Columna desponsatam, dehinc Andreæ III. Veneto Mauroceno Hungariæ Regi traditam. Quæ monasterium Regij Campi locupletavit, & perfecit. Hi undecim liberi, claudit demum Cuspinianus, cum maximo honore domum Austriæ illustrarunt, alij in pueritia mortui sunt. Excerpimus illa ex diversis Annalibus, & ex Alberto Argentinensi pleraque, qui Genealogiam Ducum Austriæ in suis Annalibus fideliter exequitur, de quo mutuati pleraque sumus. Hactenus Cuspin.

Vnde Cuspin. enarrationem filiorum, & filiarum Alberti sumpserit.

Series Gans.

Gans aliorum monumenta lustrando non modo discordat cum Cuspiniano in ordine Genealogico Filiorum, cum ipse collocet primo loco Fridericum, mox vero Rudolphum, postremo Albertum Sapientem, & numero 4. Othonem ac etiam in paulo ante adnotatis, verum etiam in sequentibus; nisi potius dicendum, aliorum discrepantiam ipsum adducere. Et quidem primo discordat in prole Friderici cum *Elisabetha*, quam unicam asserit, neque eam nominat Cuspinianus, Gans vero binam, inquit enim, Elisabetha Arragonia duas genuit Friderico pulchro filias, Elisebetham desponsatam Cæsari Carolo IV. obijtque Anno 1334 quamquam Cuspinianus desponsatam dicat Joanni Luzenburgico, Cæsaris dicti Patri. Si dicat istud Cuspinianus de hac 1. filia Elisabetha in Austria, nescio, sicut scio minimè dixisse in Alberto, ut retuli. Secunda filia Anna duobus ante nuptias orbata Sponsis, Ludovico Romano, & Joanni Henrico Comite Goricensi, constructo Viennæ è propria dote in houorem D. Claræ Cænobio, id primo omnium cum 62. nobilibus Virginibus ingressa, Anno 1334. Cal. Ianuar. diu austeram vitam egit, & eadem cum magna integritatis fama à mundo migravit. Præterea Gans ponit secundam conjugem & unã Sponsam quas tribuit Friderico, de quibus nulla mentio apud Cuspinianum; scilicet Kunegundem, Ludovici Bavari Cæsaris, hostis sui acerbissimi filiam, quam carcere liberatus duxit, procreatique omnes ex ea filij infantes obiere. Filia Elisabeth Guntheri Imperatoris Vxor facta est. Kunigunda quoque mortua, fidem dedit Elisabethæ Geldræ, sed morte præventus, eam non duxit. Itaque ex hac historia bis Fridericus fuit maritus, & semel Sponsus. Deindè Leopoldo quoque concedit aliam Catharinam conjugem ante secundam Sabaudam, eamque dicit Henrici VII. Cæsaris filiam. Gnatas verò, quarum nomina tacet Cuspin. nominat ipse Catharinã, & Agnetẽ, hancque vult primò elocatã Principi Grossæ in Silesia, ac deinde eo mortuo, Baroni Conchiaci in Francia. Henning. primã primò huic dicit nuptã, ac postmodũ Henrico IV. Ferreo Duci Saganensi. Agnetẽ verò Duci Suidnicensi Boleslao nuptam, & viduam ducatũ usque ad 1392. possedisse.

In Arb ad arb. 1. vide Roo lib. 3. pag 98.

Nota.

Hæc est unica filia anonima apud Cuspin.

Fridericus bis fuit maritus, & semel Sponsus.

Vbi

Vbi verò agit Gans de Othone, in quarto loco ab eo posito, inquit, Otho duxit primò Elisabetham filiam Stephani Ducis Bavariæ: liberi ex ea procreati ante pubertatem è vivis excessere, Matre etiam defuncta. Secundam duxit Conjugem Annam Cæsaris Caroli 4. Sororem, è qua editus filius infans obijt. Raschius Annam primam facit conjugem, Elisabetham secundã, ac Friderici, & Leopoldi nomine Matrem. Henning. Elisabethæ, primæ Sponsæ filiã adscribit cognominem, Eduardo Angliæ Regi desponsatam 1326. sed ante diem nuptiæ dictus Sponsus obijt 1344. Deinde filiũ Fridericum natum 1328. & mortuũ 1344. Secundæ verò Annæ solũ Leopoldum in infantia mortuum tribuit. Mater in novo monte Stiriæ 1340. sepulta, ibidemque maritus 1345. Ejusdem loci præter monasterium Augustinianorũ, & Monialium ad S. Laurentium Viennæ Fundator. Ex quibus rebus duplex discrepantia apertè colligitur, altera illorum qui duas conjuges, non autem unam cum Cuspiano Othonem habuisse ostendunt, altera verò eorundem neque inter sese convenientium, ut visum est. Quantum ad Henricum, qui Raschio est secundus, differentia inter Gans & Cuspinianum desumenda est ex connubio, nam Gans duas habuisse conjuges illiberes, Elisam filiam Ruperti Palatini & Isabellam filiam Ioannis Comitis Friburgensis affirmat. Numerus præterea fæminarum idem non est apud Cuspinianum, & Gans, atque etiam ordo generationis diversus. Nam ubi Heutterus, ut ipse annuit, quinque puberes tradit cum Cuspiniano; Lazius verò sex, seriem hujus sequens, incipit à Catharina, Heuttero secunda, Cuspiniano quarta, moxque reliquas unam post aliam enumerat, nempè Gutham, Henningio, & Heutt. 5. sed 3. Cuspin. quem adducens, insimul notat, Henningiũ primã Vxorem Ludovici, sed non Ludovici ejus Patris cõjugem extitisse, affirmare, neque ullũ recitare filium Ludovici, & Guthæ, qui paternum nomen gesserit, sed Conradum, Eberhardũ, & Albertum &c. de quibus in sequenti parte. Tertiò ponit Annam, quæ est 2. Cuspiniano, cum quo in aliud nihil differt. Deindè Agnetem cum Lazio, Heuttero primam, sed postremam Cuspiniano: postmodum Elisabetham, hujus nominis primam, & primam quoque Cuspiniano. Subditque statim, nupsit Elisabeth Othoni Bavariæ Duci (Cuspinianus aliter, ut supra) postulato Regi Vngariæ, mortua 1330. & in Noviomonte, à fratre fundato sepulta. Verius autem videtur, inquit, quod Albizius ponit, Catharinam Rudolphi primi filiam, hujus Othonis conjugem fuisse, aut quod Heutterus dicit Annam, filij ejus ex secunda Uxore, filia Ladislai Glogoviensis, Ioannis scilicet Naterburgici Conjugem, facit Albizius Annam Friderici Austriæ Ducis filiam, errorem verò ex filiabus Fridericorum superius recitatis deprehendes. Henning cælibem illum ex saltu crus fregisse, atque inde obijsse dicit. Vltimo fert Gans Elisabetham secundam, de qua nulla mentio apud Cuspinianum in Alberto, sed forte in Austria, aut quæ illi unica est, alijs est altera, nam, inquit idem Gans, Elisabetha secunda desponsata

Gans in ann. 2. fi. e Arb. 2.

non Theobaldo, ut Lazius, & Cuspinianus, aut Theodorico, ut Heutt. sed ut benè Roho pag. 79. Albizius, & Reusnerus Friderico ejus filio, cognomento Athletæ, Lotharingiæ Duci, ex hoc liberos genuit, ex quibus nominatos ponemus loco proprio.

Ordo filiorum, ac filiarum Alb. ex Roo.

Series filiorum filiarumq; Alberti, quā statuit Roo, est hujusmodi. Filios ex una conjuge Elisabetha, quam unicè semper dilexit, 21. habuisse dicunt, quorum in infantia nonnulli, Rudolphus quoque ante patrem obijt. Superstites fuere Fridericus, Leopoldus, Albertus, Otho, Henricus, de quibus suo loco dicemus. Agnes, Catharina, Elisabetha, Anna, & Gutha. Primò differt Roo à Cuspin. in ordine tam filiorum quam filiarum, ut patet. Secundò in id quod asserit de conjugio Agnetis, quod simplex facit, & non duplex cum eo, nec non & cum multis alijs, tertiò in Catharina, cujus consortem primum tacet, & quarto in Elisabetha, quæ licet apud ipsum sit unica, unam enim tantum commemorat, non autem duas, tamen quo ad maritum ejus, ut dictum est, est longè diversus.

Lib. 2. cap. 14.

Manuscriptum Guillimannicum 12. proles concedit quoque Alberto Cæsari, scilicet VII. mares, fæminas V. Ordo marium Genealogicus sub prima linea appositus est hujusmodi. I. Mainardus 2. Rudolphus Rex Bohemiæ. 3. Fridericus electus Cæsar. 4. Leopoldus 5. Albertus II. stirpis propagator. 6 Otho 7. Henricus. At in fine cap. 1. lib. 6. ait. Fuit Otho minimus natu filiorum Alberti I. Cæsaris. Ordo fæminarum sub altera linea scriptus. 1. Agnes Regina Hungariæ. 2. Elisabetha Ducissa Lotharingiæ. 3. Anna Ducissa Preslauij. 4. Gutha Comitissa Oetingensis. 5. Catharina Ducissa Calabriæ. Marium Conjuges hoc modo secundum ordinem successionis describit suis in Genealogijs, de quibus inferius. Rudolpho 3. Vxores duæ 1. Blanca, in margine filia, in textu Soror ex Patre Philippi Pulchri Regis Franciæ. 2. Elisabetha Polona. Sed cap. antecedenti, ex neutra conjuge, inquit, liberos reliquit, in errore enim Cuspinianus, qui ex utraque factum Patrem scripsit. Leopoldi Conjux unica Catharina Sabaudia, (de alia paulo inferius) quæ duas filias genuit, Catharinam, & Agnetem; Illa primò nupsit Enguerranti Domino Coussij (ineptè & falsò Gnisium & Lotharingium, aut ut Manlius Anglum, hactenus plerique prodiderunt, Caussium enim in Picardiæ finibus est) qui Regni Galliæ Talassiarcha primus (Admirallum aut Almirantem Galli & Hispani barbaro, & Saraceno vocabulo nominant) magnum nomen, & autoritatem apud suam gentem tenuit. Genuit ex eo Enguerrantem Patri cognominem, Soissionis Comitem, & Coussij Dominum, qui Austriæ Principibus bellum postea Angliæ Regis Soceri opibus pro materna dote, & hæreditate, ut plerique volunt, intulit, quam Pater affinitate, & gloria Austriacæ familiæ contentus neglexerat. Postremò is junior Enguerrans Joanni Comiti Niversij, Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filio adversus Turcam exercitus Gallici ductori, rector, & consiliarius additus, prælio Nicopolitano captus, antequam redimeretur, Turrica in custodia absumptus est,

Lib. 3. c. 2. Lib. 4 cap. 1. in Calce. Nicol. Gillius Chr. Franciæ. Gulielmus Parad. Hist. Burg. lib. 2 Ludovicus Gollusius memoriarum Burg. lib. 9. cap. 12. Autor libri Magistratum & officiorum Regni Galliæ.

relicta

relicta unica filia, quam Ioannes Comes Niversij Philippi filij ejusdem Audacis N matrimonio sibi adjunxit. Secundum conjugium inijt Catharina cum Conrado Comite Meidenburgico. Obijt A. D. 1349 4. Cal. Oct. apud Campum Regis Patrio monumento sepulta. Conradus Comes eodem quoque anno fato functus est peste. Agnes juncta est A. D. 1338 opera Alberti & Othonis Patruorum Bolconi Duci Silesiæ, Domino Frustenbergæ Schueidenicíæ. Hæc M. S. quæ ubi differant cum Cuspiniano, & cum alijs apud Gans. lector judicet. Vxor Henrici Elisabetha, filia Ruperti Comitis Virnerbegensis. Concordat Roo loco citato, qui etiam unicam Vxorem, Catharinam, nulla facta mentione primæ ejusdem nomninis, testatur duxisse Leopoldum præfatum. Controversia tamen esset, utrum Henricus prolem susceperit ex conjuge Elisabetha unica (de Isabella apud hos nulla mentio) quotquot videre potui, negant, sed M. S. Guill. in fine cap. 2. ejusdem libri 5. Mortua est, inquit, Elisabetha A. D. 1343. cum ad id tempus apud Campum Regium egisset, ubi pariter tumulata fuit, nullis procreatis liberis. At immediate ibi est quædam paucula additio, diversa ab antecedenti, ac nimis turpi scriptura, quæ forte est auctoris, his verbis subjecta. *Fratres Henricum, Leopoldum, & Fridericum reliquisse mares testatur Albertus Argentinensis eorum temporum maximè vicinus. Qua de re apud alios scriptores magnum est silentium.* Othonis Vxor I. Elisabetha, filia Stephani inferioris Bavariæ, patruelis Ludovici Imperatoris, ex qua reliquit Fridericum & Leopoldum, qui eo in Principum numero intermittitur, quod per ætatem nullum regimen pervenerit. Hæc propè finem cap. 2. lib 6. At in additiuncula ad cap. 2. illius tabulæ Genealogicæ, & eadem scriptione turpissima, quam annuimus, compacta, apposita reperio sub nominibus Friderici, & Leopoldi Othonis filiorum non solum tempus obitus utriusque, unius 1344. alterius 1345. sed etiam hæc alia. *Propè Patrem ambo sepulti, cum post illius mortem Elsatia, Suevia, Turgovia, Ergovia præfuissent* Quæ longè diversa sũt à præhabitis. Secũda Othonis Vxor Anna, de qua in tabula Genealogica, &c. Postremò loquens de conjugio Friderici III Imp cõvenit cum alijs circa ejus conjugẽ. Roo de Friderico hæc tradit. Elisabetha Aragonia filium unũ Fridericum secundũ, in pueritia mortuũ, & duas (cum Friderico) procreavit filias, Elisabetham, quæ Joanni Bohemiæ Regi desponsa ante nuptias obijt, & Annam, quæ Poloniæ Regis filio pro missa, cum is quoque mortuus esset, Ludovico Romano Bavariæ Principi, & post ejus obitum Ioanni Comiti Goritio nupsit, quo & ipso mortuo, nulla suscepta prole Cœnobium D Claræ Viennæ ex sua dote condidit, ubi reliquum vitæ tempus monialibus præfuit. Demum Albertus II. Sapiens duxit Ioannam Ferretanam, de quorum conjugio suo loco. Sed quid dicendum de Meinardo, quem primogenitum Alberti Cæsaris Guillimannus facit, si de isthoc Principe neque aliqua imaginatio apud historicos? Ipsemet novus adinuentor ita respondet. Etsi verò Meinardus (petitum id ab Avo

L 2 materno

Ex tabula parentali Campi regis.

Vide Roo lib. 3. p. 97.

M. S. lib. 5. c. 1.

Cap. 2. 16.

Lib. 6.

Vide Roo lib. 3. pag. 101.

Lib. 7. in Calce. cap 1.

Loco cit. pag. 98. de Friderico pulchro.

Tres Liberos procreasse Fridericum testatur Roo.

Quæstio de Meinardo primo locò à Guillimanno locato.

Vbi supra lib. 3. c. 1.

Error Pallavicini de suo Meinardo in Rudolpho I. forte hinc emersit.

materno Carinthiæ Duce primo, Tyrolis, & Goriciæ Comite vocabulum, neque postea, quod sciam, in Austriaca familia usitatum) primus ex Alberti Cæsaris liberis est, de quo memoria in literis, quique morte fratres antevenerit, tamen quia præter nomen nihil ejus mihi repertum, ad reliquos calamum verto. Memoria literis, quam paulò superius autenticè cap. I. adduxerat, desumpta est ex quadam scriptura Henrici Fuldensis Abbatis; Qui, facto jam Rudolphi atque regij juris Burgoviæ Marchionatu, defuncto jam haud multis ante annis Marchione Henrico suæ stirpis postremo, quæcunque in eo obtinebat beneficia non multò post largitus est hoc testimonio. *Nos Henricus Dei gratia Abbas Ecclesiæ Fulden. ad universorum notitiam volumus pervenire. Quod magnificis Principibus Dominis Rudolpho, Friderico, Leopoldo, Alberto, Henrico, Meinardo, & Othoni Fratribus, Ducibus Austriæ universa bona, & homines à nobis, & à nostra Fuldensi Ecclesia feodaliter descendentia, & descendentes eo jure, sicut quondam Heinricus Marchio de Burgowe habuit, concedenda, & concedendos duximus titulo feodali, dantes has literas nostro sigillo signatas in testimonium super eo. Datum Anno Domini 1301. In die Beati Dionysij Martyris.*

Testimon. Henr. Abb. Fuld. de Meinardo Alberti Cæs. filio.

Lib. 2. c. 14.

Vbi verò idem M. S. agit de filiabus Alberti, & earum conjugijs brevè apponit sequentia, quæ uti ibi sunt, hic & ipse affero. Ex Vxore, inquit, Elisabetha liberos 21. procreasse Albertū Cæsarem Cuspinianus tradidit, & qui ab eo. Sex & viginti Wolfgangus Lazius. Parū probabiliter, si nuptiarū tempus, si ætatis Elisabethæ annos rectè puto. Filiorū facta, & conjugia post referam. Filiarum maxima Agnes tradita à Patre Andreæ III cognomento Veneto, Hungariæ Regi, quo, superstite unica filia, defuncto A. D. 1301. in Austriam redijt, & inde cum prole ad Campum Regis, ubi utraque finijt. Elisabetham collocarunt Fratres Friderico III. Lotharingiæ Duci, cū cognomen Athletes, ex qua Dux Rudolphus, qui prælio Cresciaco cecidit. Haud probè Elisabethæ maritum Cuspinianus Theodorum, Manlius Theobaldum, Lazius Theodoricum nominant pro Friderico. Dos mille septingentæ quinquaginta marcæ argenti, quas refert acceptas Fridericus Austriacis Principibus A. D. 1312. Mortuo A. D. 1329. marito ad Campum Regis etiam Elisabetha concessit, & inibi cum Sorore Agnete reliquū vitæ egit. Defuncta est A. D. 1352. & Matris monumento sepulta. Anna primis nuptijs maritum habuit Hermannum, Marchionem Brandeburgensem, Hennenbergæ, & Lansbergæ Dominum, qui ubi A. D. 1308. extinctus, nupsit secundò Preslaviæ Duci Henrico, quo etiam A. D. 1337. desiderato, Ducatum ipsa egregia virtute ad A. D. 1361. administravit, & in eo pariter excessit. Guthæ maritus fuit Ludovicus Senior, Comes Oetingæ. Obitus A. D. 1329. pridie nonas Martij: sepultura in Campo Regis. Catharinam promiserat Frater Leopoldus Henrico VII. Cæsari, & Mediolanum usque deducendam curaverat A. D. 1313. Cum ipsam eodem tempore mors improvisa intercepisset, idem postea Leopoldus Carolo

De filiabus Alberti Cæs. ex M. S. cit. Nulla hic mentio de Equite Romano columnensi,

Roberti

Roberti Regis Neapolitani filio, Calabriæ Principi tradidit, cui nihil peperit. Defuncta est A. D. 1324. feria secunda, proxima ante festum S. Matthiæ. Sepulta Neapoli æde Fratrum Minorum tituli S. Laurentij. Ita Guillimannus, & hactenus ipse super controversiam propositam, atque hoc loco appositam, ut ne amplius postmodum pluries in hac re intricato calamo veritatem historicam, tot placitis involutam exaremus.

GENEALOGIA ELISABETHÆ CARINTHIÆ Alberti I. Imp. Conjugis, ac nurus Cæsaris Rudolphi I. nec non Mainardi III. Goriciæ & Tyrolis Comitis, Carinthiæque Ducis Filiæ, Conradini Sororis ex Matre, atque Austriacæ propaginis felicissimæ hucusque productricis.

At primò de magnis ejus Prerogativis.



Imperatricis hujus, natione Tyrolensis, quæ cum viro suo, à quo maximè propter egregias corporis & animi dotes diligebatur, annos egit 26 encomia, laudesque non solum desumenda sunt à generis paterni, materni que claritudine, atque admiranda, ac prospera suimet fæcunditate, verum etiam è virtutum splendore, cujus nitor tanto illo sobolum stirpiumque major, quanto immortalitas mortalitate sublimior. Fuit sanè Elisabetha hæc pulchritudine conspicua, fuit & moribus amabilissima, prudentia plusquã muliebri satis probata, ingenij perspicacitate rara, dexteritate in rebus agendis mascula. Sed quod majus est, fuit simul Religione Catholica pijssima, devotione Franciscana, imò & habitu; & incredibili affectu in Fratres Minores, de quorum simplicitate, paupertate, rerum mundanarum contemptu regia, ac magnanima humilitate instar tenerrimæ Matris plurimum gaudebat, Romanorum Imperatrix SERAFICA. Cuspinianus eam prædicat illustrissimam fœminam, magni & acuti ingenij, quæ Salis mineram & usum faciendi reperijt Halæ in Austria propè Gemundam. Adeo quod sui propterea intellectus felix lumen & acuties ardua quæque diligentius prævideret, quam alij omnes etiam viri alioqui industria, ac solertia præditi. At in illa Salis coctura si lucrosum Albertus ad invenit emolumentum, unum tamen amisit oculum, quo amisso, haud quidem ratio extitit, quin nitidum tantæ inventricis nominis in toto Mundo perpetim coruscaret. Nam prudentissima Conjux (sic eam vocat Henning.) ac sagacium illustriumque Fœminarum Heroina præclarissimum admirandumque, ac justum opus exequens, quidquid dehinc imprudentissimè molitus est Conradus Antistes Salisburgicus in viri sui perniciem,

Loco cit. in Alberto.

Salinas adinvenit Elisabetha Seraphica.

cem, excellens, ac valdè locuplex facinus satis superque commendavit. Præsul iste, ut advertit Cuspinianus, adversus quem Albertus Cæsar bellum gerebat (de quo bello expressius alibi) Salis hujus fabricam quam Elisabeth Regina construi fecit Halis (ita vocatur locus à Sale ut plerisque alijs) destrui curavit; eo quia gravem profectò Salis jacturam sui patiebantur propter copiam Salis, quam Dux Austriæ habuit. At cum vinci Albertus nequiret, oblatum est illi venenum. Quod ut eijcerent medici omnem navantes operam, Ducem inverterunt machina ad hoc ingeniosè fabrefacta, ut continuò vomeret, non tamen suffocaretur. Exclusum est itaque venenum per os, per nares, per oculos, visque ejus tanta fuit, ut alterum sibi oculum corrumperet; unde sæpè *Monoculus* Rex dictus est. Ita Cuspinianus. Questuosam ergo atque lucrativam hanc inventionem statim ac provida Imperatrix, prout sibi sagax concilium suggererat, ac Regi suo validissimè suaserat, in effectum poni curavit, non ingrata Dei dono Christianæ pietati, qua ingenua ejus anima plurimum flagrabat, emolumenti effecit, & maximè erga S. Francisci alomnos, pro quibus interius exteriusque tota Serafica apparebat. Statim namque, uti ferunt historiæ, è Salinis faberrimè præparatis totius Austriæ monasterijs de Sale providit, magno insuper lucro pro suis reservato. Sciebat enim, verum esse Evangelicum illud. *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis* Hæc & nonnulla alia, laude digna complectens Guiliimannus de hac celeberrima Muliere, ita de ea, ut par erat, locutus est.

Quare Albertus Cæsar dictus monoculus.

Cuspin. ibidem.

Loco cit. c. 11. Elisabethæ fecunditas, Virtutes insignes. Studium boni publici. Studium boni privati sive œconomię.

ELISABETTHA verò Alberto juncta propaginem Austriacam hucusque feliciter perduxit, in ea profectò insignes virtutes fuere. Vnde plerosque cum vicinis, maximè Bavaricis Principibus, aut Hungariæ, & Bohemiæ Regibus controversias, quas multo milite, & sanguine maritus & liberi absolvere nequiverunt, egregio ipsa temperamento sæpius abolevit pacavitque. Privatæ rei non minus studiosa, repertas enim Petzenthal Salis Fodinas non modo summa cura excoluit, sed incredibili suorum commodo, & vicinorum eadem mercimonia exercitantium, odio longè, & latè celebravit. Pietatis ejusdem per monasteria Austriæ plura testimonia. In Suevia Brentiana Valle Regium fontem (vulgo Germanicè Kinngspronn) insigne quondam Cistertiensis Ordinis Monasterium propè Julogamagum à fundamentis cum marito extruxit. Monasterium hoc occupavit Vlricus Dux Wirtenbergicus circa annum 1740. Id postea circa annum 1546. ei eripuerunt Carolus V. Imperator, ac Ferdinandus Fratres, & sibi vendicarunt, ceu fundatores. Testatur Epigramma propè summam aram inscriptum hoc modo.

Diligentia in subditorũ commodum, nec non & vicinorum. Charitas erga claustrales personas.

Anno milleno tercenteno adde secundum
Inclitus Albertus, Romanæ gloria gentis,
Rex Duxque Australi noto de sanguine notus,

Elisabeth

Elisabeth, conjuxque Ducum Carinthia proles.
Addunt ecce manus fortes, ut regia regis
Fundamenta locent fontis, quo catera manant,
Pro meritis tantis sit parta quies, ut eorum
Spiritui ante Deum, lector precibus rogitato.

Sed in eodem, ubi is occidit loco, & in quo Vindonissa Vrbs quondam magna, & opulenta Vindonissentium Comitum, & Habsburgiorum Austriæ Ducum, & Archiducum verissima, & antiquissima origo duo amplissima constituit monasteria. Alterum Ordinis S. Francisci, alterum S. Claræ, quem locum *Campum Regis* vernaculo idiomate, de Konigsfeld vocavit, ad Mariti memoriam & honorem. Apud S. Claræ quantum super fuit vitæ exegit. Obijt ibidem anno orbis redempti 1313 V. Cal. Nov. ætatis circiter 50. sepulta mediò ædis fornice, quem amplissimum sibi & posteris monumentum constituerat, atque in eo quidem XIII. utriusque sexus Austriæ Duces siti.

Hæc Guillimanni sententia de Origine Austriæ Domus explicata est in Gentil. 1. super 3 opinione

Pietas Elisabethæ, vestitus, mors, sepultura.

Igitur si in hoc illius ævi Miraculo, illius Domus, cujus germina in Majestate, ac opulentia paria minimè habent, unicam speciès propagatricem, ei ullam fæminarum æquiparare cogeris, atque Vati huic adstipulari.

Tertius de Elisabetha Tyrol.

Huic cedat Divûm Mater Berecynthia gaudens
Tanta prole Deûm quæis fulget limen Olympi.
Isthæc Diva Deûm paribus sibi numina fatis
Comparat, & paribus fulget lætissima natis.

Si insignes ejus virtutes politicas, Christianas consideres, illis hercle neque Livia, Theodoraque Augusti, ac Justiniani conjugibus, neque Semiamira Heliogabali parente, neq; Sostratis Ægyptij regis, ac Pithei Vxoribus; quin & Pompeia Platina Traiano elocata, aut Placidia Honorij sorore, Ataulphique Gothorum Regis consorte (quibus addi possunt & Dominica, Imperatoris Valentis Mulier, cujus sagacitas Gothicas manus, in exterminium Constantinopolitanum vehementi furore irrumpentes, placavit, & Theodosij Conjux, maximè viri sui sanctitati proficiens, & quamplurimæ aliæ illustres Fæminæ, quarum Cathalogus passim apud scriptores, mascula prudentia maritos, eorumque regimina communi bono adjuvantes) nostrã Imperatricem Elisabethã minorem facies. His postmodũ in Elenarũ, Clotildarũ, Juculdarũ, Theodelindarum, Brunechildarũ, aliarũque similiũ Heroinarũ numerũ constitues. Parũ dixi, in numero Seraficarũ collocabis, ab illo Seraphino in suprema Ecclesiæ Militantis Hyerarchia Spiritualiter generatarum, de quo Baronius, *Deus in consletorio Divini Spiritus hunc Apostolicum formavit hominem.* Seraphum enim, teste D. Thoma,

Baron. ad ann S. Francisci.

propter

Tacit. de moribus Ger.

propter immediatam propinquitatem ad Spiritum Sanctum, qui totus ignescit, ab ardore maximo isthoc modo appellantur. Scio, Tacito referente, antiquissimam Theutoniam pensitasse, nescio quid Sanctum, quidque providum in Mulieribus adinveniri; quamobrem neque earum concilia ipsa deridebat, neque responsa contemnebat. Utrumque sane postmodum recensiori tempestate experta est haud in paucis ex suis illustribus fœminis, inter quas non immeritò suam Elisabetham celebrare debebat, prout justa de causa celebrat. Et quid Sanctius, quid probatius in isthac Imperatrice, quam post funestissimam viri sui cædem Franciscanam agere, ac cælibem viduitatem sub cineribus Seraficis, ignes animatos foventibus, usque ad interitum, ut plena dierum ad plenissimum immortalitatis diem, nulla unquam nocte obscurandum, imò nec paucula umbra deturbandum transiret, eligere? Vbi Austriacus, ac Cæsareus colossus, in cujus horribili casu totus penè terrarum Orbis nimio attrito dolore contremuit, prostratus est, gemina, ac Serafica moles, Pietate Elisabethæ sic jubente, Sanctè, ac probè surrexit. Et quemadmodum locus ille apud Assisium, qui prius Mons Inferni dicebatur propter pœna mortis damnatos, qui ibi mulctabantur, Mons Paradisi deindè vocitatus est, ratione corporis B. Patriarchæ Francisci, in eo, ut ipse insigni humilitate affectus jusserat, sepulti: ita pariter ubi Tartarus ab Inferni hiatu tres sicarios evomit, Eumenidis associatos, qui consecratam Regis Catholici, ac Pijssimi vitam turpissima morte extinxerunt, ibi statim nomen Campi Regij locus ille adeptus est, in quo super constantem, ac fortem Reginæ Pietatem, duas moles colosseas, perenniter duraturas, elevari & simul cum eis binum Paradisum Helvetia conspexit, mox que æterna tantæ Heroinæ trophæa. Quorum exempla alias imitatrices perillustres deinceps sui Serenissimi conjugis quæ cum ipsa optimam partem elegerunt, mirabiliter traxere, uti in penultimo Gentilitio protulerimus.

Chron. Min. lib. 1. cap. 73.

ELISABETHAM, ut ad ejus Prosapiam deveniamus, suscepit Meinardus ex Conjuge I. cognomine, sed natione, & stirpe Bavarica. Hæc Othonis Bavariæ Ducis, & ex Vxore primi ejus stirpis Palatini filia, priusque Cunrado Cæsari, Friderico II. Imp. generato, nupta, ei Conradum (Conradinum Itali & Galli ob ætatis contemptum) Neapolis & Siciliæ Regem, ac Sueviæ Ducem postremum pepererat, commiserabilis exitus adolescentulum. Othonis ergo Conjux, materque Elisabethæ Conradi Cæsaris Suevi vidua, quæ cum Meinardo II. de quo inferius in paterna Genealogia, nostram Elisabetham genuit, Agnes fuit Brunsvicensis, Palatinatus ad Rhenum hæres. Othonis parentes Ludovicus Dux Bavariæ, & Ludomilla Bohema, ille Othonis Ducis Bavariæ, primique Palatini à Vietelsbach ex Agnete genita Dietrici à Wasserburgo, & Hala filius, hæc verò Vladislai Bohemiæ Regis, ac Gertrudæ Leopoldi IV. Marchionis Austriæ filia. Sed ejusdem Othonis Vxor Genitorem habuit Henricum Ducem Brunsvicensem

Num Cunradinus jus succedendi in utramque Siciliam legitimè habuerit. in sequenti Gentilit.

Genus maternum Elisabethæ.

M S. loco cit. cap. 12.

sem

ſem Comitemque Palatinum Rheni ex conſorte Gertruda Palatinatus Rheni hærede. Henricus verò filius extitit Henrici, Leonis dicti, Bavariæ Ducis, & Saxoniæ, Brunſuici, & Lunæb. ex Conjuge Mechtilda filiâ Henrici II Sororque Richardi I. Regis Angliæ. At Gertruda orta eſt à Cunrado, & Irmingarda, illo Sueviæ Duce, Rheni Palatino, Fratreque Friderici Imp. Ahenobarbi ex patre, iſta Cunradi Palatini Rheni, Ducis Vormatiæ, & Haſſiæ Landgravij filia, & hærede. Hæc eſt tota Series materna Progenitorum Eliſabethæ Carinthiæ. Paterna autem duplici tabella traditur à Guillimanno, prima longe brevior eſt ſecunda, cujus intitulatio, *Amplior Eliſabethæ Carinthiæ Paternorum progenitorum delineatio, & explicatio.* Ipſe verò, ut clarius iſta explicatio innoteſcat, in qua neceſſario duo ſtemmata junctim eſſe debent, illud ſcilicet Goricentium Comitum, & illud quoque Tyrolenſium, duabus tantum ſubjectis columnis tali ordine Proſapiam Eliſabethæ tradam.

GORITIÆ COMITES, Affinitate juncti Andegſinis, ad quos Meraniæ Ditio, & Ducatus, ac Palatinatus Carinthiæ pervenit.

CHuno Comes Goritiæ, Præfectus Aquilegienſis. Vxor Brigitta.

Marquardus Comes Goricenſis, Præf. Aquil. Vxor Leopirda. Ottvvinus Frater Comes Goricenſis. Vxor Wickburga. Ex qua Hartuicus Epiſcopus Sabionenſis, vel Brixienſis 31. Eugelbertus, Volcoldus, Wickburga prima Abbatiſſa Sunenbergenſis. Henricus Comes Goritiæ. Vxor Sophia Carinthiæ Duciſſa.

Henricus in linea Marquardi Comes Goricenſis, &c. Wilhelmus Comes Goritiæ. Vxor N. Marchioniſſa Tuſciæ.

Albertus Comes Goritiæ, cui Fratres Bertholdus Patriarcha Aqui-

TYROLENSES COMItes, quorum Ditio ad Goricenſes pervenit. Henn. loco cit. pag. 34.

ALbertus Comes Tyrol. Provinciam Athefinam ut feudum accepit ab Henrico III. Imp. Ejus filij Engelbertus Comes Tyrol. & Luitgardis, nupta Alberto Comiti Wirtenbergenſis, quam alij dicunt filiam, vel Sororem Engelberti Comitis Valaienſis.

Egino Comes Tyrolenſis.

Henricus Comes Tyrolenſis.

Henricus junior Comes Tyrol., cui Vxor N. Filij Albertus Comes Tyrol. & Eliſabeth, Vxor Ulrici à Sechbangau.

Albertus habuit Vxorem N. genuitque Conradum, & N. nuptam N. Comiti Schluſſelburgice in Franconia, unde Henricus Schluſſelburgicus Comes.

legiensis. Sed in catalogo ipsorum non reperitur. Vxor Alberti Hedvvigis Comitissa Andechsiana.

Meinardus I. Comes Goricensis, Præfectus Aquilegiensis. Cui Frater Engelbertus Comes Goricensis, qui donavit bona monasterio Admundensi. Vxor Meinardi I. fuit filia Bertholdi III. Ducis Meraniæ, & Dalmatiæ, Marchionis Istriæ, Comitis Andegsini: mortua A. C. 1245.

Meinardus II. Comes Goriciæ, & Tyrolis ratione Vxoris, hæres Ducatus Meraniæ A. C. 1248 cujus nomen tunc temporis interijt cum Othone ultimo, & hujus Meinardi II posteri ditionem titulo Comitum Tyrolensium retinuerunt. Feudum Tridentinũ accepit ab Egno Archiepiscopo Friderico Trid. A. C. 1256. Tyrolensem verò Comitatum cum superiore, & inferiore valle Eni fluvij à Conrado IV. Imperatore A. C. 1245. mortuus 1258. cum fuisset etiam Aquilegiensis, Brixinensis, & Tridentinensis Ecclesiarum Advocatus. Hactenus Hieronymus Henningius in hac prima columna. Videat Lector ipsum, si placet.

Conradus Comes Tyrolensis Vxor Agatha. Ex qua

Henricus, Comes Tyrolensis, Frater Bertholdi Comitis Tyrolensis. Vxor Henrici Agnes de Wanga, Soror Friderici Archiepiscopi Tridentini; & Geroldi S. Romani Imperij Principes.

Albertus ultimus Comes Tyrolensis in hac familia feudum suum Tridentinum accepit ab Adrigerio Archiepiscopo. Arcem Transpensee in superiore valle Eniatticinentijs emit 600 marcis argenti Tridentini à Schvvikero de Richenberg A. C. 1239. Obijt 1254. sepultus Tyroli in Templo Parochiali, unde translatus est cum majoribus à nepote ex filia Meinardo in monasterium Stambs A. C. 1284. Vxor ejus Jutha Ducissa Meraniæ Comitissa in Andegs. Filiæ, Adelheidis nupta primò Henrico Regi Romano Filio Frider. II. Imp. ac deinde Meinardo Goritiæ Comiti, qui cum ipsa Comitatum Tyrol. accepit, mortua A. C. 1275. & sepulta in Steinach. Elisabetha nupta Eberhardo de Hisperg. Comiti, qui cum Vxore fundavit Monasterium Steinach.

CARINTHIÆ DUCES,
Et Comites Tyrolis, ac Goriciæ.

Meinardus II. Comes Goricensis, & Tyrol. obijt A. C. 1258. Vxor Adelheidis ut supra, filia Alberti ultimi Comitis Tyrolensis.

Meinardus III. primus Dux Carinthiæ Comes Tyrol. & Goric. Aquileg. Trident. & Brixiensis Ecclesiarum advocatus Feudum suum Tridentinum accepit cum Fratre A. C. 1259. Alberto Palatino Carinthiæ, & Comite Goriciæ, qui hunc Comitatum in divisione facta cum Fratre A. C.

1272.

1272. accepit. Sorores horum etiam fuerunt Adelheidis, nupta Friderico Comiti ab Ortenberg in Carinthia A. C. 1256. & Bertha Vxor Conradi à Wlenstentem, ex qua Bruno Episcopus Brixinensis. Ex hoc Alberto Meinardi III. germano Carinthiæ Palatini, & Comites Goriciæ usque ad Leonardum Comitem Goriciæ, qui interfuit Comitijs Augustanis, celebratis A. C. 1473. *Luentiam* Imp. Maximiliano tradidit A. C. 1500. quo & mortuus est, & Comitatum Goricensem possederunt Austriaci. Fundavit quoque Meinardus III. Monasterium Stamsianum in Obern-Ynthal Ordinis Cistertiensis, quod incoavit A. C. 1273. absolvit 1275 Vrbem Potzen vastavit 1277. nec fulmen excommunicationis Pontificiæ sibi propterea inflictum, metuit; liberatus tamen per Celestinum V. ab eodem anno 1294. Ab affine Comite Gebhardo de Hisperg superiorem & inferiorem vallem Eni, & quidquid in montanis possidit, emit 4000 marcis argenti A. C. 1284. Ducatum Carinthiæ ut feudum accepit à Rudolpho Habsburgensi Imp. Augustæ Vindelicorum 1284. vel 1285. mortuo Vlrico Duce ultimo. Arcem Weineck circa Potzen vastavit anno 1295. quo & mortuus est. Vxor prima Elisabetha filia Othonis Boni, Ducis Bavariæ, vidua Conradi Regis Siciliæ, ducta Monachij A. C. 1259. mortua 1273. sepulta in Stambs Monasterio. Vxor secunda Agnes filia Hermanni IV. Marchionis Badensis, & vidua Vlrici III. Ducis Carinthiæ. Filij Meinardi ex prima Conjuge. *Albertus* Dux Carinthiæ, perijt in obsidione S. Viti in Carinthia ann. 1292. Vxor Agnes filia Alberti Comitis in Haigerloch, & Hochenberg in Suevia, unde Margarita nupta Friderico II. Burggravio Noribergensi. *Otho* Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis & Goriciæ feudum Tridentinum accepit à Joanne II. Episcopo Brixiensi ann. 1302. obijt 1310. Vxor Offina, vel Euphemia, fundatrix Monasterij S. Claræ in Meran, mortua anno 1347. Filij Othonis Elisabetha Vxor Petri Regis Siciliæ, ex qua orti sunt Ludovicus, & Fridericus Duces Calabriæ. Fratres alterius Othonis & Alberti *Ludovicus* Dux Carinthiæ obijt ann. 1305. *Henricus* Dux Carinthiæ, & Comes Tyrol. ac Goriciæ proscriptus cum Ludovico & Othone Fratribus ab Adolpho Nassovio Imp. ann. 1296. evectus in Regem Bohemiæ ann. 1305. (alij 1307.) regnum interceptum ab Alberto I. Imperat. recuperat ann. 1308. & milites præsidiarios regno ejecit. Verum cum in dicta causa multos ex proceribus damnaret & conjugis suæ Sororem Hinco de Quercu nobili quidem, sed impari præter ipsius voluntatem nubere coegerat, Proceres Joannem filium Imp. in regnum accersunt, qui Pragam obsidet, & hunc Henricum, deditione per cives facta in Carinthiam redire cogit ann. 1311. (alij 1313.) Princeps Pius ædificavit in Monasterio Stambsiano, vel Stampano Capellam S. Joannis, & Cænobium Schanl in Curia Montis omnium Angelorum pro Cartusiensibus A. C. 1325. obijt in Carint. ann. 1335. sepultus in Stambs, vel Tridenti. *Elisabetha* nupta Alberto I. Imp.

Idem ib. pag 51.

Vnde Austriorum possessio Goric. Comitatus.

Cænobium Stambs à quo, & quando fundatum.

Ducatus Carint. Meinardo III. traditus à Rudolpho Imp.

2 Vxor Meinardi III.

Quis S. Claræ Cænobi. in Meran fundaverit.

Adelheidis & Agnes Vxor Friderici Fortis Landgravij Thuringiæ, & Marchionis Misniæ, mortua 1293. fuerunt tres Sorores prædictorum Meinardi III. filiorum. *Henricus* Rex Bohemiæ quartogenitus tres habuit Vxores, Annam Wenceslai Regis Bohemiæ filiam, ann. 1312. defunctam. Adelheidem filiam Henrici mirabilis Ducis Brunsuicensis ann. 1320. extinctam; & Beatricem Antici, vel Amedei, Comitis Sabaudiæ, quæ obijt ann. 1330. Ex prima tantum procreavit Leopoldum, citò mortuum, Margaritam Ducissam Carinthiæ, Comitissam Tyrolis, & Goriciæ, quæ à deformitate oris cognominata est *Maultaschin* (alij Maultasch) nuptam primò Joanni Henrico Moraviæ Marchioni, cui Ludovicus Bavarus Imp. Tyrolensem Comitatũ in feudũ tradidit. Hoc repudiato quasi ad conjugiũ minus idoneo, anno 4. ejusdem addixit se deinde Ludovico, Ludovici Bavari Imp. filio anno 1342. Marchioni Brandeburgensi, contra quem Henricum III. Goriciæ Comes pro Comitatu Tyrolensi bellum gessit. Obijt an 1361. Ex Maultasch ortus est Meinardus Comes Tyrol. mortuus 1364. cui Vxor Margarita Alberti Sapientis Ducis Austriæ filia, de quà loco proprio. Sublatis itaque per mortem Ludovico, & Meinardo ejus filio, Margarita Maultaschia Tyrolensem Comitatum Rudolpho (cui etiam aliqui tertio nuptam volunt, sed falsò) Alberto, & Leopoldo Ducibus Austriæ amitinis suis tradidit, confirmatum à Carolo IV. Imperatore ann. 1364. Hactenus Henning. nec non & M. S. Guillim. qui interse adeo in tabula conveniunt, ut quidquid scrisperit unus, de verbo ad verbum notaverit & alter.

Henricus quartogenitus Meinardi III. quatuor nupsit.

Maultaschia quibus elocata.

Tyrolis ad Austriacos non matrimonio, sed testamento venit. Vide Roo lib. 3. ad ann. 1363. pag. 114.

Qui verò asserunt jus Austriæ per hanc Elisabetham ad Habsburgicos devenisse, ut in sequenti Gentilitio dicemus, à S. Leopoldo in quartam generationem masculam propagatum esse ostendunt. Hinc in Arbore 14. exhibente quomodo omnia Regna, & Provinciæ Domus Austriacæ ad eandem devenerint, P. Gans Ordinem Genealogicum prodiens, apponit radicitus Ernestum Marchionem Austriæ, deinde Leopoldum, postea S. Leopoldum, mox per generationis tramitem unum post alterum tres Henricos, Gertrudem, Hermanni Marchionis Badensis conjugem, Agnetem, Vxorem Vdalrici Ducis Carinthiæ, & Elisabetham hæredem Alberto I. Imperatori nuptam. At quomdo hæc se habeant, ac inter se conveniant, fusius suo loco.

Nota.

Gans. in Arb. 14.


MATRI-

MATRIMONIUM III.

RATUM DUPLICITER.

Hartmannus I. Comes Habsburgi & Kiburgi, Landgravius Alsatiæ primò Sponsus Gunegundæ Bohemæ anno 1276. qui erat Imperij paterni 3. quique tres Pontifices habuit, Innocentium V. menf. 5. Hadrianum V. D. 19. Joannem XX menf. 8. D. 29. Secundò Margaritæ Anglicanæ ann. 1282. Sed Martini Papæ II. IV. dicti, anno 2. paterni verò Imperij anno 9.

Bell. 2. P. Chron ad ann. 1276.



Oncedantur Sponsalia antecedentia hujus, egregiæ indolis, ac maximæ expectationis Principis (de cujus miserrimo obitu paulo post) Guillimanno, nulla facta super ea subtili disputatione. Ipse namque (nec alium quempiam scriptorum adhuc vidi) supponit ex Chronico Aulæ regiæ Pragæ, ut in Sponsæ prosapia liquebit, Harmanno prima cum Othocaro Bohemiæ Rege tractatione pacis A. D. 1276. 21. Septembr. Sponsam fuisse Gunegundam hanc, ejusdem Othocari filiam. Cuspinianus, cui Roo adstipulatur, & penè communiter recensiores omnes, pro comperto tradit, in illa pacis cõventione (hanc deinde turpiter fregit Othocarus, sibi Gunegundæ Uxoris astu, & ambitu insultantibus, atque extremum vitæ & regiminis excidium, ut mox contigit, parantibus) actum tantummodo fuisse de reciprocis connubijs, postmodum celebratis, inter Agnetem Othocari filiam & Rudolphum II. Imperatoris filium, ac simul inter hujus gnatam, nomine Gutham, & Wenceslaum Othocari filium, ac Regni paterni hæredem. Scrupulo quidem nullo hæc concors assertio me afficeret, pro abroganda Guillimanni sententia, cum experimento doceamur, multótiens in re historica id quod antecessoribus, ut adnotarentur minimè innotuit, successoribus deindè, integris etiam transactis sæculis, innotuisse, ad quorum manus illa monumenta pervenerunt, quæ alij scriptores nequaquam habuere. Solum posset tantisper obdubitari, quare illa prima sponsalia, illud, inquam, matrimonium ratum ad effectum nuptiarum, & ad suam consummationem haud quaquam pervenerint post mortem Othocari, quæ anno 1278. contigit, & jam Harmannus vivebat (ejus nan ue submersio accidit anno 1282. ut ipsemet Guillimanus fatetur cũ alijs communiter, anno ætatis suæ 18, Si post mortem ejusdem Regis, Rudolpho Cæsaris perduellis, anno præterito Rudolphi II. nuptiæ celebra-

Loco cit. c. 14.

In fine capituli.

In vita Rudol. lib. 1. ad ann. 1278. pag. 32.

tæ fuere, & pax cum Wenceslao firmata? Profecto dubio huic non satisfit, si responderetur, Sponsam Gunegundem vitam cum morte commutasse ante obitum Patris publico bello occisi; nam Auctor in tabula Genealogica Gunegundis, sub Gutta Rudolphi Cæsaris filia apposita, hæc subdit de ea. *Kunigunda Sponsa Harmanni, Rudolphi Regis filij Anno 1276. Obijt 1321. Abatissa S. Gregorij Pragæ Chronicon aulæ regiæ.* Et licet non posset in Guillimannum urgeri, nimirum esse valdè credibile Rudolphum Cæsarem eodem anno effectuationis nuptiarum Rudolphi Filij, pro quibus anxius, ac sollicitus se maximè ostenderat, nuptias quoque executioni mandari procuravisse, ut triplici connubiali vinculo spem certissimam in Bohæmicum sceptrum firmaret, eo quod Auctor asserat nuptias Rudolphi II. cum Agnete Bohæma haud sub anno 1278. cum alijs, sed post decennium, nempè 1288. peractas esse, hæc tamen ratio magis, ut video, adversario proficeret, quam satisfaceret. Eo quod tanto sollicitius ut aliquo modo prima fundamenta suæ spei filij Hartmanni connubio cum Gunegunda Cæsar proijceret, inhiaret, quanto nondum tempus aderat, nuptias Rudolphi executioni mandandi. Si ergo sententia Guillimannica vera esset, fortè posset objectis faciliter responderi, quatenus diceretur, prima Sponsalia intra sexennium illud ad effectum deducta non fuisse propter aliquod notabile impedimentum partis alterutrius, vel quia sponsa religiosa deliberatione cælibem vitam elegerit, vel quia Cæsar Rudolphus aliqua alia rationabili causa urgente ad secunda Sponsalia, primis fortè reprobatis à parente Othocaro cum illis Agnetis, de quibus inferius, Harmannum filium destinarit. At fatalia sidera, quorum infallibilis & inevitabilis regula non est nisi Deus, *in quo vivimus, movemur, & sumus, quæ fuerant abscondita ab oculis nostris* post secunda Sponsalia cum Margarita Eduardi I. Angliæ Regis filia tandem miserando, ac lacrymando interitu terrarum orbi aperuerunt. Ipsum nanque Harmannũ adolescentem spe, & popularium favore prius mors violenta & immatura abripuit, quam destinatos honores & amores consequi potuerit, aut respondere expectationi. Cum enim ex Alsatia, cui uti reliquis Provincijs Habsburgiacis superioris Germaniæ cum Imperio præerat, ad indicta proximis diebus natalitijs Augustæ Vindelicorum comitia, magno & nobilitatis comitatu, & obtinendi cum reliquis Fratribus Ducis tituli desiderio iter instituisset, Rhenumque apud Rhingaviam Alsatiæ inferioris oppidum, paucis apud Argentoratum milliaribus (haud probè plerique scriptores Rhingaviam infra cataractas Rheni Schaffhusianas insulam hujus interitus locum nominant) provigilio D. Thomæ transvehi vellet, primò ventus adversus, mox glaciei fracta ingentia navim affixere. Extremo ingens ex arbore ramus in flumen protensus aliquandiu retinuit, & turbine aquæ circumegit, donec oppletam gurges & unâ vectores hausit. Perijt ætatis anno 18. repertum cum 18. nobilibus, quos idem casus inter alios absumpsit. Basileam transtulerunt, & cathe-

Lib. 30. num. 4.

Hartmanni cum Gunigunda, si hæc Sponsa illius erat.

Roo ubi supra, sed de hac supputatione Guillimanni inferius.

Defenditur Guillimannus.

Obitus Hartmãni in Rheno submersi.

Locus naufragij ex Guill.

Dies submersionis.

Ætas submersi Principis, ac sepulturæ locus, exequiarum, dies, & annus.

cathedrali æde condidere vigilia Natalis Domini. Anno 1282. Quem numerum sexennio uno auxit P. Gans; ponit enim talem submersionem sub ann. 1288. an verò parũ fideliter, vel satis multũ potius, peritiores temporũ supputatores judicent. Exequias egerunt quatuor Episcopi, & frequens proximarum provinciarum nobilitas. Ejus monumentum postea una cum Vrbe terræ motus obruit. Habeo auctores, inquit Guillimannus, unde suprascripta relatio, qui Hartmannum in eodem Monasterio Rhingavia, de qua modo diximus, sepultum tradunt, ostenduntque Monachi monumentum. Alij in Monasterium S. Montis propè Vitodurum comportatum affirmant, pari omnes hallucinatione. Non enim Habsburgienses Harmanni illi, quorum in Rheinaugia, aut apud S. Montem sepulturæ, sed Kiburgenses antiquissimi utriusque Monasterij fundatores. Prosapia Gunegundis paulò inferius in conjugio Agnetis Sororis cum Rudolpho II.

Annot. in arb. prima.

Geneal. Gunegundis in sequenti matrimonio.

GENEALOGIA MARGARITÆ

Eduardi I. Angliæ Regis filiæ, ac alterius Hartmanni Habsburgici Sponsæ.

Ex Guill. M. S. loc. cit. cap. ultimo.

IOannes contra fratrem Richardum in Syria absentem seditiones movit, quo mortuo Dux Normanniæ & Rex Angliæ factus 1201. amisit Normanniam, à Philippo Augusto Rege Galliæ occupatam 1205. anno 316. postquam Rollo eam à Carolo simplice obtinuerat. Tandem à Pontifice regno per sententiam privatus 1218. Vxor Isabella unicá Comitis Engolismi filia. Liberi, HENRICVS II. puer novem annorũ Rex Angliæ 1218. expeditionem in Galliam ad recuperanda à patre amissa irrito conatu suscepit 1231. Duxit Teonoram Reimundi Comitis Provinciæ filiam 1236. cum 56. annos regnasset. Richardus Frater Comes Connubiæ Imp. electus post Wilhelmum Hollandum 1257. in Palæstinam profectus. Vxor Sanctia Raimundi Comitis Provinciæ filia. Ex qua nati Edmundus Comes Connubiæ, & Henricus, missus ad Papam Gregorium X. obijt 1272. Leonora Soror Wilhelmi Comitis Gloceshriæ Vxor Henricum Regem puerum tutatus est. Isabella Soror altera Friderico II. electo Imp. Suevo nupta 1236. obijt 1241.

Eduardus I. ex Gallica Comitum Andegavensium familia Rex Angliæ 1274. Burgedalam amittit 1294. Edenburgum capit 1290. Aquitanjam à Philippo Pulchro Galliæ Rege recipit 1300. Obijt recepta Scotia 1308. Vxor Tenora Alphonsi Regis Castellæ Soror. Ejus liberi

Eduardus II. Rex Angliæ 1308. levis, futilis & infelix. Vxor Jabella

Philippi

Philippi Pulchri Regis Galliæ filia. Ejectus Scotia 1314. tandem à propria Vxore, & filio Eduardo & Principibus Regni captus & regno privatus est 1326. MARGARITA Sponsa Hartmanni,&c.

MATRIMONIUM IV.

Rudolphus II. Dux Austriæ, & Stiriæ, Carniolæ & Marchiæ Dominus, Comes Habsburgi, & Kiburgi, Alsatiæ, Landgravius duxit Agnetem (Onuphrius Elisabetham) Othocari Bohemiæ Regis filiam anno 1286. Pontificatus Honorij IV. Anno I. Imperij Rudolphi Patris anno 13.



Dubium ex supputat. Guill. Loc. cit. tom. 1.

ANtequam de hoc connubio aliud scribamus, dubium unum, quod mihi occurrit ex supputatione Guillimannica, solvere necessarium puto. Asserit ergo historicus noster, qui certè haud parum existimandus, Agnetem nupsisse Rudolpho anno 1288. ita in tab. Gen. citata. Egisse verò eandem cum eodem in connubio quatuor tantum annos, observat cap. 9. lib. 2. Obijsse deinde eundem Rudolphum anno 1290. fatetur ibidem cap. antecedenti. Vnde apparet, Guillimannum sibi ipsi esse contrarium, cum nuptiarum tempus temporibus tam mansionis conjugalis præfatæ Agnetis, quam commemorati obitus Rudolphi minimè conformetur. Duo exemplaria citati M. S. sunt apud me, jam summa diligentia utrumque percurri, ut experirer, si fortè in hoc puncto inter se aliquando discrepent. In priori, ac vetustiori, quod ex varietate scripturæ ita malè exaratæ illud idem Auctoris & continuatoris esse comprehenditur, nota illa numeri 8 non adeò distinctè potest cognosci, ac sine hæsitatione utrum 6. numerum indigitet licet potius demonstret illum eundem numerum, quam 6. Quia tamen, Auctores quemadmodum & librarij plerumque inadvertenter in similibus labuntur, dicendum, mentem Guillimanni non ab illa tabella Genealogica, cujus mendum fore corripiendum autumo, sed melius à textu adducto interpretandam esse. ac Rudolphi nuptias cum Agnete Bohæma anno 1286. celebratas esse.

Solvitur, & mens auctoris aperitur.

Roo ponit hanc pacis tractat. sub ann. 1276. Excur. xi. in filiis Rudolphi I. pag. 255. Guill. loco cita. cap. 9.

In illa ergo pace inter Rudolphum Cæsarem, & Bohemiæ Regem Othocarum actum etiam est de nuptijs Wenceslai cum Gutha Cæsaris filia, & Rudolphi hujus Fratris cum Agnete Bohemi filia, ea conditione, ut si VVenceslaus sine hæredibus obiret, ipse in regnum succederet, quod & factum, ut in chronologia, in 1. Gentilitio posita tetigimus, & in sequenti, ac etiam penultimo distinctius exprimemus Nihilominus Agnetem nondum puberem Othocarus Pater, postquam Vxoris odio stimulatus, & ira

pacem

pacem cum Rudolpho obrumpere cum decrevisset, in despectû ejus, & cui promissa fuerat, filij Rudolphi, Monasterio S. Claræ Pragæ una cum undecim prima ex nobilitate virginibus inclusit, monachamque præter ætatem profiteri coegit, tanta commiseratione Bohemorum & luctu, ut id malorum omnium, quæ successerunt, principium vulgo prædicarent & lamentarentur. Ubi is prælio cecidit, & in fidem Bohæmos Cæsar recepit, Regnumque Wenceslao Othocari filio stabilivit, sponsalia inter utrumque Rudolphum & Agnetem prius facta rursum approbavit, & simul cum adolevissent, matrimonio jungi voluit. Gerardus de Roo, cui adstipulatur P. Gans, distinguit tempora inter nuptias Rudolphi cum Agnete Bohæma & inter nuptias Guthæ sororis suæ cum Wenceslao Agnetis Fratre. De illis enim hoc modo loquitur sub anno 1278. Itaque pax conficitur (idest cum Wenceslao, Othocari filio, parente jam extincto) & conventu Iglaviæ indicto confirmatur in præsentia Principum, Episcoporum & Comitum, qui prælio interfuerant. Pacta pridem inter Wenceslaum tunc octavum agentem annum, & Gutham Cæsaris filiam; Rudolphum item & Agnetam matrimonia cum certa successionis spe (si VVenceslaus prole mascula non suscepta decederet) confirmantur. VVenceslai tutela, & Regni administratio Othoni, quoad Rex adolesceret, committitur. Is Episcopum Brandeburgicum posteà rebus imposuit, & puerum regem in suam ditionem secum abduxit, undique reclamantibus Bohæmis. Nuptias Rudolphus postea Iglaviæ celebravit. Vbi verò agit de secundis nuptijs sub anno 1286. inquit, hoc ferè tempore VVenceslaus Bohemiæ Rex suas Pragæ nuptias luxu plusquam regio celebravit, de quo luxu suo loco in sequenti parte explicitius. Roo subscribit Gans, ut dixi, & alij recensiores. At Guillimannus nulla facta inter hæc tempora distinctione, vult omninò eodem anno 1286. bina hæc atque reciproca Matrimonia celebrata fuisse. Aderat, inquit, Conventui (scilicet Augustæ anno 1286.) Rex Bohæmiæ Wenceslaus admodum adolescens, & qui 16. annum vix excesserat, sed egregia supra ætatem virtute, jam regno par sponsæ adhuc Cæsaris filiæ conjugio destituebatur, unusquisque id rebus suis stabiliendis, & augendis præsidium rebatur. Nam & mater quæ hactenus tutelari causa regno præfuerat, mortem appetierat, & ejus obitu Zeuischij, cui illa secundò nupserat, potentia plurimum minuta facilem etiam de ejus injurijs vindictam pollicebatur. Sed Cæsar petenti sponsæ Copiam Wenceslao prius non concessit, quam Bohemiæ Barones juramentum fecissent, Wenceslao genero obsequentes & fidos fore, & contra quamcumque vim & injuriam laturos opem, in primis si res exigat in Zeuischium, cujus opes Reginæ conjugio, mox popularium nobilitate & favore eousque processerant, ut privatum modum suppergressæ, minimè parem, nedum superiorem passuræ viderentur. Cum Bohemi omnia promisissent, & ab socero commeatum accepisset, Wenceslaus ab Rudolpho petijt, uti sponsam sibi suam

Gans annot. in Arb. 4.

Loc. citato.

Nuptiæ Rudolphi quando celebratæ ex Roo.

Nuptiæ VVencesl. cum Gutha.

Loco cit. in arb. 1.

Cap. 8. lib. 2.

N quam-

quamprimum adduceret, pollicitus se quo minus sororis Agnetis conjugio ex templò ipse vicissim potiatur, in nulla mora futurum. Igitur Rudolphus cum fratre Alberto subito in Austriam delatus, sororem Gutham in Moraviam, ingenti apparatu deduxit, Iglaviæque loco constituto, Wenceslaum & Agnetem obviam habuit. Ibi facta commutatione sororum, nuptiæ Rudolphi & Agnetis maxima lætitia celebratæ, & postea & Ægræ nobili in finibus Bohæmiæ Civitate Guthæ, & Wenceslai. Itaque dum Roo 8. ante annos celebras ostendit nuptias Rudolphi, nempè anno 1278. ac non simul cum Wenceslai nuptijs, cumque deindè asserat mortuum Rudolphum eundem anno 1289. (Guillimannus 1290.) consequitur exindè necessario, Agnetem haud annos quatuor egisse in conjugio cum consorte Rudolpho, sed potius undecim, quod est tempus notabile; quodque facta collatione monumentorum inter se, ac simul supputationum utriusque, num illud verificari possit, numque harum una vel altera, & è converso firmior sit, vel infirmior, non est mei judicij discussio, & multò minus determinatio.

Nuptiæ Bohemiæ Regis, ac Rudolphi Austriaci.

Cæterum Rudolphus pacatis, & compositis suis Provincijs; maximè verò deinde Turgovia, ejecto tandem, & Pontificis autoritate etiam exuto S. Galli Abbate Guillelmo, cum Vxore, quæ Regis fratris desiderio maximè tenebatur, non minus atque ipse videndæ sororis, in Bohemiam descendit, contractoque Pragæ morbo ibidem obijt V. Idus Maij anno Domini 1290. ætatis 21. ingrediente sepultus est æde, & monumento ibidem regio, ingenti Wenceslai, sororisque Reginæ & Cæsaris patris merore, ac desiderio. Sunt qui asserunt, Rudolphum, qui in Regno Bohemico succedere debebat, primo anno à Bohemis veneno sublatum; sed de hoc alibi. Reliquit Vxorem gravidam Rudolphus. Ea Joannem peperit, Alberti Cæsaris patrui & curatoris interfectorem, qem Henricus VII. Pisis Monasterio Augustiniano inclusit, ubi longa facinoris pænitentia exacta, morte absumptus est, & sepultus. Vnde Epitafium.

Rudolphi obitus Pragæ 1290. ibique sepultura.

Ioannes posthumus nepos Alberti Cæsaris, & ejus interfector.

Ejus Epitaf. Ex Henning. in Alberto.

Mille trecentis Christi deca cum tribus annis,
Defecit juvenis Ducis Austri vita Joannis,
Idus Decembris obit hic Pisis tumulatus,
Inter ex animo virtutibus atque probatus.
Stirpis regalis fuit ex utroque parente
Nunc immortalis dotetur ab omnipotente.

Sed de isthoc Principe, probata vita defuncto, in penultimo Gentilitio, non enim par est è catalogo Austriacorum procerum virtutum eum excludere, cum paricidij scelus multis fletibus, factus religiosus ac pœnitens, deleverit. Præter nomina, quibus in principio juridicè Rudolphum hunc intitulavimus, alia quoque reperitur de eo inscriptio his verbis

Rudol-

Rudolphus Dei gratia Dux Austriæ & Stiriæ, Princeps Carniolæ, Marchio Portus Naonis, Dominus Habspurgij, & Comes Kiburgi, Landgravius Alsatiæ. De vestitu ejus, & plurium successorum ne quis miretur, aut causam desideret, hoc quoque explicare visum est. Viri olim Principes veluti potestatis & dignationis documentum atque insigne, purpuram gestitare solebant, inque humeros expansam epomidem, quæ plerumque pellibus variegatis prætexeretur. Capitium vocabant, quo etiam caput obvelabant. Retinent speciem aliquam Rectores Academici, sed ejus maximè figuram sua veste repræsentant qui Friburgi Briscoviæ primam Philosophiæ lauream accipiunt. Vxor Agnes, quem in Regis sui Conjugio annis tantum 4. ut diximus cum alijs, commoraverat, & infelici partu Ioannem posthumum perindè edidit, absumpto verò flebili, & præmaturo obitu marito, eodem quo prius monasterio se abdidit, & tanquam vera Christi famula, Sanctiq; P. ac Seraficis Francisci discipula, atq; S Claræ filia inclyta non amplius materiali, sed spiritali auro, ac diademate vidualis castimoniæ duntaxat redimita, plurimis aliarum virtutum gemmis exornato, paucisque etiam inibi annis transactis, multa per pietatis exercitia, & effusa in pauperes largitate obijt anno Domini 1296. 12. Cal. Iun. Corpus ejus monasterij æde tumulatum, at cor translatum in monasterium, cui nomen *Aula Regia*, vulgò Zbraslaum, quod quatriennio frater ante Wenceslaus, & Gutha Vxor condiderant, magnisque opibus exornarant, duobus propè à Praga milliaribus.

Alia inscriptio de Rudolpho.


Ejus vestitus.

Agnes quid egerit post immaturũ viri obitũ.

Obijt Agnes clarissa 1296.

GENEALOGIA AGNETIS

Rudolphi II. Vxoris, Othocari Bohæmiæ Regis filiæ, ac Gunegundis, primæ Hartmanni commemorati sponsæ sororis.



Remislaus Othocarus II. patri rebellis adjutus à Marchione Misniæ Henrico, sed victus & supplex factus, non impetràt gratiam, quin prius aliquo tempore carcere includeretur. Tandem à Patre liberatus, fit Marchio Moraviæ; fit ex Vxore Dux Austriæ. Emit à postremo Vdalrico Carinthiam, & Istriam, Civitatum Longobardicarum Patronus Imperium oblatum recusat. Interfectus bello contra Rudolphum Cæsarem suscepto 1278. 26. Augusti. Tres Conjuges duxit, Beatricem sine liberis, Margaritam viduam Henrici Cæsaris, Friderici II. filiam, Ducem Austriæ & hæredem, repudiatam propter sterilitatem, quia anus erat A. 1261. & Kunigundam Roscislai, sive Roxelari Bulgariæ Regis filiam, neptem Belæ Regis Hungariæ

Ex Tom. 2. M. S. loco cit. num. 4.

Vxores tres Regis Othocar.

Ex postrema sola tres proles tantum.

gariæ, nuptam 1261. mortuam 1285. Genuit ex hac ultima Othocarus tres proles, Kunigundam sponsam Hartmanni Rudolphi Regis filij A. 1276. quæ obijt 1321. Abatissa S. Gregorij Pragæ, ut in Chronico aulæ regiæ. Genuit & Agnetem, Rudolphi Ducis Austriæ Vxorem, factam à Patre Monialem, ac deinceps nuptam 1288. (emendatius 1286.) ac mortuo marito iterum monialem factam ad S. Franciscum Ægræ. Demum genuit Othocarus WENCESLAVM II octo annorum mortuo Patre Regem Bohæmiæ, coronatum 1297. factum etiam Poloniæ Regem 1300. recusantemque Regnum Bohæmiæ, ac tandem tabe extinctum 1305. ætatis 34 mens. 3. Prima Wenceslai Vxor Gutha Habsburgica, nupta 1286. ac in puerperio 1291. è vivis sublata. Secunda Elisabetha Polona (ea vidua nupsit Rudolpho Austriaco, Bohæmiæ Regi, de quo inferius in liberis Alberti I Imp.) per quam filios 4. procreavit, nimirum Elisabetam, Agnetem, Annam, Wenceslaum, & Margaritam. Prima nupsit Ioanni Lucemburg & Regnum Bohæmiæ ad Lucemburg tulit: Nuptijs Spiræ celebratis 1309. Cal. Sept. cum esset ipsa 18 annorum, ipse 14. Ioannes *ex Vxore* fit Rex Bohæmiæ ann. 1311. 5. Febr. Secunda fuit Conjux Henrici Iaurensis Ducis Silesiæ. Tertia *duxit* Henricum Carintiæ Principem. WENCESLAVS III puer 12. annorum, factus Rex Hungariæ à Patre, electus contra Carolum Siculum, coronatus Albæ, & mutato nomine dictus Ladislaus 1302. Sed à Patre domum reducitur, accepta corona Hungariæ. Succedit Patri 16. annorum: puer in Bohæmia libinosus, & ebrius. Vocatus, catus iterum ad regnum Hungaricum & etiam Polonicum, inertia neglexit. Tandem ubi in Poloniam ire parat confoditur à conjuratis Olomuzij vix 18. annorum natus 1306. 4. Augusti. Margarita Vxor fuit Boleslai Ducis Silesiæ de Ligniz, obijt 1322. Id Apr. sepulta in aula regia, fundatione paterna, ita Chronicon aulæ regiæ.

Duæ Vxores Wenceslai II.

Liberi Wenceslai ex 2. conjuge.

Ladislaus III. occiditur.


Nota.

Regia posteritas in hac familia finem habuit, nam mortuo VVenceslao successit Henricus Carinthius, sed exturbatus ab Alberto Cæsare, dat locum Rudolpho Austriaco, qui ducta vidua VVenceslai II. Polona, regnat annum unum, obiens 1307. ex nimio esu crudorum fructuum. Eo defuncto, iterum sunt duo competitores, idem Henricus, & Fridericus Austriacus Rudolphi frater; sed moriente patre Cæsare, obtinet Carinthius, & administrat regnum Bohemiæ donec propter injustitiam & crudelitatem rejectus de regno, cederet Ioanni Lucembergensi, Henrici VII. Cæsaris filio, qui regnum ad suos posteros transtulit.

EXCVR

EXCVRSVS IV.

De Matrimonijs Filiorum, ac Nepotum Alberti Cæsaris ex Othone. Nimirum Rudolphi III. primi Bohemiæ Regis, Friderici III. Rom Imp. Leopoldi I. Alberti II. Othonis, hujusque liberorum Friderici, & Leopoldi, nec non & postremò Henrici. Quæ numerum VIII. complent, annos vero XXII.



Adem illa prorsus est series ista, quam superius ex M. S. Guillimanni adnotavi. Fateor opus illud multa continere, ut ipsemet Auctor protestatur, ab historicis amissa: at non propterea adeo eû in omnibus constans, certum, & ab omni hæsitatione liberum ipse facio, ut nonnunquam in aliquibus minimè labi affirmarem. Quia vero pleraque sunt in eo, quæ, ut puto, nondum ad lucem pervenere, certè congruum valdè esse existimavi, ea aut disputativè, aut recitativè, aut alio quovis modo posteris tradere, quorum in re historica peritioribus melior, atque exactior discursio super ijsdem derelinquitur.

MATRIMONIVM V. DVPLEX.

Rudolphus I. Rex Bohemiæ, Dux Austriæ & Stiriæ, tertius Comes Habsburgi, & Kiburgi, Landgravius Alsatiæ comes duarum consors, Blancæ Francicæ Agnomento Miles duarum consors, Blancæ Francicæ Anno 1300. Pontificatus Bonifacij VIII. anno III. & Elisabethæ Poloniæ viduæ anno 1306. qui erat Clementis V. primus, Patris autem Cæsaris septimus.



Votquot tradidere Blancam Philippi Regis Franciæ, Pulchri cognominati, sive filiam, sive Sororem anno 1305. vel 1306. secuti deinde à Roo, & postremò à Gans, ajente, prima Vxor (Rudolphi Mitis) Blanca, Philippi Francorum Regis Soror, quæ primo statim anno, ideft 1305. obijt Viennæ. Roo prius idem

Lib. 2. pag. 74. Vbi supra anni in Arb 1. de liberis Alberti Cæsaris.

idem docuerat ſub anno 1306. in quo incidens electionem Rudolphi in Regem Bohæmiæ, ante annum obijſſe Blancam ejus conjugem primã abſq; ulla prole ſuperſtite hiſq; temporibus eidẽ Principi elocatã indigitat. Aſſerverunt pariter nonniſi annum unicum inter nuptias Blancæ, & Eliſabethæ Polonæ excurriſſe. At contrarium omninò utrumque (quod ſcilicet neque illo anno Blancæ nupſerit Rudolphus, neque uno ſolo anno, ſed pluribus cum ea manſerit) Guilli. oſtendit monumento ſatis claro (niſi aliundè in eo mendum aliquod contingerit) & hiſce verbis lato. Pace apud Valcolorem ad Moſam Oppidum Franciæ, & Lotharingiæ Lincitaneum A. D. N. 1299. inter Albertum Cæſarem, & Philippum Pulchrum Galliæ Regem, & antiqua neceſſitudine inter untrumque Germaniæ, & Franciæ Regnum renovata, alias inter conditiones & amicitiæ firmamenta BLANCAM Regis ex patre Sororem (in margine, ut dixi, filiam) ſumpſit Vxòrem, nuptiaſque Pariſijs magno apparatu, & frequentia celebravit anno ſequenti. Hacdere ſcriptor Gallus ejuſdem ætatis, nec dum editus, cujus proinde verba audire pretium. *In eſtate, inquit, ſequenti Rudolphus Filius Ducis Auſtriæ, & Regis Allemanniæ Alberti primogenitus de conſenſu Patris, Prælatorumque Allemanniæ, & Baronum Conſilio pariter & Francorum duxit Vxorem Blancam, Filiam Mariæ quondam Reginæ, ſororem ſcilicet Regis ex patre, in quorum nuptijs Pariſijs factum eſt gaudium, & exultatio celebris, & feſtiva. Ob hoc enim matrimonium facta eſt amicabilis confederatio Allemannorum cum Francis, Pareſque Allemanniæ, ut dicitur, conſenſerunt ad heredes ipſorum de cætero regnum Allemanniæ pervenire.* Aucta eſt lætitia eodem tempore Ludovici Regis ſponſæ avi ſollenni translatione, poſtquam Bonifacius VIII. Pontifex Sanctorum numero adſcripſiſſet. De qua idem ſcriptor. *Tunc etiam in craſtino Sancti Bartolomei Apoſtoli corpus S. Ludovici quondam Franciæ Regis levatum eſt, & translatum cum gaudio maximo, ſive feſto apud S. Dioniſium in Francia adſtantibus Rege, cunctiſque Baronibus, & Prælatis Regni ſui, & vulgi multitudine copioſa.* Sed haud diu admodum Blancæ conſortio lætatus eſt Rudolphus. Extincta ea Vienna ſexto poſt anno Chriſti 1305. primò in puerperio, ſi Sigfrido fides. Hactenus Guillimannus. Hujus primæ, ac egregiæ virtute, & ſanguine Sponſæ proſapiam, in cujus pauco exordio nonnulla de ejus laudabili, ac Chriſtiana vita proemialiter, dabo inferius ordine debito.

Lib. 3. cap. 2.

Eberhardus in ſuis Ann. ait 1301.

Clebratio nuptiarum ubi, & quo tempore. Teſtimonium hujus hiſtoriæ.

Quanta felicitas in hoc matrimonio.

Eodem tempore Regis ſponſæ avi S. Ludovici corporis facta eſt translatio.

Luſtro integro conſors Blanca vixit cum Rudolpho, imò per ſexennium.

Itaque Rudolphus tranſijt ad ſecundas nuptias, extincta jam priori conjuge, anno qui ſupra 1306. Electo nanque in Bohemorum Rege ſicuti jurica pacta, de quibus fuſius ſuo loco, procerum Regni expoſtulabant, ſtatim magna erga Eliſabetham VVenceslai Senioris viduam, & novercam Junioris Bohemorum penè omnium ob virtutem ejus, & modeſtiam amorem eſſe, & reverentiam animadvertit. Quamobrem, ut hac quoque ratione popularium ſtudia in ſe transferret, & confirmaret, ſecundam adſcivit conjugem ſingularique in honore habuit. Quia tamen pauci nul-

2. Nuptiæ Rudolphi.

lo

lo publico ordinum consilio, sed novandi cupidine imperium adhuc detrectabant, armaque quam gratiam experiri mallebant, Horasdiovicium, & in eo rebellium capita obsedit. Cum expugnatio parum procederet, operibus & machinis circumvenit. Interea per anni calorem suscitata in exercitu contagio, & ex æstivorum fructuum esu immoderato ventris Rudolpho profluvium. Vnde paucis diebus, frustra Pragam rediret, & valetudinem curaret, Henrico Rosenbergensi militiæ præfecto generali suadente extinctus est A. D. N. 1307. Ætatis 23. De morte tamen ejus, ut fermè rebus repentinis, & insperatis, neque etiam per ea tempora convenere. Richardus à Polheim æqualis, & plerique Austriæ Annales veneno perijsse tradunt: alij ut diximus profluvio. Non desunt, qui in tabernaculo per noctem, vi adhibita suffocatum proferant. Prærogativæ virtutum in eo multæ & singulares; at illas penultimo Gentilitio referre statuimus. Chronicon Neoburgi claustralis notat obijsse Rudolphum in die S Vldarici Episcopi, sive IV. Julij Ephemeridis Bohemiæ scriptor V. Nonas Julij. Alij ut & Cosmas Nonis Julij, quo crediderim die sepulturæ, & exquiarum actam celebritatem delato funere in arcem Pragensem. Obijt ex utraque conjuge illiberis, licet aliundè utriusq; connubio felicissimus, & fecundissimus optimis, ac commendabilibus facinoribus. Obijt, inquam, valdè (ehu dolor) immaturè, fratresque fato, uti vita antecessit, quos si interitu adeo repentino dolore, ac tristitia affecit maxima, maior tamen lætitia, non eorum tantum, sed omnium simul Principum illius ævi, Christiana conscientia, ac dilectione erga hæroicas dotes præditorum extitit; eo quia *consummatus in brevi tempora multa expleverit*, quibus sibi immortale nomen comparare debebat, nec non & immodicam Prosapiæ suæ gloriam successivè lucrari.

In morbum incidit, de cujus causa, quæ ipsi brevi mortem intulit, variè opinatur.

Sui obitus tempus, ætas, ac non eadem suspicatio.

Sepultura.

SECTIO I.

GENEALOGIA BLANCÆ Francicæ, primæ Rudolphi III. Conjugis.

ANTELOQVIUM.



Vix gradum unicum paulò altius aliquis efficiens, generationum tramitem, undè hujus perillustris Mulieris paterna sobole origo, perlustrabit, quod statim ad aureum Avi sui germen perveniet. Ibi enim veluti recentem truncum, ac suæ proximiorem nativitati post parentem adinveniet S. Regem Ludovicum IX. ex Capeta stirpe, cujus vita admiranda in horto

Catho-

Catholicæ Ecclesiæ integrum Sanctimoniæ Paradisum illo Heden plurimum sanè feliciorem, ac uberiorem, perpetim ab ea perfruendum, adhuc adolescens sub materna Blancæ Reginæ pietate Angelica industria plantavit, ac maritali jugata fædere, superis ipsis, ne dum orbe toto obstupescentibus, perfectissimè excoluit. Sibique Sacramentaliter atque indissolubiliter copulatam insitamque conspiciet Margaritam Arelatensem, Galliæ Narbonensis Comitem. E conjugio horum auspicatissimo Philippus, & Robertus prodiere, ille primogenitus, ac Regni successor, hic autem Comes Claramontanus, abs quo Regales descendentiæ Comitum Claramontanorum, Borbones Duces, ac Vandomi, Reges Navarræ, qui sunt ijdem stipite, nec non & Montispessulani Proceres, alijque Principes (di S. Polo, della Roccia Gurion, ac della Marcia) Italicè denominati. E laterali, ac fraterno S. Regis Ludovici germine per Carolum claudum Salerni Principem, Regemque Neapolis, ac Siciliæ, atque illius nepotem ex germano fratre Carolo tardo Andegavense (d' Angiò Itali) Apuliæ, ac utriusque Siciliæ Rege, Pronepos ejus nominis & vitæ imitator, quin etiam Mundi, & scepri contemptor egregiè erupit S. Confessor Ludovicus, Tolosæ Antistes Blancæ nostræ consanguineus ex patruele, siveetiam ipsamet patruelis in secundo gradu. Quapropter ne tanto talique generi serenitate prosapiæ, imò divina claritudine, cujus lumen quamvis modicum etiam inter mortales, quemcunque sanguinis, ac carnis splendorem infinities excedit, decorato, degener extitisset, & maximè avitæ, ac personali viri sui nobilitati, ac piepati copulata, Blancæ proaviæ, Avique Regis exempla persecuta, instar multarum christianarum virtutum speculi, omni imitatione digni posteritati se præsentavit. Ejus sterilitas suarum nuptiarum exuberantem felicitatem, quæ communis pacis bonum inter Allemannos, & Gallos pepererat, atque ingens gaudium pro divini thesauri corporis avi sui translatione conceperat, unde postmodum innumeros devotionis, ac pietatis fructus abunde ediderat neque tantillum offendit. Ejus puerperium (si ipsum Sigfrido gratis concederetur) quamvis in tam preciosam sui esse vitam impegerit, eamque extinxerit, nihilominus vitale, ac spirituale Palladium à vera Dei Minerva gratiosè sibi datum tangere neutiquam potuit, licet sævæ mortis falce inexorabiliter armatum, quin dupliciter regiæ Fæminæ vita nempè terrenis, ac cœlestibus, tanquam sol è nube luculentior, ac vegetior prorumperet. Hinc Vates. Supra citatus.

Proles magna Deûm cælo delapsa sereno,
Blanca hominum Divumque decus; cui plurima fronte
Cæsaries instat; lucenti lumine lustrat
Collectas tenebras, & vultu terminat Austros.

Ejus educatio in fratrum Minorum dilectione ab suo ferè conceptu inceperat. Quis enim fuerit Blanca Regina, S. Regis Ludovici Mater erga

institutum

Institutum Seraphicum, quis & ejus ventris fructus benedictus, merito inter S. P. Francisci tertij Ordinis Heroas cinericio paludamento, quo etiam mysticè Rex Regum convestitus à sacris paginis demonstratur, indutus, nec non & Pronepos Ludovicus, Regni nostri Neapolitani futurus successor, nisi vitam Minoricam professus esset in manibus summi Romæ præsulis Bonifacij VIII. antequam Pontificium Ecclesiæ Tolosanæ onus, ab eodem oblatum acceptaret (prius enim voluit ab oculis totius ferè Romæ habitu Minorum, à quibus fuerat educatus, & in doctrinis, & moribus instructus, ac Regulæ S. Francisci ex voto astrictus publicè videri, ac teneri, quam aliud opus inciperet, ac perficeret) quæque omnis eorum soboles, & posteritas fuerit, optimè gnarus totus terrarum orbis, ut percontationibus his responderet, reperitur. Hinc est, quod Pijssima Blanca eundem amorem usque ad ultimum vitæ spiritum ardenter conservans, illis religiosis, defuncta, ac in cinerem resoluta, commorari sedula cura elegit, quibus maternæ ac magnanimæ dilectionis vinculo ejus pulcherrima anima, humilitatis, ac Apostolicæ vitæ, paucarum rerum contentæ amica, ceu proavorum, ac consanguineorum suorum ingenua imitatrix, semper à teneris unguiculis juncta fuerat. Paucis verbis omnia Blancæ encomina, animi sui dotibus promerita clausit Nicolaus S. Crucis monachus, qui eodem quoque tempore vixit, ac scripsit. *Mulier, inquit, virtutis Dei cultrix, & pauperum consolatrix.* Quæ duæ res cum amori Dei, & proximi, unde tota lex pendet, & Prophetæ correspondeant, in illis veluti in duobus stabilibus fundamentis totius Christianæ bonitatis structuram prudentissima mulier exitu nimium fecundo extollere curavit, ac simul in morte Viennæ, ubi animam Deo reddidit, perficere. Et ubi æde Franciscanorum, quam suo ipsa sumptu condiderat, uti & cœnobium universum (quemadmodum & mariti favore & opibus etiam S. Claræ monasterij prima fundamenta jecit, quod Anna Friderici III. Cæs. filia ibidem antistita, & Catharina Alberto II. genita ad summum splendorem amplis divitijs perduxerunt (at de his specialior mentio suis in locis) tumulari voluit.

Posui vestimentum meum cilicium Psal.


Vide offic. ejus apud fratres Min. die 5. octavæ.

Nicol. S. Crucis Monachus de Blancæ commendatione.

Cœnobium Franciscanorum Viennæ extruxit, ac monasterij clarissarum fundamenta jecit.

GALLIÆ REGNI

Nec non & Blancicæ Prosapiæ radicalis enarratio.



FRanciæ Regnum, regnorum omnium totius Mundi non immeritò princeps dictum, & adhuc Rheno terminatum, tantum antiquorum Romanorum tempore sese hinc inde dilataverat extenderatque, ut ingens flumen illud, quod per illius medium transmearat, ejus synum longo undarum

Ex diversorum Chronologiis tam Latinis, quam Italis.

tractu divideret. At postmodum, vigentibus populorum subversionibus, nec non & Regni mutationibus procellosè emergentibus, tota illa ultra Rhenum intercapedo scissa, ac divulsa à Francia juncta est Germaniæ; quæ porro hac de causa in ingentem amplitudinem mirandum in modum pervenit, ut totius Europæ ventrem vocari meruerit. Regnum pervetustum Franciã extitisse, pro comperto ab omnibus fertur, quemadmodũ & in omni ævo innumeris populis affluens, fertilitate, divitijs, cultura, mercimonijs, atque incredibili navigabilium fluminum; ex omni parte ab una ad alteram Provinciam excurrentium commoditate. Hodie, ut traditur, X V. subditorum Miliones, Regis sui obedientiæ paratissimi, è quibus exercitus penè innumerabiles milesque generosus strenuusque semper exierunt, adnumerantur. Hæc naturæ dona, hæ prærogativæ adeo singulares diuturna, ac quotidiana fomenta ei administravere, quibus incessanter ferox, ac superbum effectum, Marte nunquam lasso irruit formidolosè in classes innumeras, easque in magnum discrimen submisit; plagas quasque, remotissimè sitas armis suis, glorijs, ac invicti, indomabilisque nominis fama penetravit. Quinimò potentissimâ dextrâ, tanquam Sedis Apostolicæ primogenituræ titolo insignitum, pluries Ecclesiam suosque Pontifices ab oppressione Barbarorum, illorum ditionem statumque immaniter infestantium, ac depopulantium miserrimè, defendit. Quibus insuper Civitatũ, Provinciarumq; donaria adjecit; studuitq; flagranter, ut absolutè in libero eorum regimine atque debita existimatione conservarentur. Tanto sibi majus Religionis meritum aggregando, quanto sæpius victricia arma magnanimiter in Orientem transtulit, ibique super Civitatis Jerusalem menia, Terram Sanctam è Scitarum tyrannide eximendo, Christi insignia explicuit, priscorumque Apostolorum antisticam Sedem Regnorum acquisitione instauravit; atque magnum sui roboris nomen impigrique in fidem Catholicam ardoris rumor in ijs infidelium regionibus perpetim resonare effecit. Regnum, cui suis profectò muneribus influentiæ præcipuæ cœlestiorum arrisere, cuique, ut fertur, trium armis gentilitijs bufonum in aurea Lilia cœlesti campo adolentia penè ad miraculũ commutatis, superi ipsi ejus gloriosa facinora, gestaque memoranda divino fato sunt auspicati. Et quod majus beneficium, bino prodigio rarum, ipsi soli concessum videtur, ut solum ipsum tot Christiana, ac Catholica Europæ regna præcelleret, illud primò in perennem stuporem omnium mentem semper rapuit, quod de SANCTO CHRISMATE, è Celo pro Regis Clodovei primi Christiani consecratione supernaturali virtute emisso historica veritas, imò etiam ipsum experientum, tot sæculis in admirationem habitum, infallibiliter prodit. Hoc siquidem oleo tot hucusque Reges uncti sunt, nec tamẽ unquã aut in defectionem abijt, aut saltim in diminutionem. Porrò aliud miraculum de omnibus Galliarum Regibus, incurabili strumarum morbo tactu manuum certam medelam, seu curationem afferentibus,

Quot animæ in Galliarum regno hodie numerentur.

Accidit istud prodigium de ampulla cœlitus data anno 485.

tibus, haud dubia fide, ac in omni ævo publica, nec non egregia memoria percrebuit, maximamque peperit admirationem.

Gloriantur Franci (id eis cummuniter monumentis historicis, quemadmodum & nominis etymo suadentibus) originem ducere ex Franco, Hectoris filio, ac Priami Regis Trojæ Nepote, anno orbis conditi 2821. ut placet Bellarmino, sub Dercilo Monarcha Assiriorum 29. qui regnare incepit ann. 2810. Jephte Hæbreorum Judice, regnavitque ann. 40. funditus eversæ. Illinc enim, inquiunt, Francus iste profectus, & à suis fratribus, quin etiam à compluribus Trojanorum equitibus, alijsque conterraneis sequutus, ad paludem Mæotidem in regione Scithica septentrionali, Tanaim, aliquosq; innumeros ferè amnes recipientem, ita dictam ab accolis, qui Mæotæ appellantur, pedes fixit. Vbi cum suis quieta frui vita peroptans, Civitatem Sicambam, vel Sicambram ædificavit. Nihilominus tam ipse, quam cæteri successores sæpissimè exturbationem maximam per multa sæcula usque ad imperium Valentiniani postremò passi sunt. Eo postmodum tempore integrum pacis, ac tranquillitatis statum adepti, decreverunt unum ex ipsorum Procerum sobole sibi in Regem eligere, regiamque dignitatem, antea deperditam, iterum renovare. Quo facto, ac suffecto Pharamundo, paulo post ad fluvium Salam condidere legem Salicam, eamque observandam juravere his verbis. *In terram Salicam mulieres ne succedant.*

1. Par. Chronol. Quando eversa Troja.

Lucan. lib. 3.

Francis quando regia dignitas restituta, lexque Salica condita.

Hos Trojogenas, Frigios Græcosque, ac Sicambros eosdem cum Cimmerijs fuisse, Francorumque progenitores quamplurima monumenta, & omnia vetustissima commonstrant. Mæotis nanque palus in septentrionis plaga juxta Phasidis Cimmerio Bosphoro à ponte Euxicano discreta est. Hinc Diodorus, Cimmerios hos progenuisse Francos asseverat. Cimmerij appellantur à Cimmeri Troadis urbe, Edonis prius vocata, &c. tradit Plinius. Sed magna lis, & altercatio hucusque inter Germanos Gallosque, num scilicet Francus Rex (transactis tribus Teutonum antiquissimis familijs, quarum primam ad Nepotes Noe referunt, secundam verò ad Gotthicos, Suevosque atque Ascanios, tertiam ad Herulos, Vandalosque) quarto loco stirpe sua, cæteris longè illustrior (teste Gabriele Bucelino, cum quo inferius aliquanto obiter altercandum) adeo Frangigenas Gallicanos condiderit, ut ab his omnis Germaniæ principatus derivant; vel è contrario, ita Germanos, ut tota Galliarum nobilitas, quæ adhuc in suis Regibus perseverat, ab illis originem ducere asserendum foret. Super quam rem idem Bucelinus luculenter quidem, & cordatè pro suis Germanis hac nostra ætate scripsit, eorumque nationem non tam postea à Rege suo Franco, quam ab eximia prorsus sua, & Principum suorum libertate, verè FRANCAM, hoc est liberam cognominari contendit. Certè nisi auctor iste vitiosè excederet in conterraneorum suorum amorem (pro quibus in suo sensu extra se raptus nimis plenè abundat) quin & calamo ita acri

Palus Meotidis ubi.
Lib. 5. cap. 9.

Lib. 5. cap. 30.

Gabriel Bucelius p. 3. de Geneal. Germaniæ notitia, ubi de 4. famil. Germ.
Loco citato.

principaliores Europæ oras, ac familias pungeret, proculdubio haud adeò citò Franci Germanique scriptoris dignam perdendi nomenclaturam se discrimini exponeret. Valet illud D. Bernardi in illa verba, *Honor regis judicium diligit*, ubi ait. *Sed amor preceps nec judicium praestolatur, nec concilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi subijcitur*. Ita est: valet, inquã, hoc mellifluì doctoris argumentum, sed in ordine ad Divinam charitatem, qua dilexit nos Deus, cujus viæ non sunt viæ nostræ, nec nostræ sunt cogitationes ejus. At in rebus historicis humana superabundansque dilectio pro amore patriæ, unde sepissimè oritur esterarum nationum contemptus, in vitium solet converti. Concedamus tamen ferreo stylo Bucelini veniam, dum ipse se scriptorem ostendit justissimum in Germanorum detractores, juxta axioma illud, *vim vi repellere licet*. At de hoc, uti annui, quamprimum. Igitur stirpi Cimmerianæ, sive Sicambricæ in Regum Francorum Genesi mox successit Merovinga. Hæc autem (si vera est secunda opinio, in sua fide, & probabilitate à nobis relicta Gent. 1. at modo, novis argumentis moti, omninò dejecta, de origine Austriæ Domus) Francia orientalem seu Theutoniam in Austrasia, à Lotario dein Lotharingia nuncupata, Regibus, & Ducibus, in Helvetia Comitibus, ac per hosce deinceps, quorum genus ad commemoratos, aliosque apud eundem, Gabrielem Bucelinum, hincinde diffidendo, & indecisa lite gradatim referunt, omnem Germaniam, Hispaniamque, Sobole Austriaca adeo feliciter ab eis erumpente, Ducibus, Archiducibus, Regibus, Monarchis, & quod singularius mirandumque est, Imperatoribus 14. ditavit: quemadmodum & Ducibus, & Electoribus Bavariam. Merovingam prosapiam secuta est Carolinga, & ipsa quoque varias Mundi oras, varijs item proceribus, Heroibusque adimplens. Ex ea Cæsares 9. sibi hæreditariò succedentes, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Lotarius, Ludovicus II. Carolus II. Calvus, Ludovicus III. Carolus III. pinguis, Arnulphus, Ludovicus V. in quo Carolingorum progenies finem habuit. Ortæ sunt etiam ex eamet Italiæ Reges, Comites Andegsini, Meraniæ Duces, Istriæ, Dalmatiæ, nec non Carinthiæ Palatini. Tandem extincta Carolinga familia, successit Capeta, quæ adhuc extat in Borbonia, & ex qua Blanca nostra S. Regis Ludovici nepos feliciter prodijt. Hæc pariter quarta stirps plures Europæ Provincias, ac Regna Principibus fecundavit. Ab ea enim exiere aliquot Imperatores Constantinopolitani, Reges non solum Siciliæ, Neapolis, & Jerusalem, verum etiam & Hungariæ, Navarræ, ac Poloniæ; Duces Celtici, Arverniæ, Biturici, Borbonij, (hi hodie regnant) Vindomicenses, Mompenserij, Calabriæ, Dyrrachij, Lotharingij, Batavij, Burgundij, Brabantini, Comites Andegavenses, & alij.

Ser. in Cant.

Stirpis Sicamb. per Orientalem Franciam, Germanicamque dilatatio.

Ex stirpe Austria Imperat 14.

Ex stirpe Caroling. IX.

Vide Hieron. Henning.

Capeta prosapia quam dives Heroibus.

Quamobrem sicuti universim Genealogicum studium (teste Bucelino) fructus utilissimos & quamplurimos parit, atque ad historiæ cognitionem, Chronologiæ comprobationem, Theologis, & Juris-Consultibus, sacris

Loc. cit. in principio.

sacris prophanisque scriptoribus, & ijs maximè qui moderandæ Reipublicæ adhibentur, delectabiles, ac pernecessarios; ita quoque rem prorsus jucundam, & ad tollendam omnimodam confusionem per aptam quispiam legentibus efficeret, si, data occasione, Gallorum Regum Frangigenam Sobolem per 4. temporum periodos, seu ætates, jactis generationum gradibus, brevi per totidem capita hoc modo distingueret.

PRIMA AETAS

Annorum M.C. LXVIII. Primaque stirps Cimmerica, quæ & Sicambra, à Rege Franco fundata, & primùm usque ad Clogionem Regem deducta.



Secula XI. annosque pariter 68. huic pervetustissimæ ætati tribuimus; Presupponimus enim verisimiliter, quemadmodum in quadam tabula, ære noviter incisa, tradidimus, Francum regnum suum ad Scythas fundasse ferè eodem tempore, quo suum condidit Æneas, ejus in 4. consanguinitatis gradu affinis, apud Latinos, terno scilicet, vel quinto anno, ut fert Eusebius, post ultimum Trojanorum excidium. Præterea Antenor, continuator stirpis Franci, seu Francionis Protoplasti, à quo distat ann. 728. conditorque familiæ Cimmericæ, obijt, ut placet multis, post Romæ constructionem, contingentem ann. 12. Achaz Regis Juda, Mundi verò 3233. anno 321. orbis autem conditi 3544. quierat 14. Jionni Ducis Judæorum, cujus regimen annos 40. complexum est: Monarchiæ verò Persarum in annis videlicet 23. Artaxerxis Longimani, anno 40. regnantis, 88. Ex hujusmodi supputatione planè consequitur, obitum ejusdem Antenoris, ex posteritate Dardani, & Priami Regum Trojanorum, ut ajunt, Regisque Cimmeriorum ad ostia Danubij occisi, ann. 440. ante natum Christum evenisse. Quibus si addantur primò anni 5. à discessu Francionis è Trojano Regno ad appulsionem in Scythiam, deindeque anni ijdem 440. extinctionis prædicti Antenoris, quibus expletis, incarnati Verbi incunabula inceperũt, Clogiusque Rex cõmemoratus regno potiebatur, complent proculdubio præjactam calculationem, annorũ scilicet 1168. Ex Genealogia Scioppica, alibi bis, nempè Italicè, ac Latinè à me tradita, è præfato Antenore incipiẽte, Reges 18. usque ad dictum Clogionem. Eadem utitur Bucelinus, sed completiori scriptura ex Abbate Tritemio suo, in cujus verbo se jurasse ostendit; uti etiam ex fide, ut ait, antiquissimorũ M.S. nostrorũ, nec non pluriũ typis tam Latino quam Germano idiomate vulgatorũ, auctorũ cum veterum

Antenor Patavij conditor est alius, licet idem sanguine.

Roma quando condita ex Bell.

Scioppius vocat etiam hunc Antenorem Cimmeriorum Regem.

Loc. cit. in altera linea Trojani sanguinis.

terum, tum recenſiorum deſcribens quoque lateralia germina, unde alij Principes, nonnullique Reges ejus, deductio eſt hujuſmodi.

Hi Trojani e-rant non illi Fri-giæ, ſed poſteri Francionis.

1. Antenor ex Trojanorum Regum proſapia oriundus, Trojanorum ad Danubij primum oſtia conſidentium Rex creatus, poſt varia cum Scythis, Gothisque Scandianis prælia, triumpho denique multo ſanguine parto immoritur anno ante Chriſtum 440.

2. Marcomirus primus Trojanorum in Teutonia Rex. Ad Rheni oſtia conſedit, in finibus Geldriæ, Friſiæ, ac Weſtphaliæ arcte primum habitans, mox tamen Regnum dilatans. Obijt 412. ante Chriſtum. *Fratres Marcomiri Sumno, ſive Suimo cum fratre Rege Teutoniam ſeceſſit, & propè Viſurgim ſedem fixit; genuitque Marcomirum II. bello clarum, Rheno ſubmerſum, dum eum trajecerat ann. 304. ante Chriſtum: Patremque Theorali, Græcorum literis & ſapientia ad miraculum exculti, ejuſdemque Jovis Sacerdotis, auguris, & vatis celeberrimi, nec non & Hectorem dilatato jam patrui regno trans Rhenum reſidentem. Et Panthenor fratres ſequutus, ijſdem in ſtabiliendo Principatu fideliter adfuit.*

3. Antenor II. Regni propagator. Vxorem duxit Cambrem, Belini Britanniæ Regis filiam, mira prudentia fæminam. Ipſe obijt 412. ante Chriſtum. *Ejus frater Priamus, quem maritimis partibus verſus ſeptentr. præfecerat.*

Sicambri qui ex Amb. Calep.

4. Priamus tertius Trojogenarum in Teutonia Rex ſecundus Sicambrorum, conditor Neopagi, & Neomagi. Anno ante Chriſti nativitatem 356. obijt. *Sicambri Populi Germaniæ, Menapij finitimi ad utramque Rheni ripam habitantes; quorum meminit Strabo lib. 4. Hi crines natura flavos habent, quos creſcere ſinunt, & artificio quodam intorquent Mart. lib. 1. Eruditos eos eſſe indicant, quos hodie Geldrenſes vocamus: quanquam videntur olim latiores fuiſſe Sicambrorum Geldrentium termini. Hæc extra literam Bucelinam.*

5. Helenus eo nomine I. Tertius Sicambrorum, quartus Trojanorum in partibus Teutoniæ Rex, in regione Tungrorum cruentam de Gallis reportavit victoriam. Palladem coluit, & deceſſit anno ante Chriſtum 337.

6. Diocles, Sicambrorum Rex IV. Saxonibus contra Gothos adfuit, & hoſtium ultra centena millia obtruncavit. Obijt 298. *Ei filij quatuor, quorum poſtremi Priamus, & Nicanor, Duces bello clariſſimi. Primonatus* Helenus II, *Sicambrorum Rex V. ob inertiam exautoratus anno 284.* Secundus verò.

7. Basanus Rex VI. Doctus & doctorum cultor, ac promotor, ſub quo Heligaſtus ſcriptor celeberrimus floruit, condidit Baſaburgum. Obijt 242. Filij Baſani.

8. Clo-

8. CLODOMIRVS Sicambrorum Rex VIII. Glorioſiſſimus Gallorum triumphator, cum hi ereptas ſibi inter Moſam, & Rhenum terras repeterent. Obijt 230. *Sedanus Princeps memorabili paternæ Juſtitiæ exemplo, convictus thori conjugalis violati, capite luit.*

9. NICANOR Rex Sicambrorum VIIII. de Gotthis, Saxones infeſtantibus memorabilem triumphum retulit. Vita exceſſit 196. annis ante Chriſtum. *Ejus fratres Helianus Princeps bello celeber, Helenuſque eo nomine III. Princeps Sicamb. Orient. Ejus filij quinque, duo priores, Antenor propè Oceanum Germanicum imperavit, Priamus in Anglia diem ſupremum clauſit. Duo poſteriores, Helenus, & Clodrus, ille propè Maguntiam, hic autem inter Moſam, & Rhenum imperans. Niſi forte primos Helianus, ſecundos verò Helenus III. genuerit, prout ſub dubio lineationis Bucelinæ confuſio, malè à typographo exaratæ, indigitat.*

10. MARCOMIRVS II. Rex Sicamb. IX. de Romanis, Gotthis, Gallis varios triumphos retulit. Obijt anno 196. ante Chriſtum.

11. CLODIVS Sicamb. Rex X. cum Romanis, Galliam invadentibus generoſiſſimè dimicans, occubuit ann. ante Chriſtum 157.

12. ANTENOR III. Sicamb. Rex XI. Pacis ſtudio & humanitatis laude clariſſimus, hoſtium filios Dijs immolari lege cavit. Mortuus anno 131.

13. CLODOMIRVS II. Sicamb. Rex XII. juratus Gallorum hoſtis, cum illis etſi vario Marte, generoſiſſimè tamen decertavit. Moritur ante natalem Servatoris anno 121.

14. MERODACVS Rex Sicam. XIII. Heros imperterritus de Romanis, Gallis, Treveris, Vbijs ſæpius triumphans, arma Ravennam uſque promovit; à Cajo Mario demum victus, multa ſuorum millia perdidit. Naturæ debitum perſolvit annis ante Chriſtum 93.

15. CASSANDER Sicamb. Rex XIV. Gallos feliciſſimo rerum ſucceſſu ſæpius attrivit, Gothoſque, Saxonibus infeſtos repreſſit. Morte ſublatus anno 62. ante Chriſtum natum.

16 ANTHARIVS Rex XV. in Galliam opprimendam totus incubuit, ingenteſque inde theſauros retulit, Moguntinos grandi clade obtrivit. Obijt 37. annis ante natalem Domini.


17. FRANCVS Sicamb. Rex XVI. primum Francorum nomen Sicambris Teutonibus impoſuit; imò à ſe cognominari Sicambros meruit, Germanos

manos universos mirè demeritus, quod sibi fœdera perpetuo adversum Romanorum ambitionem adjunxit. *Hunc Bucelini puncturam aliasque amariores postea retundemus.* Idem Gallorum juratissimus hostis, ut videas quam graviter hallucinentur, qui Francos cum Gallis confundant. *At Galli, mi Buceline, Francos se denominatos conditosque asserunt à primo Franco, seu Francione, eosque in eodem radicaliter, & in ejusdem posteritate genealogicè fundasse Cimmerios, Sicambros, Germanósque. Qui omnes progressu temporis propter cupidem regnandi, variosque alios casus deinceps se se diviserent.* Obijt novennio ante quam Christus nasceretur.

18. CLOGIO Francorum Teutonum, qui antea Sicambri dicti Rex XVII. magna Romanos clade affecit, & fines regni latè promovit. *Hoc regnate*, ait, *Scioppius natus Christus.* Decessit anno post Verbum incarnatum. 10.

SECVNDA AETAS

Constans Annis 750. à Christo nascente ad Pharamundum, & ab hoc, unde 2. stirpis Merovinghæ per Regem Meroveum, ejus Nepotem inceptio, ad Chilpericum VI.



HOrum VII. calculatio Sæculorum cum dimidio, in quibus Franci posteritas continuabit usque ad Regem Pharamundum, & deinceps, sed sub nomine *Merovea*, extat profectò intellectu facillima; uti ex subjecta serie liquidò patebit. Filij ergo, ac successores Clogionis tres, quorum postremus Phrisius, seu Frisius primus Frisiorum Rex. Primogenitus vero.

HERIMERVS, qui post patrem imperavit, & fortiter pugnans contra Gallos, Romanis hos juvantibus, occubuit ann. 31. *Scioppius reliquit hunc*, neque Bucelinus inter Reges successores enumerat, quia forte non fuerit coranatus.

1. MARCOMIRVS III post fratrem rebus Francicis præfuit, & cum Romanis & Gallis felicissimè conflixit. Obijt ann. 50.

2. OLODOMIRVS III. Francorum Rex. V. Sicamb. XX. Gallis Romanisque diversas clades intulit. Obijt A. C. 26.

3. ANTENOR IV. Rex Teutonum Trojugenarum XXI. Francorum VI. ponte rupto, dum Mosam equo traijcit, cum multa nobilitate perit. A. C. 69.

Rathe-

RATHERIUS Rex XXI. Ratherodamij in Hollandia conditor assiduis bellis cum Gallis Romanisque conflixit. Ejus gesta carmine primùm scripsit Arebaldus, quæ diu post soluta celebravit Hunibaldus. Obijt anno 90.

4. RICHIMER à Franco VIII. rerum Francicarum in Germanica moderator, ab Antenore Rex XXIII. Gotthorum triumphator felicissimus. Vita excessit A. C. 114.

5. ODEMARUS Rex XXIV. Conditor Odemerarisheim, sive Odmarsheim, Pacis cultor singularis. Obijt A. C. 128. *Ejus frater Sunno, sive Suimo, conditor Francofurti ad Oderam, Marchiæ Princeps, parensque Clodomiri, qui ei successit in Marchia & ipse pace usus, opes congessit; genuitque Suimonem, Suimoniæ structorem.*

6. MARCOMIRUS IV. Rex ab Antenore XXV. pacem & ipse coluit, urbes condidit, opibus crevit. Obijt A. C. 148. Sub hoc Vastaldus, celeber inter Teutones scriptor vixit. *Ejus filij post primonatum, ac successorem, Marcominus Marcoburgum condidit, Francus Francofurtum ad Mœnum, Clogio in Britannia obijt, Nicanor, & Odemarus. Hæres verò*

7. CLODOMIRUS IV. Rex XXVI. Pacificus decessit A. C. 165. *Huic filij tres, Nicanor prior Frisiæ Rex creatur, postremus Roricus in flumine mersus, eidem Roræ nomen indidit.* Successor Regni

8. FARABERTUS Regum in ordine XXVII. contra Romanos rem fortiter gessit. Obijt ann. 186.

9. SUNNO, sive HUNNO, cognomento Veliphus, Faraberto Patri in Regno successit Regum XXVIII. vitam abrupit A. C. 214.

10. HYLDERICUS ab Antenore Rex XXIX. à Franco XIV. Hildeburgum in Rheni ora condidit, pacis bellique artibus illustris. Decessit anno 253.

11. BARTHERUS Francorum in Germania Rex XV. signa in Italiam, Galliam, atque Hispaniam intulit. Mortuus anno 221.

12. CLODIUS II. patri succedit in Regnum, rem fortiter in Gallia gessit. Obijtque A. C. 289. *Artarius ejus frater bello fortissimus, Saxonum Bojorumque auxilijs Gallias, ac Hispaniam populatur.* Illius Successor, ac filius

13. GUALTHERUS Rex ab Antenore XXXII. à Franco XVII. à Clementi regimine commendatus. Moritur anno 306.

14. DAGOBERTVS I. Legum optimarum conditor, æquitate & bonitate omni spectatissimus. Vitam reliquit A. C. 317. Ejus primus filius.

15. CLOGIO Rex XXXIV. pro patria contra Gallos & Romanos occubuit 319. Secundus.

16. CLODOMIRVS Rex XXXV. Regni amplificator, mortuus 337. *Tertius ac postremus Genebaldus Franconiæ Dux I. decessit A. C. 356. relicto Dagoberto Duce II. Franconiæ, qui bello Treveros obterit, & moritur anno 377.* Huic filius Clodius Dux Francorum III. vir strenuus & in bellis plurimis contra Romanos invictus. Decessit A. C. 398. reliquitque Marcomirum IV. Franconiæ Ducem, qui à Romanis frustra tentatus subjugari non potuit. Mortuus anno 402. De eius prolibus paulo post. Clogionis filij Helenus, & Richimer præteriti, quia ætatis 24 annum ex Lege Francica non habebant.

17. RICHIMER Rex XXXVI. fortiter contra Gallos & Romanos rem promovens, ab his denique cæsus, gloriosè occubuit 350.

18. THEODOMIRVS post fratrem regnat in ordine XXXVII. & ipse demum occubuit. Ejus filius.

19. CLOGIO Rex XXXVIII. Cameracum expugnat, Galliam ad Sunnam usque Regno Francorum adijcit. Moritur A. C. 378. Succedit filius

20. MARCOMIRVS Francorum Rex in Germania ultimus, Romanos propè Coloniam magna strage fundit; cæditur postea nostrique subiguntur A. C. 393. *Dagobertus post fratris cædem Interrex obijt A. C. 398. Ex caso Marcomiro Genebaldus Dux Magnus Francorum Orientalium, qui Tungros & magnam Galliæ partem cum Brabantia possedit; obijtque A. C. 415. genuitque Sunnonem, & Richimerem Principes ad Regnum ratione ætatis inhabiles, magni tamen Duces effecti. Item Marcomirus, & Sunno; ille ea parte Rheni, quæ Saxones respicit potitus, hic vivo patre eam partem accepit, quæ mare, & Galliam dividit.*

Stirpis Merovingha exordium, & usque ad eam Carolingorum continuatio.

21. PHARAMVNDVS, Marcomiri Ducis Franconiæ IV. præfati genitus ex Duce Franconiæ Rex Francorum Leges Salicas condidit. Obijt ann. 430. *Fratres habuit Marcomirum, & Sunnonem, hunc interfuisse inaugurationi fratris Pharamundi scribitur, illum autem genuisse Priamum Franconiæ Ducem, qui vita excessit A. C. 435. Priamum verò Genebaldum Ducem Franconiæ, Allemannos bello superantem, Rhenumque pertransientem, cujus obitus A. C. 455. Sunnonique ad Menum conditoris parentem, Avique Clodomiri Franconiæ Ducis, à quo series veterum Franconiæ Ducum, ipse Bucelinus ex superius ab eo citatis Genealogistis tradit.* Pervenit

Pervenit exinde ad magnum Regem Clodovæum, filium Childerici, filij Regis Merovei, Pharamundique ex Clodione Crinito unigenito, abnepotem, scribitque item lateraliter Albericum, ab alijs Albero, & Adelbertum Regem, sive Principem Alsatiæ Mosellanicæ, Arduennæ, Brabantiæ, &c. A. C. defunctum 491. Moxque claudens in hujus filium Wambertum. Regem Alsatiæ Mosellanicæ, Arduennæ, &c. qui obijt A. C. 528. Et in Nepotem ex eodem Walberto Ansbertum Senatorem Romanorum, Austriæ Mosellannicæ Ducem, & Imperij Marchionem ad Schaldim, à quo Carolingi, statim postquam antea sub principali Berosi suppositij, ut multi censent ductu primorum Teutoniæ Regum seriem per suos Tuiscones, Mannos, Ingevones, Hermiones, Marsos, sive Cimbros, Suevos, Vandalos, Teutones, & Alemannos, texuerit, hac alia subdit. Ecce quos non ex Hunibaldo solo, sed 29. vetustissimis scriptoribus Abbas Trithemius, ex hoc & plurimis alijs, quorum allegat auctoritatem Rosierius, & præter hos sexcenti, cum supero, tum nostra ætate, & sacri, & prophani, & Romanæ & diversæ fidei auctores, scripsit suis celebrarunt, Veteres Germaniæ nostræ Principes, Principumque legitimam successionem, ut nihil miremur magis, quam Neunarium sive Cluverium aliquam, dum rerum patriæ satagunt, & Romanorum potius studio quam domesticorum in eos solum, incumbunt, quos in ludo literario pueri memoriter tenuere Historicos, fidem priscæ & Germanæ synceritati detrahere, meritissimis insuper viris, & honoris patrij assertoribus, gloriosissimisque Antiquitatis vindicibus, atque servatoribus temere insultare, quin & convicium facere, & turpissimam mendacij notam viris gravissimis aspergere. Cum tamen hi ipsi adeo rigidi censores in suo quem præ alijs merito suscipiunt, & adorant Tacitum, non pauca legere potuissent, nec tacere, quæ nec Tacitus silvit, debuissent, quæque damnatus ab illis Berosus, fide optima retulit, cujus exemplo Princeps ille Latinæ Historiæ Tuisconem celebrat, ac Mannum, carminibus antiquis apud majores decantatos, memoratque insuper nec suum Germanis Herculem defuisse. Sed & Trojanæ per Germaniam Gentis, ac deductionis explosoribus, idem ijdem disertè contradicit, & ad institutum nostrum opportunè occurrit: *Cæterum Ulixem, inquit, quidam opinantur, longo illo, & fabuloso errore, in hunc Oceanum delatum, adisse Germaniæ terras, Asciburgumque* (Embricum hodie vocant) *quod in ripa Rheni situm, hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque, &c.* Quibus quidem verbis dum *fabulosum errorem* nominat, minimè fidem narrationi sive Veterum opinioni detrahit, sed morem Græcorum, historiam penè omnem, fabulis doctè aspergentium, notat, quod etiam absque Taciti auctoritate Græcorum vel obiter quidem gnari literarum, nescire non possunt, etsi eas ipsas fabulas prægnantissimas constet esse reconditissimæ scientiæ, ac mysteriorum.

De hoc Beroso Anniano quam primum.

Fabulæ non semper historicæ veritati adversæ.

Fateor de fide non esse, eâ nimirum qua Verbo Divino absque dubio ullo & contradictione credimus, quæ tradita fide optima à majoribus accepimus; talia tamen sunt, quæ nisi ratio manifestè doceat fieri, seu contin-

gere nullo modo potuisse; non possint nisi cum magna irreverentia Sacræ Antiquitatis reijci, nedum explodi atque exibilari, uti hodie multi tanto sibi doctiores plausuque videntur digniores, quanto majore fastu, priscæ illudunt synceritati; nec tam unius scriptoris arguunt atque irrident simplicitatem, quam omnium à tot sæculis majorum suorum carpunt perstringuntque velut delirantium credulitatem. Ausus alter illorum ad rogum expetere monimenta ejusmodi, quorum tot millia, ehu, alias tot clades, tot sæculorum absumpserunt, quasi sat esset Orbi universo; quæ ipse committeretur, inter thesauros recondere, cum vix verbum ille magnis tomis attulerit, quod non aliam quam ex ejus mente patiatur interpetrationem; ut planè de ijs nihil dicam, quæ absque auctoritate ulla (etsi videri nolit, dum unum & alterum authorem bis terque describit) sui solum ingenij placitis confingit, & persuasissima omnibus vult, tan uam divinam veritatem. Longè syncerius, & verius majores nostri, absque colore & fuco, undè, ac purè tradentes quas à majoribus acceperant, ac colere docti erant, Traditiones, etsi subinde contingeret has, nisi S. Mater approbet Ecclesia, & oris vitio corrumpi, & calami, ac scriptorum diversitate.

Conatur persuadere Abbatem Tritemium publicæ & incoruptæ fidei fuisse historicũ.

Hactenus Bucelinus, cujus orationem, ut gratiam præstemus Germanis nostris, quorum pane (Austriaca benevolentia plurimum favente) alimur, & nutrimur, tanto cum applausu suscipimus, quanto etiam partim ex Berosiana Historia, partim ex vetustissimis aliarum tempestatum monumentis *Itali quam maxime gloriari possunt, se regali* suorum alumnorum *sanguine fundasse radicitus Frigios, Dardanos, Trojanosque Reges, unde postmodum meliora initia Romanæ nobilitatis in Latio per Æneam, & Germanæ in Teutonia per Francum, illius consanguineum, uti distinctius suo loco explicabimus. Tribus deductionibus texit deinde idem auctor stirpem Carolingicam, prior ex sententia Theodorici Piespordij, Gasparis Scioppij, Firmiani, Brombachij, pluriumque celebrium scriptorum, posterior ex Petro Opmerio, postrema ex Hieronymo Henningio, Elia Reusnero, & aliorum cum supera tum nostra ætate scriptorum. Cæterum quia Apostolus me cogit in hisce rebus quoque omnibus omnia fieri, ne videar Germanis totaliter propensus, Gallis verò nihil, sequar modo tam in stirpe Merovinga, quam in aliis duobus Carolingorum, & Capetorum gradus scriptores Frangigenas, inter quos postremò Petrum Matthei apud Comitem Alfonsum Loschi superstitem in suis compendiis Historicis; virum quidem idiomate Italico luculentissimum, & inter percelebres palestræ literariæ Vicentinæ Civitatis Academicos optimi nominis. Adducam quoque & alios*

alios historicos etiam Alemannos; Latinos quoque pro ut occasio opportuna videbitur, & ad alia etiam scitu digna in idem propositum haud modicum conferre poterit. Electus ergo

1. PHARAMUNDUS Magni Ducis Marcomiri filius, Duxque Franciæ Orientalis V. in Regem Francorum anno Christi 420. *alij 418 Pontificatus verò Bonifacij I. anno 2 Imperij autem Honorij anno 15. In eo restituta est (ut diximus superius ex scriptoribus Germanis apud Kilianum) apud Francos regia dignitas quam Valentinianus Imperator, caso circa annum 380. (alij 393. ex relatis à Bucelino superius) Marcomiro Franco vel Francione (si vera est historia) Rege XXIV. ipsis ademerat. Fuit hac prima Regni Franciæ in Gallia fundatio in illis eiusdem Regni per Galliam Belgicam partibus, quas hodie Flandriæ adjunctas cum aliis Provinciis legimus, olimque inferioris Germaniæ regiones erant, quasque Cliviam & Geldriam appellant. Hac de re tunc Franciæ Regnum in Neustriam, & in Austrasiam, hoc est in partem Occidentalem Oceanum versus, ac Orientalem erga Germaniam à vocibus Theutonicis* Westerrich & Oesterreich *dividebant. Anno 3. Regni Pharamundi (alij 5.) Legem Salicam Franci apud Salam amnem, sub quo habitantes, Salij quoque fuerunt nuncupati, condiderunt. Obitus huius I. Regis in Francia postquam regnasset ann. 10. Alij 14. A. C. 430. vel 426 aut 27. vel 434. Sic supputant diversimode auctores. Successit eius unigenitus.*

Wulphan. Kilianus ad Arb. Pharam. ac Meruinga.

Quando, & ubi condita Lex Salica.

2. CLODIUS Comatus seu Crinitus, vel etiam Capillatus, ita dictus quod severè prohibuerit, ne aliquis, solis Regibus exceptis, comam nutrire posset. Regnavit ann. 17. obijtque ann. 448. *Genuisse Clodionem duos liberos, Albericum sive Albertum, & Meroveum (hunc nothum atque illegitimum apud Petrum Matthei, aliosque) illum regalium Carolinganæ, Capetinæque familiæ radicem (unius per Pipinum brevem, alterius per Hugonem Capetum) istum vero, cui etiam primogenituræ jura tribuunt, Merovinganæ Sobolis initiatorem, quamplurimi indubitanter opinantur. Clodioni concedunt alij tres præter alias fæminas filios, Phrisonem natu maximum, ac Phrisiæ Dynastam, Rancharium I. vel Rantarium Regni Cameracensis (ab isthoc Rancharius II. qui contra Childericum I. & Clodoveum confratres pro regno bellum gessit, sed illi victi, & capti, vita & regno privati 508.) & Reginaldum illiberem, ann. 470. extinctum. Priusquam Petrus Matthei, & quot-*

Ex Foschi in arborem. I.

Vide Kilianam loc. cit. & Bucel. loc. cit. pag. 10. ex vetustiss. Thuringiæ monum.

quot ante ipsummet super hanc rem scripserunt, id protulissent, nec non & legitimis natalibus Regem Meroveum expoliassent, historici quoque probatissimi, & antiqui pro comperto tradidere, Clodionem absque prole extinctum, Meroveumque nothum uspiam extitisse, neque Clodionis, cui successit, filium, ac nepotem Regis Pharamundi, sed affinem tantum, Regemque Franciæ titulo & regimine, non autem genere, vel si genere utrum paterno, vel materno ignoratur. Extitisse vero Principem de Thuringia, Clodionis affinem, ipsique sanguine junctum, cognatumque Regis Francorum, ac tritauum Dagoberti (his nominibus quos citavimus in 1. Gentilitio auctores ex Belforestio pro stabilienda historia Gallica Merovenum intitulant, & nunquam Clodionis filium, sed potius Merovinghi Thuringorum Regis, sive Principis, licet Bucelinus affirmet, hos nonnihil addubitare super hoc visos esse) jam ibidem tradidimus ex Ioanne Silesio.

Gentil. 1. Exc. 10. Exam. 1. Loc. cit. pag. 10 col. 1. in fine, & seq.

Igitur si dixerimus Meroveum præfatum ex Regibus sive Principibus Thuringicis genus paternū duxisse, non autem ex præfato Clodione, utique præter decem VII singulares, tres verò probabiliores quas adduximus sententias de Origine Domus Austriacæ, emergeret etiam & undecima, inter illas tres fortè locanda. Etenim ea deducitur à Merovei progenie cum 2. sententia per Sigebertum vagum profugumque, & uti alij asserunt, spuriū, natumque è Theodoberto II. Regeque Austrasiæ VIII. notho ex Lazio, quod falsum ostendit Belforestius, nec non & fratre Theodorici II. Regis Burgundiæ IX. cum quo in summa vixit concordia. Fuit porrò Theodoricus efferus Princeps, ipse enim S. Desiderium Episcopum Viennensem lapidari jussit, ac S. Columbanum in exilium egit. Ejus parens Childebertus I. Austriasiæ, utriusque Burgundiæ, & Alemanniæ Rex, Alsatiæ, Helvetiæ, Vindonissæ, Brisgoviæ, Sundgoviæ Dynasta. Avus vero Sigebertus Rex Austrasiæ V. & Burgundiæ superioris à duobus sicariis subornatis à Fredegunda occisus. Proavus Lotharius 1. cognomento Magnus Rex Franciæ VI! Abavus Clodoveus Rex Francorum V. Atavus Childericus I. Libidinosus, filius Regis Merovei, quem Clodius Crinitus genuit. Tota hæc deductio ex VVulphango Kiliano citato. Quamobrem necessariò profectò asserendum, eandem stirpem originari paterno genere ex Meruvigo Thuringiæ Rege, ac Merovei Regis Franciæ parente. Ab Alberico, sive Alberto commemorato Clodionis filio alij trahunt stirpem Bojam usque ad superstites Electores, ut suo loco dicemus.

Obiter notat Auctor aliam sent. de stirpe Austriaca ex Regibus Turing.

3. MERO.

3. MEROVEUS Rex natu major Regnique tutor, ac gubernator pro minorennitate Alberti fratris regnum ſibi uſurpavit, coronatus A. C. 449. Franconiam, firmamque ſuorum predeceſſorum manſionem derelinquens, ad Rhenum ſedem transtulit. Sub hoc quidquid Franci per Galliam poſſederunt Francia nuncupatum eſt. Ab hoc poſteri dicti Merovingi. Rheno cum Francis ſuis trajecto Galliamque ingreſſus, primus fixum ſibi imperium condidit. Adjutus à Romanis, vicit Attilam, cujus exercitum ingenti milite, quingentis millibus hominibus conflatum, funditus ſubuertit. Obijt A. C. 458.

Ex hoc ſtirps Pharamundica cæpit dici Merovinga.

4. CHILDERICUS ejus filius (*alij Chilpericus, alij vero Hildericus, qui etiam inter hunc, & Chilperium (ita eum vocant) diſtinguunt, uti in Chronico Joannis Lucidi, qui ſeorſim in hac linea Merovinga ponit tres Hildericos, & Chilpericos duos*) Rex Libidinoſus obijt A. C. 469. Fortè annus hic illius reverſionis ad Regnum fuit, non autem mortis, quam alij ſignant ſub anno 484. Hunc luxurioſè atque inſolenti tyrannide ſe agentem, Galli de regno deturbant, expelluntque. *Qui data aurei medietate amico ſuo Widiomaro, quod eſſet ſignum revocationis ſuæ, ſi quando intercederet reconciliatio, apud Baſſinum Regem Thuringorum latuit annis 8. Franci vero Egidium, Ducem Romanorum, Regem ſibi præficiunt, ut ait Sigebertus, & anno Dom. 469. Egidius eum gravius juſto Francos opprimeret, perpendens Widiomarus Francos pœnitere ſuper ejecto Hilderico, revocat eum clam, miſſo diviſi auri ſigno, egitque ut ejecto Egidio, ille reſtitueretur in Regnum.* Hæc ex Lucido. Regi huic adeo exilium profuit, ut longè alius in regreſſu, per quem nitidiſſimum, admirandumque virtutis & juſtitiæ ſpeculum uſque ad vitæ exceſſum omnibus penè ad miraculum ſe patefecit, quam in diſceſſu propter obſceniſſimam vitam ſceleribus, & efferitatibus immerſam, penitus appareret.

Expellitur à Regno propter effrenem luxuriem.

Nota ex Lucido, & Sigeberto apud ipſum lib. 10 in Chron. cap. 8.

Reſtituitur in Regnum.

5. CLODOVEUS I. Rex Childerici filius cognomento Magnus obijt 514. Ejus Conjux Sancta Clotildis, Chilperici Regis Burgundionum filia (*Alij ex Kiliano Clodomiri Regis Aurelanionum, ejuſdem Clodovei filij.* Hæc pijſſima fæmina multum juvit viro ſuo, ut à progenitorum gentilitate ad Chriſtianam fidem revocaretur. Quare anno 485. *Alij 499. cum Sigeberto,* Alemannis bello congreſſus, cum penè victus, ac profligatus reperiretur, ſubito, emiſſo voto de amplectendo per baptiſma Evangelio, victor factus eſt. Quare perempto Alemannorum Rege, ac Alemannia ſubjugata, & tributis ſubacta, ad Rhenum feliciſſimus Rex ſe contulit: ibidemque magno cum applauſu receptus, nulla interpoſita mora humili, ac pauperrimo habitu anno eodem reddens vota Deo ſuo ad divinum lavacrum accedit, ubi à S. Remigio Remorum Antiſtite baptizatus, novum Ludovici nomen, vetere relicto, novoque ejus homini, & omini correſpondens, cœlituſque auſpicatum aſſumit. Dein Sancto oleo, eomet tempore ab Angelo allato ungitur, & conſecratur. Statimque etiam exiens ab Eccleſia horrida bufonum inſignia in floridum ſchema ſive arma Gentilitia trium

Hic primus Rex Chriſtianus.

Miraculum de mutatione bufonum in Lilia aurea.

Liliorum

Liliorum aureorum in campo cœlesti divinitus commutantur. *De hoc miraculo tam Sancti crismatis, quam Liliorum vide scriptorem gravissimum (ita vocat eum Surius) in appendice ad Chron. Ioann. Naucl. fol. 519. At Genebrardus quo ad determinatum Liliorum numerum Carolus VI. inquit, Francorum Rex tamen tres flores Liliorum pro insigni Regum Franciæ pingi instituit. Cum jam inde ab Odone incertum Liliorum numerum per insignia sua spargerent, & adhiberent Reges. Filij Clodovei ex Kiliano Reges 4. Clotharius, sive Lotharius, de quo inferius, Theodoricus I. à quo Austrasiæ, & Burgundiæ, I. Rex Austrasiæ, Childebertus I. Francorum Rex VI. & Clodomirus Rex Aurelianorum Concordat Lucidus, qui jura primogenituræ Lothario attribuit.* Apud Loschi, Petri Matthei sectarium tres, longè tanto parenti degeneres, quibus ipse statum divisit. Eorum nomina Lotharius Rex Suisoni, Chilpericus Parisij, Clodomirus Dux Aurelianensis. Omnium regimen valde infelix, quin & immodicè cruentum propter eorum inter se se competentiam, nec non & dominandi cupidinem, quà undique bella, neces horrendas, infaustosque eventus Regnum passum est.

Nota.

Loco cit.

6. Clotarius, alias Lotharius, Magnus à multis vocitatus, sed certè haud merito. Extincto Chilperico II. fratre, ac Clodovei parentis primogenito, Parisij Rege, sed perfido (Itali disleale) ac crudeli anno 559. (*Alij 587.*) mortuo quoque Clodomiro, remansit ipse Franciæ Monarcha; *Regnavitque secundum alios annos à morte patris 50. usque ad ann. 564. In illo medio sæculo impie, auare, ac uti assiduus homicida vixit. Ab ejus obitu, ait Kilianus, Regnum Francorum in Tetrarchiam cadit. Clodomiri filios binos, ac ejus nepotes regni cupiditate ductus propria manu occidit, tertium in monasterium includi permisit, regnum cum Childeberto fratre partitus est anno 531. Francorum Monarcha à patre II.* Vxor Clatharij Radegundis Thuringica, ex qua Cherebertus Rex. Obijt ann. 673. &c.

Pessima Clotharij vita, ac magni nomenclatura indigna.

7. Chilpericvs III. Rex Suesoni dictus obijt 587. Vxor ejus Ardovena, sed concupina Fredegunda. *Kilianus in arbore citato Regum, Principumque Austrasiæ, Landgraviorum Alsatiæ, Comitumque Altenburgicorum Habsburgicorumque tribuit Clothario filios 4. Reges, nempe successorem Sigebertum I. Austrasiæ Regem, (huic pronepos Sigebertus exul, ut ostensum est) Chilpericum hunc, quem facit Lotharij II. Regisque Francorum X. Dagoberti I. cognomento magni gignentis parentem, Cherebertum I. vel Aribertum Regem Francorum VIII. S. Gundramum I. Regem Burgundiæ IX. Lucidus in aliquibus discordat, asserit enim de Childerico; Chilperico ab eo dicto, quod scilicet diviso Regno cum fratribus suis Heriberto, Guntranno & Sigeberto regnaverit ann. 23. usque ad 587. quo jussu uxoris Fredegundis trucitatur.* Ex hoc ait Loschi

8. Clotarivs II. Rex Franciæ ætate 4. mensium Patri successit. Vir factus bello campali vicit Saxones, *regnavitque ann. 44. usque ad ann. 631.* Vxor Geltrudis, ex qua relictus

Lucid. ibidem.

DAGO-

9. DAGOBERTVS I. Pacis ac Religionis amator. Obijt 645. Vxor Statilda, per quam Successor

10. CLODOVEVS II. regnavit anno 47. decessitque 662. *Anno Regni sui 15. ut tradit Sigebertus. Corpus S. Dionisij Parisijs minus religiosè, licet cupidè discoperiens, os brachij ejus fregit, & rapuit: moxque in amentiam perpetuam incidit.* Reliquit tres filios reges, & unū post alium successive. Primus vocatus Clotarius III qui propter nativam magnamque sui intertiam, & ignaviam, cum ingenti coronæ præjudicio Aulæ præfectis, seu magistris omnimodam, atque absolutam, ut ajunt, authoritatem derelinquens, hique mox totum usurpantes regimen, ipse veluti titularis Rex, sive tantum nomine, ac personatus, pictusque, ut plateas exornaret, (Itali *Rè fatto à stampa per pararle piazze*) quamcitius evasit. Obijt ann. 667. Secundus Chilpericus IV. anno 679. occisus una cum Vxore Blitilde à Botilo nobili Francico, eo quod hunc ad palum alligari fecerit, & flagris cædi Tertius

Caveant Principes parvi faciendi Sanctorum reliquias.

Clot. III. ignavus.

Chilpericus IV: occisus.

11. THEODORICVS III. haud malæ famæ Rex, qui deposito cucullo Sceptrum assumpsit. *Hunc alij I. faciunt, alij II. Enumerantque ante Chilpericum fratrem, & iterum post eundem, & nonnisi ratione insolentiæ Ebroini Majoris domus, propter quam eo repudiato, his statim, etsi Austrasia regno denominaretur, à cunctis ad regimen evocatur. Porrò Theodoricus, & Ebroinus tonsorantur, & Theodoricus Parisijs in Cœnobio S. Dionysij, Ebronius in Luxovio relegantur.* Interfecto deinde Chilperico, à Francis regno restituitur, ubi dominatus est ann. 14. obijtque 639. Bonum nomen post se relinquens, insimul & prolem, in hac Clodoveus III. (*Alij Clotarius*) regnavit annos 4. defunctus 697.

Ioann. Lucid. ibidem.

Clodov. III.

12. CHILDEBERTVS II. ineptus, ignavusque *regnavit usque ad ann. 715.* Huic *immediatum alij faciunt Clodoveum IV. (ita vocant ejus filium) regnasseque volunt ann. 4. obijsseque 719. Clodoveo autem Lotharium IV. duobus annis regnantem, extinctumque 721. Alij verò hus duobus relictis, statim transeunt ad num. 18. in quo filius* Childeberti

13. DAGOBERTVS II. obijt 719. *Hic fortè erronee* Clodoveus IV. commemoratus. Ejus filij ex Conjuge Saxona Chilpericus V. regnavit ann. 5. obijtque ann. 726.

Chilper. V.

14. THEODORICVS IV. (Alij II.) Cala cognomine regnavit ann. 15. defecitque 741.

15. CHILPERICVS VI. ejus filius, cognomento stupidus regnavit usque ad ann. 750. demptis annis illis à regimine, quibus egit vitam monasticam. Tanta in eo segnities, ut non immerito regnum perdiderit, & libertatem. Nam eum in omnibus instar Principis mente capti (*Itali senza sonno*) turpissimè se gereret, ipsum, ejusque Conjugem Pipinus monasterio clausit. Defunctus sine liberis, in eo quoque defecit stirps Merovinga anno qui supra 750. Pontificatus Zaccariæ anno 8. Imperij vero Constantini Capro-

Defectio stirpis Merov.

nici anno 9. Duravit annos 330. produxitque, juxta allatam enumerationem Reges 21.

Quæ quidem enumeratio uti & illa altera, in qua tam Austrasiæ, quam & aliorum Ditionum Reges collocantur; non eadem est apud omnes, quemadmodum & annorum calculatio. Cum in ea nunc 20. nunc 22. nũc 30. nũc 32. à diversis diversimodè sint appositi, neq; in annis regiminũ una sententia in omnibus. Id quod etiam contigit in duabus familijs; quibus aliquando nonnulla perperam inseruntur. Quam varietatem potest ediscere unusquisque ex ijs, quæ Benedictus Pererius per bellè advertit super Danielem. Disputat ibi eruditus auctor de 70. Hebdomadis, & ubi in I. parte disputationis perquirit, quænam sit Chronologia probatissima, fideque dignissima, & à nobis sequenda, post tres priores ex quatuor, ab eo propositas, & enucleatas, nempè primam Hæbreorum, alteram Metasthenis, & Philonis, vel ut verius Joannis Annij Viterbiensis, tertiam quæ in qualibet Monarchia & Regno numerum Regum, & annorum, quibus regnatum est diligenter colligit, quartam Olympiadum tanquam meliorem prædictis, Græcis, & Latinis usitatissimam amplectitur. Ostendensq; insuper, unde moveatur, ad refutandam tertiam, hæc habet. Tertia Chronographia multis bonisque scriptoribus probata, & sanè probabilis est. Hanc ego rationem describendi tempora non reijcio, non contemno, non improbo, quin ea utor non raro, cum mihi ex usu futura est. Eam tamen censeo non omnino certam esse, & tutam, & cui fidenter adhærendum sit: multas enim ob causas ad errores proclivis, & lubrica est. Primum enim ubi est multitudo & varietas, ibi sæpè confusio & error contingit. Cum igitur in quavis Monarchia multi fuerint Reges, & multis quisque eorum annis regnaverit, perdifficile est, omnes annos omnium Regum ita colligere, ut nihil desit, nihilque redundet. Deinde notatio temporum, quæ fit per annos Regum, non rarò occasionem errandi præbet: nonnunquam enim scriptores in enumerando Reges, non omnes percensent; sed prætæritis obscurioribus, nobiliores tantum, atque illustriores commemorant. Interdum Reges dumtaxat legitimos describunt, qui legitima vel successione, vel electione imperium tenuerunt; alijs, qui tyrannicè regnum invaserunt, prætermissis. Usu quoque venit, ut Regum tantummodo tempora describantur, tacitis interregnis, quæ inter prioris Regis mortem, & posterioris creationem intercesserunt. Ad extremum primus & extremus cujusque Regis imperio annus, siquidem ille completus non fuerit, à quibusdam memoratur, ab alijs reticetur. Harum autem rerum omnium varietas & differentia mirandum in modum Chronologiam variat atque perturbat. Hactenus Pererius, è quo facillimè cognosci potest in re nostra præfatæ varietatis multiplex argumentum. Ratio tandem principalior falsitatis in Chronologijs, ac etiam Genealogijs ea esse potest, quam idem auctor affert lib. I. in Dan. cap. I. sub initio: ubi demonstrans quam sint

Lib. 11. in Dan. Par. 1. Disput.

De Annio in ferius contra Bucel.

In censura ad 3. Chronolog.

Prima Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.


5. Ratio.

sint faciles, & lubrici lapsus in Chronologia, hæc subdit. Insignior tamen fuit error Josephi, captivitatem Danielis cum captivitate Regis Sedechiæ conjungentis; cum hanc illa præcesserit non minus annis 18. Vereor dicere, dicendum tamen est, nam est serviendum & veritati, & hoc tam memorabili exemplo docendus lector, quanta in tractandis Chronologijs non modo scientia, sed etiam diligentia, intentioneque animi, ac memoriæ sit opus.

Ecce tibi S. Hieronymus omnis Chronologiæ Divinæ pariter, & humanæ, quam qui maximè doctus, ac diligens, in designando tamen captivitatis Danielis tempore, semel memoria lapsus est. Is namque scribit super 1. caput Ezechielis, Danielem simul cum Rege Jechonia, & Propheta Ezechiele captum esse, & Babylonem adductum. Atqui constat ex hoc ipso Danielis loco, & ex Chronicis Eusebij, quæ Hieronymus Latinè convertit, Danielis captivitatem octo annis captivitate Hieconiæ, & Ezechielis priorem fuisse. Hucusque Pererius. At circa hoc propositum plura ergo adnotavi in quodam M. S. Apologetio. **Nota.**

TERTIA AETAS,

Nec non & tertia quoque stirps Carolinga, ab Alberto Clodionis Comati filio ad Ludovicum V. annis conflata 531.



Carolingorum Soboles, illa Meroveorum jam in fumū soluta, licet radicitus haud diversa, statim subintravit, id profectò virtute, & honore, atque existimatione non immerito exigentibus, quinimò, ut ferunt, & Caroli Martelli Magistri Palatij descendentiæ juribus. Traditur ab innumeris, Pharamundi sanguinem per Clodionem Crinitum ejus filium lateraliter flexum ad Albericum, sive Albertum nepotem, gradum unicum recta linea vix complentem, in minori germine feliciorem truncum plantasse. Qui ad quartum ramum per Arnolphum II. exindè perveniens, iterum planta, nec dum procera arbor effecta, biforcatè deflexa & in Angesiso, ejusdem Arnolphi, Alberici præfati adnepotis, filio. Ab Angesiso, Ludolphi fratre, ac Pipini Franciæ Principis genitore, Carolinga Prosapia per Carolum Martellum, filium ex Concubina Elpida (alij Calpiade) procreatum. Ab Ludolpho Arnolphi II. filio Capetum genus, ut paulo inferius suo loco dicendum. Carolus ergo Martellus licet ex illicito concubitu exortus, genere tamen paterno Pharamundicus est. Est nanque, uti dictum, filius Pipini, nepos Angesisi, pronepos Arnolphi, abnepos Arnoldi, trinepos Ansberti, minor, posterusque

Vide Fosci ibidem.

Brevis delineatio familiæ Caroling.

Quis Carolus Martellus.

que Vauberti, Regis Franciæ Orientalis, Alberici, sive Alberti, filij Clodionis Nepotis; nec non & postremo magni Ducis Regisque Pharamundi pronepotis. Meroveus Alberti, natu majoris frater obijt 498. Ludovicus V. ultimus in hac 3. stirpe 989. ex quibus insurgunt anni 531. commemorati, ab Aberto initia radicaliter desumentes, sed ab obitu Merovei incepti, quatenus supputatio certiori tempore adhæreat.

Supputatio Auctoris.

Priusquam ad seriem Loschianam deveniamus, juvat sanè haud parū breviter tres superius tactas indigitare deductiones, quas affert Bucelinus de Carol. progenie à diversis paulò ante refertis authoribus. Prima est Albericus, Alberto, sive Adelberto, nonnullis Aldericus Princeps Alsatiæ, Mosellanicæ, Arduennæ, Brabantiæ, &c. Vxor Argotta Theodorici Ostrogotthorum Regis Soror. Obijt A. C. 492. Wambertus Princeps Alsatiæ (à nonnullis Rex dictus) Dux Mosellanicus, &c. Vxor Lucilla Soror Zenonis Imperat. Obijt 528. Ansbertus Senator Romanus Dux Austriæ Mosellanicæ S. R. I. Marchio primus constitutus à Clotario I. in generum ascitus, obijt A. C. 570. Arnoldus Buggisus S. R. I. Marchio, Dux Austriæ Mosellanicæ, ac Buillionæi. Vxor Oda, filia Gunzonis, sive Conradi, Ducis Sueviæ. S. Arnulphus S. R. I. Marchio, Dux Austriæ Mosellanicæ, Major Domus Regiæ. Vxor Doda Princeps Saxoniæ. Obijt A. C. 639. Andogisus, sive Anchises S. R. I. Marchio ad Scaldim, Dux Brabantiæ, frater Clodulphi Ducis Austriæ Mosellanicæ. Vxor Begga hæres Brabantiæ. Pipinus Crassus Heristallus Dux Brabantiæ, & Hasbaniæ, Princeps Austrasiæ. Ob. A. C. 714. Carolus Martellus Dux Brabantiæ & Hasbaniæ, Princeps Austrasiæ. Obijt A. C. 741. Vxor Snanhilda fil. Theodonis Bojorum Regis. Pipinus Brevis Dux Brabantiæ ex Majore Domus Regiæ Rex Galliarum potentissimus & Religiosissimus. Obijt A. C. 768. S. Carolus Magnus Imp. August. & Rex Galliarum, à quo cæteri Reges usque ad Hugonem Capetum dicti sunt Carolingi. Obijt A. C. 814. Ludovicus Pius Imp. Aug. decessit Moguntiæ A. C. 840. Ita nonnulli Carolingos deducunt. Placet & aliorum proponere deductionem.

Bucel. loc. cit. I. Caroling. deductio ex Theodorico Piespordio, Gaspare Scioppio, Firmiano, Brombachio, & alijs.

Albertus (sic enim Ansbertum appellat) primus Marchio S. R. I. hæreditarius à Justiniano Imper. constitutus. Arnulphus S. R. I. Marchio. Arnulphus II. S. R. I. Marchio. Ansigisus S. R. I. Marchio, maritus Beggæ Ducissę Brabantinæ. Pipinus Herstallus. Vxor Plactruda, ex qua genitus Grimoaldus, ex pellice autem Alpaide. Carolus Martellus. Hucusque, corrupta tamen deductione, Opmerus. Juvat & tertiam aliorum opinionem ponere, ut ex ipsa diversitate sententiarum veritas clarius innotescat, ait Bucelinus; *nisi tamen* (diceret aliquis) *parato discrimini se protinus ipsa occultandi exponatur, ac res intricatior fieret.* Cui & Theodorum adjungemus, ex quâ deinceps multa ominemur.

2. deductio ex Petro Oponerio.

Hvn

Hunnus Veliphus, sive Welpho, non immediate patrem Adelgerij, sed de Patribus, sive Majoribus fuisse, nisi secundus eo nomine sit dicendus. Adelberius sive Adalgarius (nonnullis Adalogerius) electus à Boijs Rex A. C. 456. victus ad Tolbiacum A. C. 493. Regio titulo se abdicat. Ducali contentus. Theoldo I. Dux Bavariæ; Norici magnam partem subigit, multas urbes per Bojcam condit. Ejus frater Vtilo (nonnullis Wattilo) Posteritas unius hinc inde divisa tandem sinistrorsum sub Ducatum Bavaricum finit hoc modo: Ex eo Theodovalda Athesinorum Princeps, dein Bavariæ Dux. Tassilo, sive Thessalonus Princeps Bavariæ. Obijt 598. Garibaldus Princeps Bojorum. Obijt A. C. 612. Theodo. IV. Dux Bavariæ. Obijt A. C. 630. Thassilo II. Bojor. Regulus Obijt. A. C. 650. Grimoldus Princeps Bavar. Obijt A.C.695. Theodo VI. Dux Bavar. Obijt A. C. 708. Hugopertus Princ. Bavar. Obijt A. C. 735. Vtilo Dux Bavar. ob. A. C. 765. Tassilo ultimus hujus lineæ Bavariæ Princeps decessit 787. Alterius verò nempè Vtilo progenies longissima serie Carolingos amplectitur, ut mox dicemus. Vxor ergo Theodi I. Reginobirga, à qua Augustam Tiberij Regioniburgum appellavit. Theodo II. cognomento Magnus à rebus fortiter gestis celeberrimus. Obijt A. C. 537. Theodo III. à S. Ruperto baptizatus Obijt A. C. 565. Vxor Reginotruda, filia Theodoperti Regis Austrasiæ. Theodopertus cum patruele Thessalono Bojoariam partitur. Obijt 565. Garibaldus Bojoariam totam vi occupat, Tassiloni restituere cogitur, Gundoaldus frater Theodolindæ Reginæ Longobardorum, ducatu Astensi donatus. Aribertus Rex Longobardorum creatus. Obijt A. C. 661 Perthariсus Longobardorum Rex obijt A. C. 690. Cunibertus Rex Longobardorum. Decessit A. C. 703. Luitbertus lineæ hujus ultimus Rex Longob. occisus. 704.

III. deductio Carol. ex Hier. Henning. Elia Resnueri, & alijs.

Vtilo. Vxor Clotilda Regina, filia Theodorici Regis Austrasiæ, per quam multas ad Rhenum, Mosam, & Schaldim ditiones accepit. Hvgobertvs, alijs Sigebertus Marchio Antuerpiensis Obijt A. C. 563. Asopertus, alijs Ambertus obijt. A. C. 579. Vxor Blitilda filia Clotarij Regis Gall. Arnoldus Buggisus S. R. I. Marchio, Princeps Hasbaniæ, &c. Et sic ulterius usque ad Lotharium Imp. & deinceps per totam genesim Carolingorum, ut apud eundem Bucelinum videre est. Arbor verò Loschi radicaliter hoc modo exhibetur.

I. Albericus Clodionis capillati legitimus filius, fraterque Merovei nothi, ac Pharamundi Regis nepos.

2. Vaubertus. R. Franciæ Orientalis.

3. Ansbertus.

4. Arnoldus.

5. Arnulphus.

Ab hoc Angesiso incipit Loschi.

6. Angesisus 645. Ludolphi frater, per quem recta linea ascenditur ad gradus Capetorum, & ad Carolingorum truncum.

7. Pipinus Franciæ Princeps, cujus Concubina Elpida, ex qua

8. Carolus Martellus propter egregias animi dotes, ac in bellis & rebus agendis perspicua facinora à Senatusconsulto per suos Parlamentarios Princeps Francorum declaratus. Profligatis ab eo Visigothis, ac Saracenis, scissisque strage memoranda ex illis trecentis sexaginta millibus, immortale nomen sibi comparavit. Vix ejecto Chilperico, Regem coronari peroptavit, tamen ante nacta merita noluit suæ cupidini satisfacere, quemadmodum & mors postea, eius, & aliorum vota, præveniens, renuit. Nihilominus post 27. annorum absolutissimum supra ipsos Reges principatum reali pompa apud S. Dionysium sepelitur, ejus sepulchrali lapide ita inscripto. CarolusMartellus Rex.

Pontifex Zacharia, exautorato Childerico, ungit Pipinum.

9. Pipinus cognomine Brevis (erat enim statura pusillus) ex Austrasiæ Duce fit Rex. Vt patris vota adimpleret, juramenti absolutionem, stupido Childerico à Francis præstiti, à Sede Apostolica expostulatam, obtinuit, sic Summo Pontifice Zacharia hujus nominis I. annuente. Qui hac de re ann. Dom. 746. in Galliam se transferens, unxit Pipinum, consecravitque in Francorum Regem, quin etiam & Ecclesiæ defensorem, Ducemque, vulgò Capitaneum, instituit, declaravitque. Inter probatos Galliarum Monarchas probatissimus expertus est Pipinus: totus armiger, totusque Sedis Apostolicæ Protector, largusque gratusque remunerator. Quippè qui, jam depressis sua manu effera immanique barbarorum persecutione, contemptuque plurimorum in Christi Ecclesiam, expulit feliciter Longobardos (ita à Longisbarbis nuncupatos) victoque eorũ Rege Astaulpho exterminatoque, Ravennensem Exarchatũ, cujus regimen annis fermè 208. ipsi Longobardi possederant, Pontificibus, & cum eo integram libertatem donavit. Hujus Exarcatus tanti ponderis tunc temporis erat auctoritas, ut Principis titulo, ac gubernatoris ipsi Romæ, ad quam regimen mittebat, dominaretur. Illius ditioni adnumerabantur Ravenna, Cæsena, Forumlivij, Forumcornelij, Forumpopuli, Bononia, Mutina, pleræque aliæ Civitates, quibus mirum in modum Ecclesiasticum imperium amplissimè excrevit. *Contigit hac donatio ann. 755. ut ex Anastasio Bibliothecario in vita Stephani III. & Baronio ad ann. 755. affert Jacobus Gretserus S. J. in commentariolo*. De Munificentia Imperatorum, Regum, & Principum in Sedem Apostolicam *cap. 1. de qua etiam nos in 2. p.* De Principatu Ecclesiastico *Italicè exactissimè scripsimus.* Obijt gloriosus, concludit Foschi, ann. 731. ætatis verò suæ 70.

Vnde Longobardi ita vocati.

Exarcatus Ravennæ, donatus à Pipino Ecclesiæ, qualis.

Verum Gilbertus Genebrardus Theologus Parisiensis, divinarum Hebraicarumque literarum regius Professor, publicæ probatæque fidei Auctor, qui tempore Gregorij XIII. vivebat, in sua Chronographia ad ann.

750.

750. alio modo hanc eandem historiam profert. Anno, inquit, 750. de Childerico deponendo, regioque nomine in Pipinum transferendo, agitur, legatione ad Romanum Pontificem decreta. Quare ejus authoritate, & indulgentia Childericus regno exuitur, & Pipinus Rex salutatur ann. 751. post Clodovei obitum 237. juxta alios 257. Childerico Francorum Rege in monasterium truso, Pipinus Martelli filius, dictus Brevis, ex majore domus consilio Pontificis à Galliæ proceribus Rex declaratus, à S. Bonifacio, sive Benfrido Germanorum Apostolo inungitur Suessioni. *Sigeb. Regino in Chron. Annonius lib. 4. c. 61. cap. alius 15. quæst. 6.* Nec in eo defecit penitus genus Regum Francorum. Nam Blatildis filia Clotarij I. nupta Hamberto, Duci & Senatori Austriæ, peperit Arnoldum, Arnoldus genuit Arnulphum, Metensem Episcopum, Arnulphus Angesisem, Angesises Pipinum Grossum, Pipinus Carolum Martellum, Carolus Pipinum hunc cognomine Brevem. Hæc ille, cui quantum ad ann. 750. ac consecrationem, à S. Bonifacio; non autem à Pontifice Zacharia effectam, ferè omnes communiter adstipulantur. Circa autem Pipini obitum, cum decessisse ann. 768. postquam regnaverit annos 18. pro amperto affertur. Quare Loschana calculatio menda fortè est librariorum, seu typographica, alioqui Auctor planè sibi ipsi contradiceret. *Extat inscriptio marmorea apud Ravennenses characteribus grandioribus* Pipinus primus amplificandæ Ecclesiæ viam aperuit, Exarcatū Ravennæ cum ampliss. cætera vetustas delevit. Quomodo autem intelligatur, consule eundem Gretserium loc. cit. in appendice I.

Geneb. lib. 3. ad ann. 750.

Defecisse stirpē paternam Regū Francorum in Childerico, asserit Genebrardus cum alijs.

Ravennæ epitaphium in Pipinum.

10. S. Carolus Magnus Pipini Brevis filius nec non & Germanus ex villa Ingelheym, quæ duobus distat miliaribus, ut Cuspinianus, ad quem lectorem mitto, à Moguntiaco; nonnulli Suevus (si vera est eorum historia in quam Franci mordicus impingunt) Rex Gallorum, & Imper. verè Augustus, qui rem Christianam armis, pietate, ac templis auxit. Quis nam fuerit tantus Heros apud Deum, ejus Sanctitas nunquam tacebit. Quis in Romana Ecclesia, atque in Francico regno, ab eo tam nobiliter ampliato, imò quis in omni Imperio, ac simul in toto terrarum Orbe, ejus cognomentum, gestis suis æquo titulo promeritum, cunctis mortalibus exprimit. Vide Bavariam Sanctam sub propria eicone, cui titulus. De S Carolo Magno Imperatore. Vix Carolus Rex salutatus, statim pro Romani Pontificis Sanctæque Apostolicæ sedis fideli, ac filiali tuitione adversus Desiderium, adhuc, extincto jam Astaulpho, Ecclesiam, & Ravennæ Exarcatum infestantem, se totum omni qua decebat sedulitate applicuit. Receptus Romæ ad S. Petri in Vaticano scalas coram quamplurimis è primarijs Prælatis, ac Proceribus Aulæ Pontificiæ ab Adriano I. nunquam passus est religiosus Rex à Christi Vicario paternaliter amplecti, nisi prius Sanctissimos ejus pedes humillimè deosculatetur. Parentis Pipini donationibus ibidem ab eo confirmatis, cum Beatus Pontifex Senatorem

Num Carolus M. fuerit Germanus, an verius Gallus, magna lis.

Bavar. S. fol. 77.

Magna Car. M. humilitas.

rem Romanũ creavit: ea intentione ut primùm hoc nomine & dignitate ad Regis Romanorum titulum, moxque ad Imperij apicem eum habilem redderet, extolleretque. Româ discedens, Ticini (vulgò Paviæ) Desiderij compescuit temeritatem, captivumque cum conjuge, & filijs efficiens, cum ijsdem Leodio (Italicè Liegè) perpetuo exilio relegavit; atque Longobardicam Sobolem, è Germania ab annis 560. egressam, quæ in Italiam imperaverat ann. 774. funditus abolevit.

Desiderium Regem captivum facit.

Post patrata ab eo innumera, Christiana, ac penè innumera facinora, quibus ipse in Orbe orthodoxo instar novi jubaris divinitùs & admiraculum supra omnes Principes effulgebat, Sedi restituens Summum Pontificem Leonem III. titulis *Christianissimi*, ac *Magni*, utrisque primùm ab acclamatione & consensu totius ferè Vniversi ei præstitis, Romam redijt. Vbi præfatus Leo non solum Apostolico diplomate eas nomenclaturas pro se, & pro Successoribus hæreditariò confirmavit; verum etiam in die Natalis Domini anno 800. in Romanorum Regem creavit, primũque Occidentis Imperatorem instituit. Cui ab universo populo Romano acclamatũ est *Carolo Pijssimo, perpetuo Augusto à Deo coronato, Magno, ac Pacifico Imperatori, Vita, & Victoria.* Compartito, inquit Lucidus, cum fratre suo Carolomanno regno, regnavit Carolus ann. 47. usque ad ann. Dom. 815. Vixisse Carolum M. ann. 72. imperasseque 14. affert Loschi, concors historicis omnibus. Lapideam ejus tumbæ Chartam Bavariæ Sanctæ Author refert, præhabensque hæc. Aquis Granijs ad tranquillum, & immortale regnum triumphumque emigravit (S. Carolus M.) vixit annos duos supra septuaginta Franconiam rexit annos 47. Italiam 39. imperavit 14. Imperator multis nominibus fęlix, nimirũ quod vivus Imperiũ Romanũ ad Francos & Germanos, à Pontifice Maximo acceptum transtulerit. Quod orbe toto victor innumeros ab hoste triumphos reportaverit. Quod hæredem ex se natum Ludovicum Imperio reliquerit imperantem. Quod orbem terrarum rerum gestarum magnitudine nominisque gloria impleverit. Quod postea Cœlo adscriptus inter Cœlestes Divos coli cœperit. Visitur hodie ejus tumulus arcu quasi triumphali nobilitatus cum hac Epigraphe

Restituit sedi Leonem III. à quo creatur Imp. Occid.

Loco cit. Carolusmannus R. obijt ann. 3. regni sui Luc.

Matth. Raderus in Bav. Sanct. ubi de S. C. M.

Sub hoc conditorio situm est corpus Caroli M. atque Orthodoxi Imperatoris. Qui Regnum Francorum nobiliter ampliavit, & per annos 47. Fæliciter tenuit. Discessit septuagenarius Anno Domini 814. Indict. 7. V. Calend. Februa. Vxores ejus quinque, & omnes legitimæ. Galiena, & Hermigradis, altera Galastriæ Regis Toletani in Hispania filia; altera Desiderij Longobardorum Regis, sive ejus soror Theodora. Hildegardis tertia conjux, quam Hildebrandus Sueviæ Dux genuerat, quamque maritus ut præcipuæ nobilitatis fæminam quam mirè dilexit. Altera Fastrada, seu cum alijs Sestrada, appellata Regina, atrox mulier, & boni viri sui ingenio

Ex Cuspin in Car. M. ad finem de V. ejus uxoribus.

valdè

valdè adverſa: poſtrema Luitgarda, illa Ratolij comitis filia, hæc verò Alemanna de nobili Suevorum genere. E tertia tres filios, Carolum Galliæ citerioris Regem, Pipinum Regem Italiæ Ducemque Bavariæ, ac Ludovicum Regem Aquitaniæ & Cæſarem, totidemque filias ſuſtulit, de quibus Cuſpin. ibidem, uti & de alijs duabus, ex quarta progenitis, & etiam de ejus concubinis.

Carolus R. Gall. citer. Pipinus Italiæ filij Car. M.

11. LVDOVICVS Pius, ſeu Manſuetus Rex Franciæ & Imperator, Patri ſucceſſit: cujus privilegia conceſſioneſque, quas primò Avus Eccleſiæ conceſſerat, confirmavit. Conſecratus Aquiſgrani ann. 816. à Romano Pontifice Stephano IV. Ex duóbus conjugibus ſuſcepit quatuor filios, tres ex prima, Clotarium *(cum hoc, ait Lucidus, imperavit ann. 25. ad ann. Dom. 840.)* Ludovicum, & Pipinum, ex ſecunda Carolum II. Calvum. A Loſchi, ſequente rectam lineam, è trunco Angeſiſi deductam, ponitur immediatè Ludovicus Imp. de quo inde in declaratione. Ludovicus dominatus eſt Germaniæ: quidquid verò titulo Imperatorio remanſerat, adeptus eſt Clotarius juvenis. Pipinus ſtatibus privatus, monaſterio includitur. Hinc ejus filius Carolus III. Rex, & Imperator cognomento Groſſus, à ſede depoſitus, & ejectus. Vnde de communi Procerum conſenſu, ac totius regni acclamatione coronam Carolus ſimplex adhuc juvenculus aſſumpſit. In hoc terminatur ea illius arboris deductio. Quare continuatio Genealogiæ ſtirpis Caroliganæ deſumenda eſt à ramo ejuſdem, nempè à Ludovico Pio per ejus filium Carolum Calvum hoc ordine.

Ex hoc ſtirps Gozagorum Mantuæ apud Bucel. Sed de ea nos ſuo loco.

12. CAROLVS II. CALVVS R. à Francia ſalutatus, ita Loſchi. At Lucidus cum Sigoberto expreſſius. Carolus Calvus regnum Franciæ adeptus eſt anno Imperij Lotharij fratris quinto inchoato, obijtque 841. Lotharius verò imperium uſurpans, imperavit annis 15. & inde diſtinguuntur Reges Franciæ ab Imperatoribus Romanis. Carolus ergo primus regnavit in Francia ann. 34. ſcilicet uſque ad ann. 878. Genebrardus advertit ad an. 839. & 847. Auſtraſia Lotharingia primum dicta à Lothario. Falluntur qui ſcribunt, eum fuiſſe Regem Francorum, & Imperatorem.

Auſtraſia à quo Lotharingia primum dicta.

13. LVDOVICVS II. Balbus Rex & Imperator Caroli Calvi filius regnavit in Francia annos duos ad ann. Dom. 880. Sigeb. Ex ejus conjuge Anſgarda, ait Loſchi, filij duo, Caroluſmannus R. qui ſimul cum fratre regnavit, ut Sigebertus, ann. 5. ad ann. Domini 885. & Ludovicus III. Rex. Ex Alteleida verò juſſu Patris deſponſa, vivente jam Anſgarda, vi, non autem ratione repudiata,

Caroluſmannus Rex. Ludov. III. R.

14. CAROLVS Simplex R. ſed illegitimus ex Petro Matthæi. Eudus tamen, Pariſij Comes, ac frater Roberti, Comitis Andegavenſis, nec non & Hugonis Capeti Avi, ægrè ferens illegitimum Principem in throno firmari, armorum vi eum pepulit. Ipſe verò Rex factus, Rhemis coronatus eſt. Regnavit uſque ad ann. 927, *Lucidus ann. 9. obijtque ann. 899.* Vbi vero ſucceſſionem in regimine propter lineæ Carlinghæ defectum anxiè cuperer,

Eudus Rex,

ret, exsuscitati Galli Carolum simplicem sedi restituerunt, & Eudus paulò post moritur. Quamobrem dolens summomere Robertus frater, qui legitimis ex suo sanguine descendentibus coronam demandari inhiaverat, movit arma in Carolum. Mortuus Robertus, remansit victoria apud filiú ejus Hugonem. Qui exinde propter opera, ab eo egregiè navata, magnus evadens, ut in majori honore, & existimatione postmodum haberetur, ab comet Carolo simplice Dux Franciæ creatus est, nec non & Magnus Conestabilis. Raptus tamen Hugo à generósa regnandi cupidine, nullum in presando studium prætermisit; ut se in regnum firmaret. Id postea Hugo Capetus perfectissimè consecutus est, uti citius videbitur. Regnavit Carolus simplex ann. 27. usque ad annum 926. Eique successit filius

Regnandi cupido in Hugone.

15. LVDOVICVS IV. Rex, Vltramarinus cognomento propter expeditiones ultra Mare ab eo effectas. Regnavit annos 27. obijtque 955. Genuit liberos duos, Clotarium successorem, & Carolum I. Lotharingiæ Ducem, ab Hugone Capeto bello affectum; victumque.

Ante hunc Ludovicum ponit Lucidus Rudolphum quendam annos duos regnantem.

16. CLOTHARIVS Rex Lotharingiæ patronus effectus, Imperatoris Othonis exercitum expulit, cum jam Imperium ab anno 879. post Ludovicum è Gallia exularet. Regnavit annis 31. decessitque 986.

17. LVDOVICVS V. Rex Carolingorum ultimus unico anno vixit. Obijt enim veneno, opere, & consilio impudicissimæ, iniquissimæque conjugis illi exhibito A. C. 987. alij 988. Carolus patruus, Duxque Lotharingius nepoti succedere celerrimè exestuans, victus propè Lugdunum ab Hugone Capeto captusque, cum conjuge, & liberis, apud Aurelianenses detineri mandavit. Genuit Carolus Othonem, à quo ut placet nonnullis, Ducum Lotharingorum stirps, quod Petrus Matthæi absolutè negat; asserit enim Othonem sine prole extinctum. Itaque hæc 3. Prosapia, tot Regibus, & Cæsaribus insignita sub Joanne XV. Pontificatus sui anno 3. & sub anno 4. Othonis III. Imperatoris, postquam duraverit annis 531. extincta est.


Alij IV. faciunt hunc Luodov.

Stirps Ducum Lotharingiæ.

QVAR-

QVARTA AETAS,

Nec non & strirps IV. Capeta, quæ in Sobole Borbonia hodie regnat, percurrit adhuc annos 676.



Oquens Genebrardus tam de stirpe antecedenti Carolingorum, in Ludovico V. Rege defecta, quam etiam de Capeta, in Hugone incepta, hæc subdit. Mortuo Ludovico Rege Francorum sine hærede, regnum per Hugonem Capetum transit ad novam & tertiam progeniem, scilicet Comitũ Parisiensium. Nec tamen penitus defecit genus Carolingorum. Nam Hugo Capetus per muliebrem sexum à Carolo Magno descendebat. Habuit enim Hacuidam Matrem, filiam Henrici Imperatoris ex Matilde, filia Ludovici III. Iunioris Imp. quem diximus fuisse ultimum familia Caroli Magni. *Chronica Francorum*. Joannes Lucidus ex Sigeberto loco citato, Hugo, inquit, Capetus regnum usurpans, regnavit ann. 9. usque ad annum Domini 996. Dicit enim Sigebertus, Ludovico Francorum Rege mortvo, Franci regnũ transferre volentibus ad Carolum Ducem, fratrem Lotharij Regis: Dum ille rem ad concilium defert, Regnum Francorum usurpat Hugo filius Hugonis Parisiensis ex Auvide sorore Othonis I. (fuit hic Otho Henrici I. filius) & regnavit ann. 9. Carolus verò Dux certans cum Hugone, quarto tandem anno moritur, & finem habuerunt Reges ex genere Caroli Magni.

Genebr. de stirpe Caroling. & Capeta lib. 4. ad ann[illegible]

Ioann. Lucidus concordat cum Genebr.

Quotquot fatentur, Hugonem Capetum (à principio regni hujus A. C. 981. ex Loschi præjactæ supputationis inceptio) stirpe mascula Pharamundicum esse, ut postremò ostendit Loschi ex Petro Matthei, præfatæ sententiæ, omnibus compertissimæ minimè adversantur, sed nonnullorum placitis. Sunt etenim ex ijs, qui probare conantur, ipsum descendisse à Theodorico Saxoniæ Rege ann. 690. Alij verò ab inferiori stirpe, sicuti Etruschus Vates cecinit. Quas sententias cæteri omnes concorditer respuunt. Arnulphus ergo abavum habuit Albericum, Regis Pharamundi exfilio Clodione nepotem; proavum verò Wambertum, Franciæ Orientalis Regem, avum autem Ansbertum, & Arnoldum parentem, Arnoldus Angesisum, unde familia Carolinga, ut visum est; genuit etiam & Ludolphum, ex quo Childebrandus, ex Childebrando Theodoricus, qui procreavit Robertum, Eudi Regis, superius commemorati, Patrem. Iste Robertus proavus fuit Hugonis Capeti, produxit enim Robertum Comitem Andegavensem, ipsius Hugonis avum, parentemque Hugonis, Magni Cõdestabilis, & Capeti genitoris, Vlterius deinceps progressa hæc eadẽ stirps

Delineatio stirpis Capetinæ.

quæ hodie regnat, duplici jure transijt in Borboniam; nempè primò ratione Ludovici Comitis Claramontani, & Borbonij, S Regis Ludovici ex Roberto filio Philippi arditi R. fratre, atque Pulchri, Blancæ nostræ genitoris, patruele, nepotis, ac stemmatis propagatoris. Secundò, propter Carolum Comitem de Vandomo, & Borbonium abavum Ludovici XIV. moderni, qui gradibus septem distat ab eomet S. Rege Ludovico. Nam post præfatos Robertum filium, Claramontanum, & Ludovicum Borbonium nepotem adnumerantur ordine generationum Patrum ad filios Jacobus Comme-stabilis Franciæ, comesque Poncicuræ, Joannes, Marciæ comes, Ludovicus Comes Vandomus, Caroli pater, Vandomi & Borbonij Comitis, qui Antonium Navarræ Regem genuit, Henrici IV. patrem, qui Ludovicum XIII. procreatorem XIV. hodie regnantis, edidit. Sed ad seriem Loschinam, & aliorum.

Quot gradibus consanguinitatis distat Rex modernus à S. Ludovico.

Quare Hugo iste *Capetus* nuncupatus.

1. HVGO Rex, cognomento *Caputius, seu Claphet ex Sigeberto*, alij CAPETVS. Quippe qui non solum animi impetu afficiebatur (Itali *Capriccioso*) verum etiam, auctore Volaterrano, *Quia alijs Capritia auferre solebat*. Ejus unctio, ac coronatio Rhemis A. C. 981. Vt melius, tutiusque suis posteris firmaret regnum, petijt ante sui obitum, obtinuitque filij coronationem. *Regnavit ex Lucido ann. 9. usque ad ann. Domini 996.*

2. ROBERTVS valdè religiosus, atque Ecclesiæ Romanæ addictus, Rex Franciæ, Burgundiæque Dux, quæ hæreditariò cessit post Henrici patrui materni mortem. Ejus Conjux Constantia, Comitis Arelatæ filia, ex qua *obiens maritus postquam regnâsset annos 34. ann. 1030.* relictus

3. HENRICVS I. Rex. Hic tractationes fœderaque prædecessorum cum Alemanniæ Imperatoribus firmavit. *Regnavit ex Lucido ann. 30. obijtque* 1060. alij 1100. Vide Loschi. Sed utrum altera supputatio ad annos obitus Roberti parentis 1030. in quibus interijsse Robertum idem Loschi fatetur, correspondeat, lector judicet. Vxor Henrici Agnes, Regis Russiæ filia.

Vide etiam Genebr.

4. PHILIPPVS I. Rex, sub quo famosissima illa Gallicanæ nobilitatis, ex qua tot tantique Paladini, pro recuperanda TERRA SANCTA, conclamata est CRVCIADA. Emit Comitatum Biturigensem, qui erat Berthæ, Comitissæ Phrisiæ. *Regnavit, ait Lucidus, ann. 42. usque ad 1223.*

5. LVDOVICVS filius, Rex hujus nominis VI. ac Pinguis, sive Grossus cognomine. Sub eo ortæ contentiones litesque Gallorum cum Anglis, nec ratione suspicionis tantum, sive Zelothipiæ, verum etiam & aversionis Odijque inter illas nationes. Vnde ulterius tot terribiles dissentiones emulationesque incepere, ex quibus postmodum eventus infaustissimi Obijt 1137. Vxor Adella, filia Comitis Sabaudiæ, ex qua

6. LVDOVICVS VII. Rex junior coronatus à Summo Pontifice Innocentio II. meruit propter Zelum Religionis Pium denomerari. Conciliũ fieri ordinavit in Gallia, ut schismata, nec non & errores penitus aboleret.

Omni

Omni qua decebat regali majestate, ac filiali reverentia 4. Summos Pontifices, Vrbanum, Paschalem, Gelasium, Cœlestinum recepit, concessitque libentissimè plenam conservationem titulorum Ecclesiasticorum, & immunitatum. In Palestinam progressus. Templariorum S. Joannis, & Teutonicorum Xenodochia fundavit, imposito equitibus onere, peregrinorum transitum propter barbarorum excursiones assiduo nobiliq;ue exercitio tutum reddendi. Obijt 1181. Alij 1178.

7. PHILIPPVS II. Rex ejus filius, Augustus merito appellatus: fuit enim Heros bellicosissimus. Judæos Francia pepulit; mœnibus Parisium recinxit; Lourum ædificavit, in Asiam ad Terram Sanctam navigans adversus Saladinum, Aconem & Ptolomaidam expugnavit. Sed paulò post coactus morbo inde redijt. Northmanniæ & Aquitaniæ Comitatus bello de Anglorum Rege cæpit, Coronæque Franciæ cum alijs ditionibus, sive ducatibus, Angadavense, Poetù, & Maino reduxit. Othonem III. Imperatorem, Ferrando Flandrensi auxilium ferentem ingenti prælio fudit, in quo & Ferrandus captus, & innumera hominum millia cæsa sunt. Regnavit ann. 42. Obijtque 1223.

8. LVDOVICVS VIII. Rex ejus filius Patri successit 1191. Vxor Blanca, Alphonsi IX. Regis Castiliæ primogenita. Avinionensem Civitatem Hæreticis Albigensibus abstulit, Santongia Anglos expulit. Proferens germen Sanctum, Deo, Romanæ Ecclesiæ, Soladitio Seraphico, Franciæ Regno, nec non & omni Mundo Orthodoxo; edensque ramum aureum, Coronas Neapoli germinaturum, & cum eis S. Episcopum Ludovicum Franciscanum Tholosæ Antistitem, ejus ex filio nepotem, regnansque annos 4. spiritum cœlestibus reddidit 1226. In hoc quoque anno obijt S. P. Franciscus; propterea ipse ser. 3. Italico p. 1. poematis, hic Oeniponto impressi, hæc de eodem Rege, ac ejus hærede cecini, introducens unum ex primis ordinis nostri Martyribus, ad D. Antonium Patavinum taliter obloquentem. Nota. Cap. 3. Poematis Italici auctoris.

Questo Rè volerà nell' altra vita,
Quando FRANCESCO *haurà beata morte.*
E quando à Dio, di Deità vestita,
Porgerà due franc' Alme un alma sorte.
Ma pur di dodic' anni in man gradita,
Fia; che'l paterno incarco il figlio porte;
E che, mancando all ordin nostro un lume,
Sorga un altro, e più bel con l'auree piume.

Questo germe novello à gran stupore
Porrà, volti à mirarlo il Cielo, & il Mondo.

Meglio, che in quel di Roma, il vero honore
Splenderà nel suo Cesare secondo.
Ei, di mille Alesandri imitatore,
Darà al ceppo real di FARAMONDO
Si caro tronco, glorioso, e Santo,
Ch'eternerà de' Galli Prenci il vanto.

Vnde Reges Neapolitani Angioini vulgò nuncupati.

Ex Carolo I. Andagavense secundo genito, ac deinde Galliæ Narbonensis Comite, cui Vxor Beatrix, descenderunt Reges Neapolitani, sive utriusque Siciliæ, vulgò Angioini, quorum extrema destructio ex vilibus personis introductione, atque exaltatione, ut suo loco demonstrabitur.

9. S. REX LVDOVICVS IX. ex tertij Ordinis S. Francisci Societate. Proceres regni, ab eo deficientes vicit, & in fidem reduxit, Blondus & alij. Ignotus & peregrinus, ac cinericio habitu, qui color proprius, ac vulgaris est minoritis, limina Apostolorum Romæ cum nonnullis suæ aulæ selectis nobilibus, ac pijs viris humillima majestate invisit. In itinere nondum Vrbem appulsus, sed Perusiam, statim, relicto ibidem omni penè comitatu, cum paucissimis ex suis ad fratrum minorum oratorium accessit ea intentione, ut B. Fratrem Egidium S. Francisci socium, cujus estatica ac contemplatrix vita Sanctimoniæ tuba per totum orbem insonabat, uti jam proposuerat, præsentialiter videret. Vocatus religiosus cænobita, statim ac in hostio monasterij intuitus est Regem, Rexque ipsummet, mox tenerrimè ambo ad invicem amplexati sunt, atque expressis Charitatis signis vicissim deosculati. Nulla inter eos allocutio, nulla neq; modica labiorũ motio; sed è tenacissimis amoris vinculis tandem absoluti, profundo silentio separati sunt, abiens unusquisq; ad rem suam. Ostiarius, ubi Sanctissimi viri catenatis lacertis stringebantur, veluti si diutinã amicitiam per plures annos mutuò contraxissent, petijt interim ab uno ex Regis comitibus, quis dumtaxat esset ille, qui tam amicabiliter, & religiosè cum fratre Egidio tractabat. Audiens ab eo esse Regem Galliæ Ludovicum, obstupuit, ac simul indignitatus est. Hinc protinus Superiori Conventus fratribusque omnibus hoc retulit, simulque rusticum, incivilemque fratris Egidij morem erga tantam Majestatem, cui nec debitam salutem dixerat, imò nec minimum verbum. Omnes adversus eum unanimi bile indignantes, atque asperrimè ejus ingentem inurbanitatem, multa castigatione dignam carpentes, veluti magni criminis reum in præfatum Regem, qui ut secum cõsolaretur ibi consultò appulerat, damnaverunt. Occurrens læta facie devotus, ac patiens religiosus molestissimæ objurgationi, hæc statim respondit. Quæso, fratres, ne obstupescatis, neque angustiemini quod, ipse non sim locutus Regi, quemadmodũ nec Rex mihi locutus est. Etenim inter ambo-

Visitat SS. Apo. Petri, & Pauli corpora.

Pergit ad fratres minores Perusiæ, ut B. Egidium videret.

Nota.

rum

rum amplexus lux divina intima cordiū nostrorum arcana, ac secreta patefaciens, utriusque pectoris abscondita, ac profunda distinctissimè, ac patentissimè reciproco intellectu aperuit. Nihil fuit in corde Regis, quod me lateret, nihilque in corde meo, quod Rex non intelligeret. Quamobrem ex quo statim uterque in illud æterni Luminis speculum, in quo melius quam in semetipsis res contuentur, acies mentis defiximus, quantum nobis opus erat locuti sumus, atque sine ullo quantumvis pauco labiorum strepitu alternatis vicibus spiritualiter recreati. Si exterioribus, ac sensibilibus verbis usi fuissemus, fortè ea suavibus animarum nostrarum collocutionibus potius impedimenta, quam adjumenta prebuissent. Quibus auditis, illicò fratres obmutescere visi sunt, ac nimio stupore affecti pariter acquiescere. Chronicon Seraphicum.

Cruce signatus Ludovicus ad juvandas res Christianorum cum ingenti exercitu in Asiam navigavit; ibique, cum Heliopolim in Ægypto cepisset, ipse captus est, redemptusque pecunia, iterum cum tribus filiis Christianæ rei augendæ gratia, magna classe parata, arma Christianissima in Africam duxit. Tunitum (olim Carthaginem) vi cæpit. Pestilentia hinc crassante, cum exercitum invasisset, morbo perijt A. C. 1270. aut 1276. cum regnasset 43. Blond. Platina, Gagvin. Sig. Lucid Palm. Æmil. & alij. Genuit ex Margarita Arelata, Galliæ Narbonensis comitissa Philippum III. Regni hæredem, deinde Robertum Comitem Claramontanum, ex quo Comitum Claramontanorum descendentiæ, Ducum Borboniorum, & Vandomi, Regum Navarræ, Montispesulani, S Pauli, Rocciæ Guronicæ, ac Marciæ. Series genealogica hujus Roberti usque ad Borbonios superstites aptiori loco recensenda.

Ex Genebr.

Conjux liberiq; S. R. Ludovici.

10. Philippus III. Audax coronatus 1276 reliquit Valesium, Andagasum, Arelatum, Angolemum, ac Duces Burgundiæ. Vesperæ siculæ adversus Carolū patruum, Neapoli & Siciliæ eo regnante concordi strage, ac sanguinea percussione die Paschatis anno 1281. Petro Rege Aragoniæ sub Joannis de Procida directione auctore, qui Panorno, expleta deinde tam solemni, & luctuosa musica, anno eodem coronatus est, horribiliter decantatæ. Vxor Isabella, Petri Regis Aragonij filia, ex qua ortus post Philippum Pulchrum Carolus sine Terra, Comes Valesius, conditorque familiæ Valesiæ. Obijt 1285. Ioannes Lucidus perperam vocat Ludovicum X. Philippum hunc, & non quartum, sed tertium Philippum Pulchrum, quem dicit ejusdem Ludovici X. nec non & XI parentem.

11. Philippus IV. Pulcher Patri successit, sed parum feliciter. Suscitatis enim proprio regno turbulentijs, ac invasionibus ab exteris Principibus, Summus Pontifex Bonifacius VIII. qui ingentia bella, ut fertur, in Italia excitaverat, eum excomunicationis fulmine percussit; declaravitque regno dejectum, quod totum Cæsari Alberto Austrio donavit. Captus est postremò Christi Vicarius Anagnæ, in paterna domo dormiens, nihilque

Quare hæ vesperæ decantatæ, quomodo, quique trucidatorum, atque salvatorum numerus apud Genebrard. ad ann 1281. ex Æmilio

Bonifacij VIII. ex clarissima familia Caetanorum.

Genebr. in Bon. VIII. scriptor vere pius, & veritatis amator.

que tale metuens, indeque Romam perductus, in carcere perijt. Atque hinc dicitur, *Intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est ut canis*. Quod tamen falso & temerè usurpatum à malevolis & Principum assentatoribus plerique existimant, quoniam Platina, valdè alioqui pronus ad notandas Pontificum maculas, nihil tale retulit, sed nec alij, qui eorum vitas descripsere. Vnde & eum laudant tanquam Ecclesiasticæ libertatis æmulum Imperatoribus Regibusque sua potestate abutentibus formidabilem. Sed & Philippus Rex, cujus opera captus fuerat à Sciarra Columnensi, hac de re cum Gulielmo Nogaretio Gallo equite fidelissimo Romam misso, atque interierat, Deo unctum suum ulciscente, nunquam deinceps prosperè se habuit, ut ab aliquo Episcopo dictum fuerat. Hæc Genebr. sub anno 1302. in quo incidit incarceratio, & obitus Pontificis, perperam à Theodoro Petreio Monacho Cartusiano (nisi ejus scripta corrupta sint ab acatholicis) in sanctorum catalogo à Clemente V. adscripti adjudicati. Clemens enim, ut fert Platina, instante Rege absoluit Nogaretium, & Sciarram, nunquam vero damnare Bonifacium consensit, ut Rex petierat. Dein statim subdit Genebr. in exordio illius 14. sæculi. Duos Cardinales Columnenses & Philippum Regem Franc. regni jure dejectum restituit Benedictus X. alij XI. successor Bonifacij, ac mensibus 8. tantum Pontifex. De interfectoribus Pontificijs quæstionem egit Vol. lib. 22. Anth. Franciam Bonifacij interdicto soluit. Palatium Parisiense (ubi Ludovicus Hutinus Parlamentum olim vagum sedentarium fecit) extructum est à Philippo Pulchro. Quo regnante bellum sacrum in oriente Ptolemaida à Sultano capta finitum est. Obijt 1314. Vxor Joanna Regina Navarræ, per quam Rex Navarræ & ipse fuit ann. 36. ait Genebr. ad ann. 1294. ex qua Ludovicus Hutinus (hoc cognomentum motum, tumultumve denotat) Philippus Longus, & Carolus Pulcher, unus post alium Reges successivè, nec non & Isabella, Odoardi II. Angliæ Regi elocata. Loschi ex Petro Matthæi.

Platin. in ejus vita.

Idem ad ann. 1288.

Omnes Chronologistæ historicique, quos ipse præ manibus habere potui, ubi præfatos Philippos III. & IV. commemorant (alterum S. Regis Ludovici IX. filium, alterum verò ex filio nepotem) nec non & Blancam Reginam, mirabile apud eos silentium de Blanca nostra, filia, aut sorore secundi, ac propterea D. Ludovici nepote, vel proneptе. Nihilominus Tabularius citati M. S. apud me, qui in textu historiæ, ut diximus, sororem paternam vocat eam Philippi Pulchri, in marginali verò filiam, incipiens ab Hugone Capeto, descendensque ad dictos Philippos, totam illam seriem his verbis claudit. *Philippus* D. Ludovici filius. Quidam audacem vocant. Bellum Tarraconense ob vesperas Siculas. Maria Brabantina ejus Vxor, Mater BLANCÆ. *Philippus* Pulcher, Philippi filius. Secundum Bellum Anglicum. Bellum Flandrum propter Anglos. Clades Curtacensis. Sedes Pontificia Avenionem transfertur anno 21. Templarij aboliti. Ejus soror fuit BLANCA. Insuper agens M. S. præfatum de maternis Blancæ

Ratio est quia alij dicunt Blancam filiam Philippi hujus, alij sororem. Vide in Gentil. Excur. 11.

pro-

progenitoribus, ſubdit cap. 4. Maria Brabantina Blancæ Mater, filia extitit Henrici VI. Brabantiæ Ducis ex Adelheida Burgunda, quam genuerat Hugo V. Burgundiæ Dux, Odonis IV. Ducis Burgundiæ ex conjuge Eliſa Comitiſſa Burgundiæ à Vergy filius, cum Jolanda Druidenſi, filia Roberti Comitis Druidenſis & Brunnenſis ex Regum Galliæ familia, & Eleonoræ, filiæ & hæredis Baronis S. Valerij. At Henricus VI. Blancæ avus, quintus filius & Ducis Brabantiæ fuit, qui uxorem duxit Mariam Suevam, quique Patrem habuit Henricum IV. Brabantiæ ducem, matrem verò Machildam Matthæi Comitis Bononiæ filiam. Maria autem Sueva filia extitit Philippi Imperatoris Ducis Sueviæ, nec non & Irenæ, quam Iſaacus Angelus Imperator Conſtantinopolitanus procreaverat. Hucuſque M. S. Quod deinceps de maternis Blancæ progenitoribus cap. 4. hoc modo. Maria Brabantina Blancæ Mater, filia Henrici VI. Brabantiæ Ducis ex Adelheida Burgunda, quam Hugo V. Burgundiæ Dux, Odonis IV. Ducis Burgundiæ per conjugem Ælisam Comitiſſam Burgundiæ à Vergy filius, cum Jolanda Druidenſi, filia Roberti Comitis Druidenſis, & Brunnenſis ex Regum Galliæ familia, & Eleonoræ, filiæ & hæredis Baronis S. Valerij, genuerat. Henricus VI. Blancæ avus, & filius quinti Ducis Brabantiæ, qui uxorem duxit Mariam Suevam, quique parentem habuit Henricum IV. Brabantiæ Ducem, matrem verò Machildam Matthæi Comitis Bononiæ filiam. Maria autem Sueva filia Philippi Imperatoris Ducis Sueviæ, nec non & Irenæ, quam Iſaacus Angelus Imperator Conſtantinopolitanus procreaverat, &c. Sicut præſens locus mihi videtur opportunus, congruuſque, ut veluti invitus ad quandam digreſſiunculam per apologiam præteream (in 1. Gentilitio ubi ex profeſſo de Origine Auguſtiſſimæ Domus, nulla ſuper hac re occaſio, nullus criticus, neque notitia Genealogica Germana Bucelinica, quam nondum videram, ita quoque lector excuſatum me habebit, ſi tam prolixam narrationem in ſola Blancæ Genealogia contexere curavi. Fateor moleſtum me illi futurum, ſpero tamen ab eo veniam, dum novam rem, cum adverſarijs pugnaturus, & à nullo, ut ſciam, adhuc adinventam, & quamcitius more quodam inſueto ære ſculpendam, exhibebo. In præſenti, atque amicabili diſſidio ſcopus mihi Deus, proximi dilectio, Veritas.

Blancæ progenitores materni.

Bis eadem Genealogia poſita ex ſcribæ, & typographi inadvertentia.

SECTIO II.

DIGRESSIVNCVLA APOLOGETICA.

In qua post defensam sententiā nostrā de Origine Domus Austriacæ, demum ostenditur, Rudolphi, & Blancæ prosapiam eandem esse radicaliter, deductam è regio sanguine, non Germano, neque Gallico, sed Italo prorsus.

Scripseram hæc mense præterito, & statim Illustr. ac Reverendiss. Comes Otho Fridericus Puchaim Episcopus Lubianæ, ac Imperij Princeps, Romæ degens, suas literas ad me misit, quarum tenor, paragraphis à me distinctus.

A. P. R.

Quid alij sentiant de Petri Leonis parente, sive Avo.

I.  *Andai questi giorni il libro della P. V al Sig: Conte Voaldino Cavaliere, e Prelato molto curioso nelle cose Genealogiche*, de Origine Augustissimæ Domus, *il quale si scandalizò con Monsig: Holstenio di questo errore, essendosi qui, come dicono, trovato, che quel Pier Leone, ò suo Padre, ò avo fusse mancato nella fede Christiana.*

Quæ scriptoris sentent. de Sigeberto profugo.

2. *A tal che saria meglio d' attaccarsi à quel Sigeberto, non altrimente ammazzato* per allisionem petræ *dall' ava Brunechilde, mà scappato per non cadere* in Scyllam qui vult, &c. *Mà io ci voglio, vivendo, e piacendo al Signore venire al netto, come della descendenza della Regina di Suezia, che forse sarà diventata maschio, cioè Mercurio, che fece la pace tra'l Zio, e'l Nipote*

3. Quam D. Monf. Holstenius vellet in familia Biessen, *che wol dire gionco, credendo esser l'arme* non mergitem tritici, uti mea arma habent 3. quæ propterea à Rege Polonico, ut verisimilis opinio, apud fratrem, & parentem meum consanguinei obtinuit prædicatum gentilitium insigne familiæ *Stolm*, descendentis ex Scotia, sed *fasciculum juncorum*: Sed hucusque non persuasit, cum Hieron. Henningius sub descriptione familiæ Suetiæ deducat per unum *Stolm*, qui ducta uxore ex familia *Stur*, qui diu contra Danos partem regni defendit, vel administravit, decapitatus à Rege. Avus fuit Erici Equitis, qui auxilio Lubecensium primam partem dein sensim oscitantibus possessoribus ejectis regnum occupavit, & dein per Carolum nepotem Polono Sigismundo III. surripuit ex prætextu pactorum ad hanc Christinam filiam Carolum Adolphum (dolo, an virtute) transfudit.

Auctoris literarum stirps.

Mendum scriptoris.

4. Quæro igitur ut amans hujus professionis aliquam meliorem probationem suæ sententiæ, vel confutationem solidiorem Tritemij, Piesporđij, Roo, Guillimanni, & aliorum à P. V. citatorum sententiæ, cum periculosum sit tantæ Domus, & quam multi hostes, vel infensi pro Neoterico, quo ad institum novum Perleonum, quasi Habsburgicos ex familia ultima (quod clarè probandum esset) resuscitassent, vel propagassent, cavillentur. Et mihi cordi sit veritas, in puncto tanti momenti faciat quæ utilia judicaverit, ego si mihi indulgebit mansio hic, amicitia dicti D. Lucæ Holstenij, viri docti, & Bibliothecæ Vaticanæ, in qua è loco proprio Heydelbergico custodi destinati, & non extra spem purpuræ, vel paulò minoris dignitatis, spero invenire unius, vel alterius veritatem.

Instantia de meliori probatione in favorem 1. op. de Orig. August. Domus.

5. Hic habetur Albertus, P. Gans, Nicolaus & Elias Rensneri ante 29. annos dum ego stemma hoc Cubicularis honoris, tunc & prius Collegij Germanici Alumnus plurimum temporis huic studio insumpsi. Est de re ut P. V. non solum tam antiqua, pia, potenti sanguini & suo honori consulat.

6. Ego hucusque indifferens sum, & amo quod verius est, & non quod charius, & gratius, uti in illa magna difficultate de Immaculata Conceptione, vel Sanctificatione, & Prædeterminatione Physica, quas judico revelandas in gloria, licet Ecclesia Dominicanis in utraque minus favere, & inclinare videtur, maxime ex Innocent. X. decisione, contra Jansenianos, & ex præcepto ne altera contraria publicè disputetur thesibus saltem typis editis. Ego Scholasticè utramque mihi fido in cathedra etiam defendere, sed re vera huc usque nec una nec altera doctrina nova de sensu diviso, & composito, vel scientia media non inventis, dum S. Augustinus cum Pelagio, & cum Calvino Scotistæ altercarentur, cum fatear hujus licet conterranei doctrinam ex sola lectione privata intelligere non posse, uti in suis subtilioribus distinctionibus, vel formalitatibus. Datæ Romæ 2. Septembr. 1656. P. V. obligatus amicus O. F. E. Lubianæ.

7. Augurор Ser. nostro Ferd. Carolo Successionem [illegible]. Regis Poloniæ ad Augustissima Domo defendendi, & tunc (recuperata valetudine) non deero verbo & ore tam magnanimum Principem pluribus nominibus obligatus predicare, & illi servire, si placuerit, hic, vel alibi.

RESPONSIO.

Illustriss. ac Reverendiss. Dom. &c. Ricevei appunto hieri la lettera di V. I. Ill. Mi è stata certo cara, e grata fuor di modo, tanto per rispetto del benevolo amore, che mi conserva, quanto perche mi averte, e stimola amichevolmente, ch'io sodisfacci à ch' incolpa di errore inaudito i miei scritti

de Origine Augustiss. Domus. Rispondo in stile misto, mezzo Italiano, e mezzo Latino, per conformarmi al suo carattere, nè vi lascierò periodo senza sodisfazzione.

Cominciando dal 1. capo, certo mi rapporta non poca meraviglia, udendo, che il Signor Conte Vbaldino (Prelato, quanto nobile per nascita, altrettanto consummato nelle buone lettere, e valevole, così à entrar animoso ne' Laberinti Genealogici, come à uscirne franco; e inoffenso pede) si sia scandalizato con il Signor D. Luca Olstenio, soggetto appo il Kircherio di molto grido, e più appo il moderno Pontefice, nel pũto, che mi accenna intorno alla medema Origine, venuta da sangue Italiano, e Romano, e in ogni genere di nobiltà chiaro. Jo nella cẽsura pretesa, nõ ancor però scritta, ò provata con la penna, nõ stò à dir, che il Sole in Cielo habbi anch'esso le sue mancchie, e più di lui la Luna, e in terra le gemme, i Cristalli, e i Metalli più puri; perche ogni Xp̃no politico à raggione mi beffeggierebbe. I fogli del P. Gabriele Bucelino (buona penna de nostri tempi, benche troppo affezzionata, e appassionata della sua nazione) con bibosi sentimenti imperversano in questo modo contro i Pierleoni Romani. *Sed neque sui Æneades, Anicij, ac Perleonij patriæ nostræ defuere, non posteri eorum, quorum plerique parricidio, adulterio, fædisque alijs sceleribus omnem generis contaminarunt dignitatem, verum satis pares & gloria,* &c. *Et qui, dicerem ipse, hi Æneades, Anicij, ac Perleonij ex Germano sanguine adeo illibati, & immaculati, ut etiam (si possibile foret) Xp̃i temporalem, ac clarissimam nobilissimamque Genealogiam, in qua pariter scelestissimæ Personæ inseruntur etiam idolatriæ criminibus contaminatæ, offuscarent, supergrederentur?* Ma chi fussero gl' ultimi Perleoni Asburgici Austriaci più à basso. Guardimi il Cielo, che mi cada in pensiero, di poter io giustare per me, havendo avanti gl'occhi miei la candidezza del cuore d'huomini religiosi, e probi, quel detto di S. Girolamo, *Nec ignoro, nos quoque patere morsibus plurimorum, qui stimulante invidia, quod consequi non valent, despiciunt.* Tanto maggiormente, ch' io non sono soggetto d'essere invidiato, mà ben si compatito; e le Signorie loro non sono persone d'invidiar cose si triviali, e da' loro eruditissimi in chiostri per conseguirsi con ogni finezza agevolissime.

Bucel. par. 3. Geneal. Germ. not.

S. Hieron ad. Paulam, & Eustachium in præf. sup. Isaiam.

Jo nella prima opinione di Casa d' Austria nè hò finte, nè hò inserite cose nuove; ma solamente ripigliate le vecchie, già fin da' tempi di Ridolpho I. Cesare per fino à Massimiliano I. Imperat. senza controversia imaginabile à tutto il Mondo, e al volgo istesso comuni. Quelle, che nel secolo nostro non è troppo sono state ritolte alle altrui depressioni, liberate prima con essatta diligenza da tutte le mende, ch'erano gli attacchi più considerabili de gli auversarij; e sono state anche con altre raggioni, e memorie corroborate. Come lascio io la prima sentenza nella sua probabilità, così fò con le due altre, stimando però la 2. men fedele, (che per varij sentieri, seguiti anche hoggidì sotto la scorta del suo Tritemio dal detto

Bucelino,

Bucelino, parche vada cercando à ſorte, d' indovinar la ſtrada battuta) e più difficile à ſoſterſi; e la 3. non libera affetto da' ſuoi intrighi, maſſimamente dopò che ſopra di eſſa Franceſco Guillimanno, hiſtorico per altro nominato, diede frà gli altri errori in uno inciampo, inavertito sì, mà ſenza dubido intolerabile, come preſto diraſſi. L' autorità di Monſ. Olſtenio da me conſciuto, e ſommamente riverito, molto è ch' è nota à Firanze, àRoma al Mondo. Se mi lice lodar queſto valent huomo, mi porrò volontieri in bocca la lingua di S. Girolamo, e me 'l figurarò un Agoſtino, à cui riſpondendo il gran Dottore, d'haver per mezzo di Oroſio ricevuti i due libri *de Origine animarum* ſibi ab eo dicatos, *Duobus libellis tuis*, inquit, *eruditiſſimis, omni eloquentiæ ſplendore fulgentibus, reſpondere non potui: non quod quidquam in illis reprehendendum putem, ſed quia juxta Apoſtolum* unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, alius quidem ſic, alius autem ſic. *Certè quidquid dici potuit, & ſublimi ingenio de ſcripturarum ſanctarum hauriri fontibus à te poſitum atque diſſertum eſt. Sed quæſo reverentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium, &c.* Con la ſteſſa riverenza, ch' io gli porto, e ſtima che ne fò, parmi adeſſo fuor dogni temerità di poter dire, che à paragon di lui tanti autori di nome, quanti il mio libro adduce, non ſien da diſpreggiarſi. Epiſt. 21. ad Auguſt.

Qui fuerint Petri Leones, quique Avus, Paterque Leonis Maximi Petri Leonis.

SIn' hoggi niumo hiſtorico, ò in favore, ò in disfavore, ch' io ſappia (e pur forſe tal' uno ſi è ſervito di codici, e manuſcritti Vaticani) hà potuto ritrovare un minimo che nel punto, che rattiamo interno alla ſtirpe Anicia Perleonia Frangipana, ſeminario di tante illuſtri, e degne Caſate, quante d' haver havute per ſua maggior gloria quaſi Europa tutta ſi vanta. I principali, e più crudeli avuerſarij della prima opinione (*uno Bucelino, cui oretenus tantum ſed bilioſius Olſtenius adſtipulatur, excepto in Italicam gentem, tenerrimam atque indefeſſam exterarum nationū inſtar matris amplexricem, Spigelij, cujus petulantiam Arnoldus Wion ſatis compeſcuit, ſectatore*) non ponno far di manco di non celebrarla, ritrovandola appreſſo le antiche memorie di Roma, e in mill'altre fino à tempi più freſchi di Papa Innocenzo II. e d' Eugenio III. tanto ne' gran ripieghi in materia di Pietà e di Religione eziamdio à pro della ſanta Sede, quanto nella chiarezza de' ſuoi glorioſi natali, e nella potenza, ſtima, autorità, dovizia, conoſciuta, e nominata per tutta la Chriſtianità. Scriſſe ormai la ſtoria de gl' Arnaldiſti Romani, veſſatori ineſorabili à favor (ſecondo il lor penſiero, che poſcia rimaſe ragionevolmente deluſo) dell' Imperator Conrado III. della libertà Eccleſiaſtica, e di più Sommi Pontefici di que' tempi, Otone di Friſia Veſcovo, e figlio di S. Leopoldo, Marcheſe d' Auſtria. Queſto oracolo di verità reſcriſſe anche la lettera de' medemi à Ceſare, i quali per la parte del Papa fanno il Rè di Si-

De Spigelio vide Seifridum lib. 1. cap. 4 propè finem.

cilia, e tutti i Pierleoni, e Frangipani, eccettuandone un solo Giordano, come il tutto à sufficienza si è notato nel mio libro, e qui anche notar voglio, giovandomi assai la repetione. *Sed pro his omnibus*, inquiunt Arnaldistæ apud ipsum, *quæ vestræ dilectionis fidelitate facimus, Papa, Frangipanes, & filij Petri Leonis homines, & amici Siculi, excepto Jordane nostro, excepto Jordane nostro fidelitate in vestra vexillifero, & adjutore, Ptolomæus quoque, & alij plures undique nos impugnant, ne liberè, ut decet, Imperialem regio capiti valeamus imponere coronam*, &c. Et paulo inferius. *Sed circa hæc, ne fiant, regalis prudentia, ut decet, solicita sit, & provida, reminiscaturque vestra solertia quot & quanta mala Papalis Curia, & dicti quondam Cives nostri Imperatoribus, qui fuerunt ante vos fecerint; & nunc in deteriora vobis cum Siculo facere tentaverunt. Sed nos Christi gratia in vestra fidelitate viriliter eis resistemus, ac plures ex illis ab Vrbe, sicut pessimos hostes Imperij, ut sunt, pepulimus*. Explicat. Joannes Seifridus lib. 1. En tempus & causa Perleonum ex Vrbe in Germaniam migrationis. Quos enim alios per dictos Cives, quos Imperatoribus multa mala intulisse calumniantur, intelligunt, quam Perleones, qui semper pro Ecclesia & pro veris Christi Vicarijs contra Tyrannos steterunt. Nam ut à Leone patre Petri Leonis ordiamur, quod is semper partes foverit Pontificias contra schismaticum Imp Henricum, satis significat Alphanus Archiepiscopus Salernitatus in ejus Epitaphio illis versiculis

Otho Frising. lib. 2. cap. 20. de gestis Frider. Jordanus erat frater Leonis Maximi Alberti divitis parentis.

Datus etiam in 1. Gentil. exc. V. Sect. 1.

Hic Leo Petrus Leo fuit Avus Leonis Maximj.

Hoc jacet in tumulo Leo vir per cuncta fidelis
Sedis Apostolicæ, tempore quo viguit.

Baron. tom 12. ex Cassianensi Biblioteca.

Quod deinde forventissimum erga Sacrosanctam Sedem Apostolicam studium, à patre tanquam hæreditate acceptum, filius ejus Petrus ad posteros propagavit. Nam ab hoc Petro Leonis Vrbanum II. Pontificem hospitio semper exceptum, cum summis premeretur angustijs, defensumque in Insula Tiberina inter duos Pontes, Vaticanus codex habet (*citat eum Baron. tom. 12.*) in cujus etiam edibus apud S. Nicolaum in carcere Tulliano positis, idem ultimum spiritum Deo reddidit. Jam vero quantum idem Petrus Leonis laboraverit pro Paschale II. Papa contra Henricum IV. Imp. egregiè prodit Petrus Diaconus, qui etiam ipsa verba Petri Leonis, quæ in componenda pace inter Pontificem, & Regem fecit, refert in Cronico Cassinensi lib. 4. cap. 38. 39. Subditque mox juramentum Petri Leonis, factum Imperatori Henrico ex parte D. Poschalis Papæ II. Neque solum ipsum Petrum Leonis sed & filios ejusdem causam Pontificis egisse ex ipso Henrici juramento fit manifestum, quod hic describendum putamus, ut ex eo intelligatur, quantæ semper auctoritatis & existimationis Perleones cum apud Summos Pontifices, tum apud Imperatores fuerint. *Ego Henricus Rex ab hac hora inantea non ero in facto aut consilio, ut Dominus Paschalis Papa perdat Papatum, vel vitam, vel membra, aut capiatur mala captione*

Hic Petrus est Pater Leonis de maximis. Vide in genealogia ad fin. ejusdem lib. 1. Ad ann. 1099.

Extat apud eundem Petrum Diacon. loc. cit.

ne vel per me vel per ſubmiſſam perſonam; nec ipſi, nec fidelibus ſuis, qui pro ipſo mihi ſecuritatem fecerunt, vel fecerint, id eſt Petro Leonis cum filijs ſuis, & Godefredo nocebo, quorum bonis ſtudioſè non potiemur, vel alijs quos Dominus Papa mihi ſignificaverit. Et ſi quid Dominus Papa fecerit eis, ego eos fideliter adjuvabo, &c. Porrò quomodo ijdem Perleones ſe pro Gelaſio II. contra Frangipanes conſanguineos ſuos oppoſuerint, eundemque Pontificem è manibus Centij Frangipanis eripuerint, exactè Pandulphus Subdiaconus harum rerum inſpector deſcribit apud Baronium Tom. 12. In ſchiſmate etiam illo inter Innocentium II. & Anacletum Petrum Leonis Petro Pſeudo Pontifici, qui Anacletus dictus erat, non diu adhæſiſſe, illud fidem facit, quod is una cum Theobaldo Præfecto Vrbis Innocentio Papæ cum Lothario Imperatore Romam venienti obviam proceſſiſſe legatur. Filios quoque ipſius poſt mortem Anacleti ſtatim Innocentio reconciliatos fuiſſe S Bernardus ſignificat illis verbis. *In octavis Pentecoſtes ipſa die complevit Deus deſiderium noſtrum, Eccleſiæ unitatem, & Vrbi dando pacem. Nam illa die filij Petri Leonis omnes ſimul humiliaverunt ſe ad pedes Domini Papæ, & facti homines ejus ligij, juraverunt ei ligiam fidelitatem.* Reducti ergo Perleones in gratiam cum Innocentio, ei ſtrenuam operam navarunt cum contra Tiburtinos, qui ſollemne ipſi obſequium præſtare detrectabant, tum contra Arnaldiſtas Romanos. Contra quos etiam quanto ſtudio & animi ardore, quanta rerum ſuarum jactura & vitæ incommodis pro Lucio II. & Eugenio III. Pontificibus Romanis ſteterint, ex hac quam præ manibus habemus, epiſtola liquet. Demum eoſdem quoque una cum Frangipanibus Alexandro III. contra Fridericum Imp. auxilio fuiſſe, acta ipſius Alexandri in Vaticana Bibliotheca teſtantur. In quibus inter cætera hæc leguntur *Papa Alexander cũ Cardinalibus & familijs eorũ, relicto Palatio Lateranenſi, deſcendit ad tutas domos Frangipanũ, & apud S. Mariam novã, & Caſtellariam & Colloſſaum ſe cum eis recepit. In quibus diebus Rex Siciliæ audiens hoc, miſit ad Papam Alexandrum III. duas galeas cum multa pecunia. De qua pecunia ſuſcepta, partem dedit Frangipanibus fidelibus Eccleſiæ, & filijs Petri Leonis, ut ſtrictius obligati ad invicem, ſe fortius adjuvarent.* Videſne igitur, Otho amice, ac Domine, ut ſemper Perleones, inter quos tunc temporis Leonis Maximi Petri Leonis, Alberti Divitis & Rudolphi, exulorum apud Helvetios parentis, avus Leo Petrus Leo, pater vero Petrus Leonis Petrus Leo, in defendenda Eccleſia Romana ſint verſati? Ex his ſtrenuis pro Eccleſia Romana pugilibus plures ab Arnaldiſtis Romanis Vrbe ſunt pulſi, ut ipſi ſuis literis, paulò ſuperius allatis profitentur. Quia verò ex ſtirpe Perleonia nullum aliud germen transplantatum reperiri poſſit, præter Habsburgicum, neceſſe eſt ut fateamur, ejuſdem Habsburgici germinis auctores hoc tempore (id. anno 1145.) & ob defenſionem Eccleſiæ Romanæ, ejuſdemque Pontificis Maximi Eugenij III. Vrbe coactos fuiſſe excedere. Sed quid prædictis ſubjungant ijdem Arnaldiſtæ, audiamus. *Appropinquet igitur nobis Imperialis celeriter*

Epiſt. 310.

Perleones pro Innocent. II. Lucio II. & Eugenio III.

Item & pro Alexandro III. contra Frider. Imp.

Otho ibidem.

celeriter vigor, quoniam quidquid vultis in Vrbe obtinere poteritis: & ut breviter, ac succicte loquamur, potenter in Vrbe, quæ caput Mundi est, ut optamus habitare, toti Italiæ, & regno Teutonico, omni clericorum remoto obstaculo, liberius & melius quam omnes ferè antecessores vestri dominari valebitis. Sine mora ergo precamur, ut veniatis; & interim de statu vestro, quem semper desideramus salubrem, de his regalibus literis & nuncijs nos lætificare dignemini. Sumus enim per omnia vestræ voluntati semper obtemperare parati. Sciatis præterea quia pontem Miluium extra Vrbem parum longe per tempora multa pro Imperatorum contrario destructum, nos, ut exercitus vester per eum transire queat, ne Petri Leones per Castellum S. Angeli nobis nocere possint, ut statuerunt cum Papa & Siculo, magno conamine restauramus, & in parvi temporis spatio muro fortissimo & silicibus juvante Deo complebitur.

Seditiosorum conditio tota timoris plena.

Tenuerunt Castellum S. Angeli Perleones jam sub Paschale Papa. Vnde Petrus Leonis coactus est dare obsides, ut Henricus Imperator in sua coronatione processionaliter receptus, sicut scribit Petrus Diaconus citatus, securè transiret Castellum & pontem. Ad eosdem in idem Castellum Eugenius III. anno 2. sui Pontificatus Lateranensi Palatio confugit, ad evitandum Populi insanientis furorem. Videntur autem illud in bonis accepisse ab Vrbano II. cum illud à Guibertinis recuperavit, cui Petrus Leonis contra eosdem strenuam semper navarat operam.

Petri Leones castellum S. Angeli tenuerunt. Leo Maximus Petrus Leo tunc tenebat Castellum.

Jam quæ in ijsdem literis sequuntur stabilita inter Regem Siciliæ Rogerium, & Romanum Pontificem pacta, non ab Eugenio, sed à Lucio inita fuere, quæ sic describunt. *Concordiam autem inter Siculum & Papam hujusmodi esse accepimus. Papa concessit Siculo virgam & annulum, dalmaticam & mitram atque sandalia. Et ne ullum mittat in terram suam legatum, nisi quem Siculus petierit. Et Siculus dedit ei multam pecuniam pro detrimento vestro & Romani Imperij, quod Dei gratia vestrum existit. Hæc omnia sollicitè vestra animadvertat optimè Rex prudentia.* Salutationem autem sequenti pentastico impertiunt.

Rex valeat, quidquid cupit obtineat, super hostes
Imperium teneat, Romæ sedeat, regat orbem
Princeps terrarum, ceu fecit Justinianus
Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua Præsul,
Vt Christus jussit, Petro solvente tributum.

Nos de cætero legatos nostros precamur, ut benignè recipiatis, & quod vobis dixerint credatis, sunt enim nobiles viri Guido senator, Jacobus filius Sixti Procuratoris & Nicolaus eorũ socius. Hucusq; Romanorũ Arnaldistarũ literæ ad Cõradũ. Verũ nullũ eas pondus & auctoritatem apud Cæsarem habuisse hisce

verbis

verbis testatur Otho ubi supra. *At Christianissimus Princeps hujusmodi verbis sive nanijs prabere aures abnuit: quinimmo venientes ad se ex parte Romana Ecclesia viros magnos & claros, quorũ unus Guido Pisanus ejusdẽ curia Cardinalis & Cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum suorum postulantes honorificè suscepit & honestè dimisit.* Hactenus de his Otho. Quibus addo Orthodoxam Conradi Pietatem, impietati Arnaldistarum adversam, causam potissimam extitisse, ut Albertus & Rudolphus Perleones Romani in Germaniam pergerent, ac Cæsaris tutelæ se dicarent.

In 1. Gentil. auctor non advertit hanc Othonis adnotitionem, & ideo credidit Conradum Arnaldistarum fautorem.

Ex his omnibus, quæ penè verbatim iterum rescripsimus ex Joanne Seifrido, omnia ferè à Baronio mutuante, sequitur primò distinctissima noritia, tam avi quam parentis Leonis Maximi Petri de Leone, & quidem longè diversa in moribus, ac præcipue in rebus fidei, Religionis, & Ecclesiæ Romanæ, ab ea, quam Bucelinus scriptis prodijt, & verbis tantum Holstenius. In prototypo enim Genealogico ejusdem Seifridi post abavo Maximo Petro Leone, ac Stephano Petro Leone proavo statim ponitur Leo Petrus Leo, inde Petrus Leonis Petrus Leo, Pater Leonis Maximi Petri Leonis. Deinde alia consequentia sumitur ab eodem Seifrido, deducta à præfatis literis ad Cæsarem Conradum. Constat igitur, ait, ipsorum testificatione Arnaldistarum causam exilij Perleonum eam dumtaxat fuisse, quod non eodem, quo illi, Arnaldi errore depravati, eadem pariter amentia & furore affluentiam bonorum Clericis & Monachis inviderint, sacra Pontifici vectigalia eripuerint, Ecclesiæ immunitatem, Pontificiam auctoritatem infregerint. Sed pro tuenda Ecclesiastica auctoritate se ijsdem murum opposuerint, pro Pontifice arma cæperint, nefarios eorumdem impetus, ac vim represserint, ac denique (quod M. Albertus Argentinensis scriptis prodidit) in hoc laudatissimo conatu Civem præpotentem, sed adversariæ factionis, & hostem Ecclesiæ interemerint. Mutua enim cæde tunc in alterutram partem sævitum esse, satis indicat epistola D. Bernardi, quam contra eosdem Romanos Arnaldi alumnos stylo ferreo valdè acuto exaravit epist. 242. Itaque etsi cujus illa cædes fuerit nihil certum & expressum ad posteros transmissum sit, illud tamen ex dictis liquet, eam factam esse nonnisi ex flagrantissimo justitiæ ardore pro defendenda Ecclesiæ immunitate, & tuenda Christi in terris Vicarij auctoritate. Vnde summus ille, ac justissimus omnium arbiter Deus, qui uti nihil mali inultum, & impunitum dimittit, ita etiam rectè factis merita præmia persolvit: quemadmodum Zelum & factum Phinees, quo impurissimum hominis Israelitæ flagitium vindicavit, adeò gratum habuit, ut non solum omnem conceptam in populum prevaricatorem iram ex animo deposuerit: Sed etiam, ut regius ait Psaltes, *Illi hoc reputatum ad justitiam in generatione & generationem.* Itaque idem horum Perleonum fratrum ferventissimo erga suam Ecclesiam & ejus Summum Pontificem studio delectatus, non modò post paucos annos illam omnem Vrbanam rebellionem extinxit, Pontifi-

Prima Conclusio ex collectore.

2. Conclusio ex Seifrido.

In Chronico.

Num. cap. 25.

Psal. 105.

cemq; sedi suæ, ac Urbi maximo omniū applausu restituit, verū etiam dictos fratres, qui in causa Ecclesiæ patria extorres facti fuerant, & ingentibus opibus possessionibusque locupletavit, & ejus preclarissimæ familiæ dedit esse au ctores, quæ postmodū suma Imperij dignitate, qua prioribus temporibus condecorata fuerat iterū exornata; murū se pro Ecclesia protegenda contra ejus quoscumque hostes viriliter opponeret. Unde, ut vides, lector, moderni Augustissimæ Austriæ Domus Principes Zelū hunc atque studiū erga Sacrosanctam Sedem Apostolicam à majoribus suis quasi hæreditariū acceperunt, & cum ipsos veluti nutricis lacte mente tota penitus combiberunt: meritoque nefandissimam hominū pestem, quæ maximè aulam Principum obsidere solet, modernos Politicos dico, hominis pestilentissimi Arnaldi de Brixia sobolem & alumnos, odio avito & innato prosequuntur. Siquidem par est, ut quam illustrium majorum suorum vestigijs signatam atque impressam intuentur viam, toto pectore omnique animi contentione consectentur. Hæc inter multa alia, quæ anno 1613. prælo data sunt Viennæ, ac tribus libris distincta de Arbore Aniciana ab Abbate Cistertiensis Ordinis in Monasterio Claravallis Austriæ Joanne Seifrido Silesio Wratislaviense: quem nec silentio præterit Abbas Bucelinus, cum tot illis auctoribus quorū major pars ab eodem Seifrido desumpta I. in Gentilitio à me enumerata sunt. Sed addamus unicam appendicem, ac simul per modū etiam simplicis Apologiæ, solius veritatis amicæ, Bucelino satisfaciamus.

Austrijs Principibus in tuenda Ecclesia Romana à Perleonibus progenitoribus hæreditarium studium.

APPENDIX.

Mens Gabrielis Bucelini viri docti de postremis Anicijs Frangipanibus Perleonibus Habsburgicis.



IN tertia parte, pluries citata, præfati scriptoris Bucelini superstitis, cujus scripta magnum profecto nomen per totam Germaniam, & ulterius sibi comparare visa sunt, tria breviter fol. 22. & sequ. auctor explicat. Primum. Ortos, inquit, ex Petro Leonibus Habsburgios plurimi tam supera, quam nostra ætate, nec levis momentis scriptores tradidere, paucos è multis recensemus. Wigardus à Polheim, genere atque eruditione sed & gradu dignitatis Illustrissimus Archiepiscopus Salisburgensis, Hermannus à Sulgavv, Jordanus ab Osnabrugg, Ottoccarus ab Hochegg Eques Styrus, Joannes Ennickei Eques Austrius, Ioannes Nauclerus, Jacobus Wimpelingus, Wolfgangus Silesius in Austriaca M. SS. Cuspinianus, Henricus Gundelfingensis, Udalricus à Klingenberg, Iosephus Gruenbechius, Albertus de Bonstetten, Felix Hemmerlin Canonicus Thuricensis, Henricus Con-

Auctores pro Sententia nostra apud Bucel.

ſtantienſis, Vdalricus de Braiten Landenberg, Petrus Selirrendlerus Præpoſitus Interlacenſis, Sigfridus Abbas Zvvectalenſis, Fridericus à Brombach, Anonymus apud S. Vrbanum in Ergovia, item Anonymus Reinachiorum M. S. Philippus Gothus in præfatione de invent. S. Placidi & ſociorum, &c. Thomas Bozius, Hieronymus Rubeus, Richardus Rauchinus, Conſtantinus Cajetanus, Paulus Jovius, Lucas Contilis, Honuphrius Panvinus in duobus inſtrumentis antiquis de Stemmate Frangipanum, Arnoldus Wionius, Hieronymus Bardi Camaldulenſis, Franciſcus Roſiers, Chronicon Seleiſtadienſe, &c. Ajuntque ſimiliter ſenſiſſe Maximilianum I. Iovius, Carolum V. Auguſt. Lucas Contilis, Sigiſmundum Archiducem Henricus Gundelfingenſis, &c.

Secundum.

Et viſi nos ipſi multis fumus (*inter hos & eadem mihi de Bucelino opinatio in 1. Gentilitio*) idipſum in pluribus cum typo vulgatis, tum M. SS nostris lucubrationibus, atque in primis in *Aquila nostra Benedictina* cum Cæſarem Ferdinandum III. in *Nucleo* dein Hiſtorico cum Regem Vngariæ Ferdinandum IV. in dedicatione *Anicios* ſalutaremus. Longè tamen altiorem, quam hi omnes Originem reſpicientes, neque tam ſub æquo ſanguinis jure, quam altiſſimo atque antiquiſſimo, Magno Monachorum Archiduci Benedicto tantam poſteritatem aſſerentes, cum in hoc & ſacris ejus filijs Mauro atque Placido Romanum Anchiſiadum ſtemmatorum deficeret, & ſuprema ejuſdem gloria Cœlis immigraret, Germanum verò tantorum ſublimi adeo Patrocinio maxima deinceps incrementa ſumeret, & veterem Amiciorum majeſtatem non tam reſtauraret, quam longiſſimè ſuperaret. Neque propterea negare velimus aliquam fortaſſe ad Anicios ſanguinis relationem in Petro-Leonibus Romanis, Michaelibus & Iuſtinianis Venetis, Frangipanibus Vngaris, Sabbathinis Zabarellis alijſque remanſiſſe.

Declarat Bucel. ſuam mentem. Opera Bucelinica.

Tertium.

Illud tantùm contendimus, ad illos, ut ætate ſic gloria longè ſuppares, Auguſtiſſimos Principes noſtros Habſburgicos nullo modo pertinere, cum ſexcenta ipſorummet Habſburgi Comitum ſuperent Diplomata, ante ſcripta in Germania, quàm illi contendant Perleonos noſtris Provincijs immigraſſe; quorum vel unum ſufficeret ad omnia ſententiæ illius diſſipanda atque evertenda, ſi vel ultimi quidem in Ergovia Habſburgi Comitum nomina, innumeris recenſita tabulis, ſubſcripta literis, inſerta Necrologijs, memorata Equeſtribus ludis, ſive prælijs celebrata, contueamur. Vt nihil de Rapatonis, hujus Habsburgi Conditoris, majoribus ad uſque Ottopertum hujus familiæ primum, ſed nominis quartum, nedum de ijs, in quorum uti hæreditatem; ita & in nomen ſucceſſit, referamus cum plerique ex ſcriptoribus memoratis, Petro-Leones illos Roma profugiſſe in Germaniam velint A. C. 1170. Alij 1145. & Habsburgo condito cognominatæ inde familiæ auctores extitiſſe, quod planè ex ijs, quæ jam diximus,

Reſpuit redarguitque ſententiam noſtram.

 ridiculum

ridiculum apparet; atque illud præ alijs dum à nonnullis Cæsaris iram fugisse dicuntur, sive in exilium deportari; cum ipsi fateantur Germaniæ (nempè Cæsaris patriæ) immigrasse, atque illic tantopere effloruisse atque excrevisse; unde Pontifici potius adversatos; Cæsari favisse intelliges. Sed quis non credendum magis arbitretur testibus oculatis, & quidem ipsissimet Comitibus Habsburgi, non utique nominis sui ignorantibus, tanto ante exulū illorū adventum libertas donationū suarum subscribentibus, & sigillo communientibus? ut nemini sanè persuaserint illi, nisi ignoranti, & qui opinione magis rapi, quam vinci se ratione, & veritate patiatur.

Ex his transit immediate ad Fridericū Brombachiū nostræ sententiæ sectatorē, ac simul aliundè funditùs destructōrē. Quippe qui modis duobus inter se perdiversis in quodā M. S. Bucelino, ut ipse testatur, præsentato Ratisponæ in comitijs A. C. 1640. totus in eo versatur, ut celebrē cæteroquin Equitū de Reinach familiam Habsburgijs Comitibus Origine exæquet. Jaciens ergo scriptor iste (quem virum eruditissimum, & in historia penetranda curiosissimum vocat impugnator) Genealogiam, eamque exordiens primò à Flavio Anicio Frangipane Petro Leone, in diversas orbis partes prolem mittente, extinctoque A. C. 772. ac postea ab ejus filio Anicio Petro Leone Frangipane ob civile Romæ A. D. 823. excitatum bellum exulante ad Lacum Lucernensem, dirutumque castrum Habichspurg restituente; mortuoque A. C. 823. sicut à recta semita, quam egregiè adinvenit Seifridus, longè aberravit, ita facile fuit Bucelino eam sententiam tanquam figmentum in suis scriptis inserere, cum omninò nec tempori, nec rationi accommodari possit.

SATISFIT BREVITER BUCELINO,

Et quam futilis sit ejus narratio, facili pacto ostenditur.

Quare auctor hic in illo Catalogo pro nostra sententia scriptorum, cujus haud paucos errores, per quos merito ea antea ab adversarijs veluti fabulosa contemnebatur, Seifridus postremò expurgavit, nullam mentionem Alberti Argentinensis, illibatæ fidei historici effecerit, prorsus ignoro. Suspicor tamen, fortè illum reticuisse, quia expressam Perleonum mentio apud ipsum nulla, uti adnotaverat Guillimannus. Ac propterea novo, ac satis peregrino à mente auctoris commentario, eum cum præfato Guillimanno de Romanis Legionarijs in partibus Vindonissæ locutum esse pensitasset. Sed circa hoc satis in 1. Gentil.

De S. Patriarcha Benedicto, Symbolicè, seu Monarchicè Archiduce, nec non & Anicié Austriacis Principibus consanguineo (hoc nomine eum

Buceli-

Bucelinus inſignivit in dedicat. Nuclei ad R. Ferd. IV.) ſit tale auctoris judicium, quale ipſe vult eſſe. Verum in re hiſtorica, ac Genealogica velle accommodare Anicianam appellationem (h ec nonniſi principio è Magnatibus Romanis, ut fertur communiter) poſteris Trojanis Francis Theutonicis, licet hi cum Anicijs Italis radicali eorumdem Trojanorum ſtirpe, ac ſanguine conveniant, parum ſanè conſentaneum videtur. Quemadmodum etiam idipſum adjudicarem de ejus appendice ad deductiones Carolingorum. Vbi enim loquitur de Hunno Welipho Henningiano, ſuperius commemorato, quem cum ſuis poſteris Trojanæ Originis germen aſſerit ex vetuſtiſſimis diplomatibus, ut ipſe ait, Guelphorum atque Agilolfingorum, ſtatim de S. Arnulpho ſubdit B. Paulum cognomento Diaconum, Caroli Magni æqualem, talia diſertè ſcribentem. *Venerandus iſte vir juventutis ſuæ temporibus ex legitimi matrimonij copula duos filios procreavit; ideſt* Anſchiſum, *& Glodulphum, cujus Anſchiſi nomen ab Anchiſe, patre Æneæ creditur eſſe deductum.* Inde Æmilius de Pipino Rege Caroli Magni parentem. *Ex ampliſſima familia, & tam veteri nobilitate natus erat, ut cum auctor, origoque prima ignoraretur, quod multi ejus ſtirpis Anchiſij vocitati invenirentur, ab Anchiſe Trojano eos ortundos plerique jactitarent, &c.* Item in Diplomate, Monaſterio Merelocenſi dato, Clodulphus Anſegiſi frater germanus, ac Lotharingiæ Archiparens, *Nos igitur,* ait, *Clodulphus Dux Auſtriæ Moſellanicæ, Arnulphi Ducis filius, filij Arnoldi, & antiqua, ac nobili Francorum Trojanorumque ſtirpe natus,* &c. *Datæ Treveris anno Domini 646.* Horum fides adeo certa apud Bucelinum, ut dicat. Et quis non malit tantis tamque antiquis credere, quam nuper natis, è ſua ſolum ductis ratione tantum deferre, ut cum iiſdem libeat Antiquitati illudere, quam tamen in illa ætate advertimus tanti factam eſſe, ut omnem ſemper novitatem triumpharet? Et mirandum ſanè cum tales vetuſtiſſima quævis exufflent, mediæ ſaltem ætatis ſcriptores Marianum Scotum, Gotfridum Viterbienſem alioſque non attendere, quorum ille diſertè *Anſgiſum Anchiſis Trojani nomine* vult *appellatum,* alter verò Trojanam propaginem in duo genera Regum (Æneæ ſcilicet & Priami) dividens, utrumque aſſeverat in Carolo Magno concurriſſe. Hæc ille. Ego libenter concedo ex Regis Priami Trojani Sobole per filium Hectorem, Franci parentem Proceres Priamides, Hectorianos, Frangigenas, Cimerios, Sicambros, Meroveos, Carolingos Capetoſque derivare Sed uſque dum planè mihi non demonſtrabitur, unde nam dici poſſint Anchiſes, & ejus filius Æneas, è quibus per Latinos, ac Romanos Anchiſiades Itali, Æneides, Iulij, Anicij, Frangipanes, Perleones (ex quibus poſtremo Habsburgij, Auſtrijque) illorum conditores, ſive per eorum ſtirpem, poſteroſque propagatores, nullo modo præfatis hiſtoricis aſſentiam. Priamus, Hectoris Pater, ac Franci ſeu Francionis Avus regnavit poſt Laumedonta Regem ejus patrem; Laumdontæ ſucceſſit Capys Rex, filius Aſſaraci, fratris Ili, ab hoc Capi Anchiſes, Æneæ parens. Igitur licet

Loco cit. fol. 14.

Paulus Diaconus de S. Arnulpho.

Æmilius de Rege Pipino.

cet Trojani Itali cum his Teutonicis in jure consanguinitatis conveniant, quia tamen divisa stirpe, Anchises & Æneas nostras commemoratas progenies, longè illis Germanorũ multis modis clariores, Priamus verò Teutonicas præfatas procreavere, propriè quidem & secundũ regulã verã genealogistarum Franci Trojgeni Anchisiedes Æneides dici nõ possunt. Vbi deinde Bucelinus sententiã nostrã omninò respuit, utitur argumẽtis adeo debilibus post lucrubationem Seifridanam, de qua in 1. Gentil. plenè actum est, ut mirum profectò appareat, ipsum ea repetere voluisse; cum potius debuisset, aut reperire nova, aut fundamenta Seifridi evertere, ut vetera in pristina eorum validitate adhuc permanerent. Insuper satis fuit nostris cognoscere, Bucelinum priscis illis impugnationibus robur funditus sublatum esse tacite indicasse ex tempore 1145. quando scilicet anno 1. Eugenij III. & Conradi Imp. item III. 6. Perleones in Germaniam commigrarunt. Ad alia tempora annorum 1170. Alexandrum III. Pontificem, ac Fridericum I. Ænobarum respicientia, atque errorem intolerabilem, ei parem de absoluta, ac originali constructione Habsburgi à Perleonibus, includentia, denuò recurrere vanum omninò est; cum non possint amplius locum subterfugij quasi per cavillationem adversantibus præbere. Qui postea dixere; Perleones nostros Roma exulasse in Helvetiam, ut Cæsaris iram evitarent, proculdubio valde allucinati sunt. Cæsar enim, ut Otho supra clarè ostendit, cum esset Christianissimus, partibus Pontificijs favit, & ab Arnaldistis plenè dissensit. Quod si adverteret Bucelinus, majori sane energia de Auctore tanto eadem protulisset, quæ de Clodulfo Principe lectissimo, & Religiosissimo commemorato. Vni Othoni magis quam mille Nevenarijs & novellis scriptoribus credimus. Cætera, quæ auctor annectit usque ad Brambachij confutationem, non amplius nostræ sententiæ adversantur. Brambachium ipsum & nos quoque damnamus; at mirum certò videri debet, quare ejus Genealogiam ut fignentum scriptis suis potius inserere selegerit, quam illam Seifridij, quæ verissima est, infallibilis, & certa, quamque ipse hodie ita amplector, & sequor, ut non amplius abdubitem cæteras sententias, in 1. Gentilitio à me probabiles judicatas, extra omnem probabilitatem reperiri. Sed ad literarum tenorem.

Loc. cit. pag. 14. col. 2.

Redit auctor ad Literarum præpositarum ordinem, responditque ad sequentia capita.

LA 2. Opinione per parte de Duca Sigeberto, postero del sangue Real di Francia ne' Rè d'Austrasia, non è possibile, me'l creda V. S. Ill. potersi con esatte raggioni difendere. Vltimamente il P. Bucelino istesso, tanto suo amico, affatto la ributta senza farne verum conto, anzi stimandola

dola non ſolo irragionevole, mà anco indegna. Afferam ejus verba. *Clodovei*, inquit, *Merovingicam lineam, multis aliquamdiu Galliarum Regibus florentiſſimam certum eſt (etſi contra multorum ſententiam) in Childerico ſtupido, ultimo Merovingorum Galliæ Regum prorſus deſijſſe; juſque Regni, ac poteſtatem ad lineam item Ansberti memoratam Pipinumque translata eſt. Vt fruſtra omnino ſe fatigent quotquot Augiſtiſſimæ domus Auſtriæ nobiliſſimam intaminatiſſimamque propaginem à turpiſſimis illis Regibus, quorum internecionem omnemque poſteritatis ſpem diſertiſſimis prædixit verbis D. Columbanus, derivare allaborant, & pro Sigeberto quodam, Exulis cognomentum indepto, Theodoberti, ut volunt, filio, multa, ac revera inania referunt, nullo prorſus ſubnixa, ſive vetuſtiore quovis monumento, &c.* Ma avanti del Bucelino Henrico Spondano continuator del Baronio con maniere molto honeſte non ſolo rifuta ſi mal fondata opinione sù lanno 1273. mà generalmente ciaſchun'altra che pretende dalla ſtirpe de' Rè di Francia tirar quella dell' Imperator Rudolfo. I. A me ſotto la ſcorta di molti, e buoni autori, e di memorie non communali nulla importa queſta opinione, perche ſupponendoſi da altri vera, vero non ſarà mai, che Alberto il Ricco ſia ſtato figlio legitimo, e natural di Wernero II. Leſſi jo nella dedicatoria del Nucleo di queſto Autore, che per non haver prima veduta la ſua Germania ſacra, e profana, à di noſtri dalla ſua viva penna ſommamente nobilitata, non potei nel mio primo volume confutarla, e credei, come hò detto, eſſer dalla mia parte, ſentendolo nominar S. Benedetto conſanguineo di Ferdinando IV. Auſtriaco Rè de' Romani. Ben fece di chiarrirſi, come ſi è viſto, benche molto impropriamente, perche in altro modo la ſua intenzione ſarebbe rimaſta ſepolta. Hora già è paleſe in quella ſua 3. Parte tante volte citata nel foglio 15. e 20. ivi *in Fragmento ſtemmatographico veterum Alſatiæ, atque Alemanniæ Ducum, cui Protoplaſtus Lendiſius ſive Leodiſimus Magiſter Palatij; quem nonnulli Ercembaldi filium volunt certa generis deductione ex Agiloſingis ſummis Germaniæ Ducibus. Occiſus ab Ebroino ſub A. C. 685. Dein ejus filius Ethico, ſive Atticus eo nomine I. cognomento Adelricus ab affine Rege Teodorico Dux Alemanniæ atque Alſatiæ conſtitutus A. C. 666. juxta alios 685. ſuperſtes ad uſque 699. Vltimus in illa tabella Otpertus hæres Habsburgi, &c.* Quivi ſequendo la diſcendenza del ſudetto Attico, intitola l'altra Genealogia in queſto modo. *Alſatiæ atque Alemanniæ Ducum ſera in duabus Regum, noſtræ ætatis potentiſſimis familijs poſteritas.* Da Alberico, ò Adelberto Duca d' Alemagna e ſuo figliolo tira la ſtirpe di Hugon Capeto ſino à gli hodierni Borbonij. Da Etho Conte di Briſangia fratello di Adelberto I. Conti più antichi d'Habsburgo, e inſieme Caſa d' Auſtria. Da Guillimanno, e altri è ribbutata queſta ſentenza, benche munita di buone memorie, portate dal Bucelino. Da me è liberamente conceſſa ſino à Wernero II. ultimo Conte d' Habsburgo, mà più avanti affatto negata; poiche, come ſidiſſe, Alberto il Ricco non fù altrimente Alemanno, mà Romano. Adunque l' opinione, che fù ſola nel Mondo

Theodoricus II. Rex nefarius, ac Sigeberti Patruelis D Columbanum in exiliū miſit, D. Deſiderium Epiſcop. Viennæ lapidari juſſit.

Tota integra tabula de Comit. Habsburg ab eodem Attico in fol. 20.

Mondo senza niun litigio, e prima di tutte l'altre da Ridolfo à Massimiliano I. più di due secoli antica, resta invitta, salda, e inabbattuta.

Sinoattanto che V. S. Ill. non si acquieterà, per cauarne il netto circa l'errore accennatomi, io starò quieto, e fisso nel mio parere, essendo i tratti delle stampe irretrattabili, e per ritrattargli, e torgli da non chimerici, mà ben posti appoggi, il semplice dire, non ancor posto in carta, e chiaramente dimostrato, senza dubio non basta. Farà certo ella molto saggiamente, tal portandosi in ciò con Monsignor Holstenio, qual portar lo stesso si vorrebbe intorno alla descendenza della Regina Christina, *quam si vult ab alio stemmate derivari, proculdubio viris doctis rem gratissimam facturum assero, quotiens scriptis illud tradendo, dicto D. Hieronymi*, Neque enim nova sic cudimus ut vetera destruamus, *eum perbellè consignabit. Commutet quæso Holstenius meus spicarum* manipulum, quo avitum D. V. Gentilitium 3. illustratur, ac tanquam delicato nobilitatis cibo pascitur, & nutritur, in juncorum fasciculum. Suadeatque insuper Genealogistis peritioribus, quibus non dum suasit, pro familia Biessen aliundè exaltanda, hanc veluti juridicam commutationem. Neque de criticis obdubitet, cum certò sciat, hos solitos esse nodos in scirpis quærere. Et quidem quæ dicto fatentur, sæpenumero à facto quam longissimè distant. Si adhuc, ut D. V. testatur, sententiam suam de hisce juncis scripto non persuasit Holstenius, etsi labijs protulerit, idem fortè in causa erit de sua ; mente pro Austriæ Gentis initijs. Quos ipse cito pro parte adversa in 2. sententia auctores, omnes quidem contra primam, quam pari conamine respuunt, immutabili fœdere irrumpunt, minimè autem pro 2. stabilienda confirmandaque concordes reperiuntur, cum varijs modis inter se sint divisi. Et ut taceam Trithemium alioqui historicum satis notum, & in lucubrationibus Bucelinicis hodie veluti Fœnicem reviviscentem, cum de eo uberius scripta mea ; ut taceam pariter & Piespordium, per semitas parum tutas ac ipsum aberrantem, quin etiam & Roo, in 2. sententia hæsitabundum, nec non alios quoque, veniam ad Franciscum Guillimannum, de quo ipse tam in 1. Gentilitio, quam in Matrimonio Rudolphi I. Imper. aliorum censuris usus, & nondum à me visus, & lectus Bucelinus pag. 30. col. 2. ubi de Luitfrido & de antiquitate Castri Habsburgi, quam vetustiorem probat illa Wolfgangi Lazij, & ejusdem Guillimanni, de ipsomet ita. Guillimannus longè aliter sentit, allegans subinde acta Murentia etsi vel non satis intellexisse videtur ; vel neglexisse: quem erroris doctè redarguit Reverendissimus ejusdem inclyti Cœnobij Abbas D. Dominicus Tschudius in libello, quem nuperrimè typo vulgavit de Cœnobij sui fundatoribus ; uti & nos deprendimus, & in hoc Guillimannum, & maximè in prima Altenburgensium & Vindonissensium (sicut ipse appellat) Genealogia plurimum aberrasse, virum cætera æterno dignum honore & admiratione, & qui pleraque alia adamussim expenderit, meritissimum de posteritate. Hæc ille de Guillimanno. At res quidem admira-

S. Hieron. in præfat sup. Proverb.

Bucel. in Guilli.

Ex hac redargutione in excidiũ posuisse Guillimannum Habsburgium sanguinem, & Tiersteinum pro Austriæ sobolis origine, pluries alibi demonstratũ.

Admiratione digna apud me eſt, quod nec Bucelinus ipſe, qui tres tabulas Genealogicas ad uſque Guntrammi Divitis ætatem è per vetuſtis Monaſterij S. Trudberti membranis & tabulis, hincque ad Rudolphum I. eo nomine Cæſarem è Murenſis Cænobij voluminibus hauſiſſe fatetur, nec Guillimannus idem, neque alij haud pauci in hoc inter ſe conveniant. Forte ſcripturæ illæ Codicem Biblicum Hæbreorum, ſuper quem adhuc uovæ & infinitæ intelligentiæ, imitantur. Fol. 20.

Porrò non eſt amplius neceſsè pro citatis à D. V. auctoribus validiorem perquirere ſolutionem, cum eorum argumenta eruta, ac demolita ſine ulla ſpe amplius reſurgendi appareant. Vnde ſcriptores, quos ipſa habet præ manibus ex parte Sigeberti, aut non tanti ponderis faciendi, quanti Prophetica S. Columbani auctoritas; aut ſi faciendi, uſque ad Wernerum II. admittendi ſunt, ut diximus. Cæterum minimè obdubito, quin apud amicum ſuum, & Dominum meum Holſtenium certiorem ſuper rem hanc ipſam effectura, & quamcitius. Faxit Deus, ut à tanto viro, dulci ſoladitio ſibi juncto (ſed poſt obtentam ab eomet purpuram, ab illaque ſpe exonerato, quæ ſi diutius differeretur, maximè in homine plurimum ſeneſcente, affligeret animam, & in iſthac Aula dumtaxat, Gazicis ſplendoribus aſſueta, ubi paſſim ſpe fruſtrata, ac ſimul depauperata ſubſtantia, vita, more Camaleontium nutrita, ſibi pro morte Xenodochia preparat) per optatam conſolationem, juſtæ ſuæ cupidini pro commemorata difficultate debitam, obtineat.

Commendata in ipſamet controverſia D. V. indifferentia nonniſi Chriſtianam prudentiam redolet: non ſecus, ac altera circa Theologales diſceptationes, quas mihi dignata eſt referre, & per quas tam extremarum ſcholarum Principes, quam & mediæ profeſſores utrinque inter ſeſe marte oſtinato adhuc acerrimè diſſident, dimicantque. Sereniſſimus Archidux noſter, cujus clementia ab infantia, nunquam deſinet conſpicua ſuorum diligere merita, & ea precipuè D. V. quæ non minùs ab ipſo, quam ab omni Germania, quinimò & Eccleſia cognita ſunt, & admirata. Prolixæ demũ rudique reſponſioni abs ſe veniam expoſtulo; & dum ſolertiã ſuam, atque auctoritatem maximi facio, minimi verò meam ſervitutem, Sacerdotales, ac Pontificias D. V. Ill. manus omni reverentia, qua debeo, humillimè exoſculor. Alterum laborum meorum Gentilitium, hoc ſcilicet, quod ſub prælo eſt, ſi citò explebitur, citò quoque mittam, ſuæque & Holſtenij correptioni libentiſſimè ſubmittam. Oeniponti, &c.

D. V. Ill. & Reverendiſſ.

Humillimus ac devotus Servus,

Frater Didacus Franciſcanus.

PARS ALTERA DIGRESSINCVLÆ APOLOGETICÆ, VBI ETIAM DE vetustissima Italorum fundatione, per quam ultimum Argumento ad hominem, ut ajunt, redarguitur Bucelinus.



Loco. cit. fol. 6.

Otus Berosianus D. Gabriel Bucelinus videri, ac teneri vult, dum Regni Germanorum fundationem cum Gotfr. di Viterbensis (Annij forte vult dicere) Beroso, à Nauclero, Joanne Lucido, & multis alijs, optimæ famæ scriptoribus amplexo, certò demonstrare & asserere contendit. Quamobrem ubi de primorum Teutoniæ, post Germanæ cognominatæ, Regum serie ad *Tuisconem*, Moysi Geneseos *Ascenam* Latinis postero ævo *Ascanium*, Germanæ deinceps corruptioni *Tuisconis*, Teutsch vulgò, Gomeri filium, Japeti Nepotem, Noe pronepotem, anno post Cataclysmum 131. in Europam destinatum, in magnam postea crescentem familiam, ac gentem intra Rhenum, ac Danaim dominatum, refert primordia. Indeque gradu undecimo, ac postremo, recitatis antea Regibus Mano, Ingevone, Istevone, Herminone, Marso, Gambrivio, Suevo, Vandalo, & Teutone ad *Alemannum* finit, tribuens ipsi 4. filios, Bojum, Noricum, Hunnum, & Helvetium.

Omnia hæc ex Naucl. in anteloq & Gener. 16. & 17.

Ab his tam priscis initijs originaria apud ipsum, primaque Teutonicorum nobilitas. Altera verò Gottica, Suevica, Ascania, quarum priores multis sæculis floruerunt, donec per impietatem, barbariem, & alia scelera brutescerent. Ascania autem sibi constantior etsi non pari semper fortuna, ad hæc tamen usque tempora Principis nomen, ac honorem servaret, ac tueretur. Tertia Herula, sive Wandala; incertum tamen ex alterane illarum oriunda, ac Trojæ postuma. Quarta autem cæteris longè illustrior, uti superius tetigimus, quippè quæ famam Græcorum, Trojanorumque gloriam intulit Teutoniæ, sed Romæ obscuravit, &c. At ex dicendis liquebit, quam ridiculum sit asserere, hanc postremam Teutonicorum nobilitatem Romanorum splendorem obscurasse, cujus exordium ab ijsdem Trojanis per Regem Æneam. Vnde meritò dicit, licet aliquantò sibi contradicat Bucelinus ipse illis verbis, Coæva non tantũ Romanis Germanorũ incunabula sunt, verum etiam ætate priora, Nobilitatis autem etsi non majora æqualia tamen, imò eadem principia, &c. Ergo, infero ipse, Græcorum fama, nec non & Trojanorum gloria, Teutonicis exportata Romanam claritudinem minimè obtenebravit, cujus nobilitatis fama, & gloria æqualia habent incunabula, quin & eadẽ principia cum ijsdem Teutonicis. Dices, isthanc obtenebrationem succedanea tempora respicere, nõ autem exordi

Fol. 4.

Fol. 2.

exordialia. Sed quam inane ſit hoc reſponſum, hoc ſubterfugium, facta ac geſta Romanorum, totum Orbem armis, prudentia, politica, humanitate, cultu, Pietate, & Religione, non autem tyrannide, quam ut hoſtes declarati ſeverè in primos reges, ac deindè in aliquot Conſules, & Imperatores tractavere, ſubjungantium apud omnes hiſtoricos cujuſcunque nationis loquantur. Sed tranſeamus ad ſolidiora.

In preſenti tractatione ut ordine quodam procedam, tria ſuccinctè oſtendére curabo ex Beroſo Bucelini, quem, ut nihil horum negare poſſit, primò admittam, ac poſtea cum majoris nominis auctoribus reſpuam, melioribus, ac tutioribus monumentis annixus. Primum. Regni Italiæ fundatatio quodcumque Orbis terrarùm regnũ poſt diluvium, ſolo Armeno excepto, nullo verò intra Europam, anteit, ac nobilitate conditoris excellet. Secundum. Quarta Germanorum nobilitas ex Trojanis, tribus antecedentibus perilluſtrior, origine neq; Frigia eſt, neque Græca, ſed prorſus Itala, ac regia. Tertium. Proſapia Auſtriaca per ſuos Anchiſiadas, Æneadas, Romuleos, Anicios, Iulios, Perleonios, ac Frangipanes, Progenieſque Regum Galliarum per ſuos Cimmerios, Sicambros, Francos, Meroveos, Carolingos, Capetos radice eædem ſunt, & nonniſi ex Italia. Tria proponit auctor, in præſentibus enucleanda.

PRIORIS THESIS

Comprobatio ex ſcriptoribus Beroſianis.

THeſim priorem probabo ex Lucido, toto Beroſiano, & ex alijs quoque, Ioannis Annij ſectatoribus juratis, qui certè ſunt amplectendi ſecundũ Bucelinũ, ajentem. Fides proin meritò Beroſo, qui ut ſupra ex Viterbienſi audivimus, omnes Chaldajcos defloravit libros, adhibenda eſt; merito qui ipſum ſequuti, & poſt ipſum proſecuti hiſtoriã ſunt audiendi. Agit ergo Lucidus de Italorum temporum deſcriptione, & per capita ſex totidem dividit ſæcula. *Aureum*, in tribus Regibus, annis tantũ quibus includuntur periodi Italicæ ſolitudinis ſtatim apponendæ, 249. perſiſtens. *Argenteum* ann. 430. ſub tredecim Regibus. *Æneum* ann. 452. per Reges 14. *Stanneum* poſt everſam Trojam 427. per Reges 15. *Ferreum* ann. 240. per 7. Reges à Romulo uſque ad Tarquinium ſuperbum. Omnia, quæ tribus prioribus ſæculis tractat, ex hiſtoria Beroſi, atque aliorum ſcriptorum Beroſianorum ſe hauſiſſe fatetur. Aureum ſæculum fundaſſe Italiæ poſt annum 108. ſuæ ſolitudinis Ianum, ſive Noemum, qui regnavit ann. 53. Comerus autem Gallus 58. Ochus Veius 50. Hos tres Reges nominat Beroſus author publicæ fidei (ſubdit ſtatim Lucidus) ipſemet teſtatur. De habitatione Noemi poſt diluvium, quibus ſcilicet in terris Sanctiſſimus

Idem affert Nauclerus in exordio. In Chron. lib. 3.

Noemus & Ianus idem ſunt apud omnes ſcriptores X pnos.

Vide Perer. lib. 14. de ætate Noë Disput 5. num. 105.

Opinio Hæbreorum de Noë post diluvium.

Patriarcha versatus sit, unone semper in loco constiterit, an longinqua petens, varias obierit regiones, quibusve vitam finierit; præclara denique ejus dicta, & facta, quæ multa fuisse par est credere, miro silentio Moses obruit. Causam tanti silentij eam esse ab aliquibus recensioribus ex Augustino putatur, nempè festinationem ejus ad scribendas res Abrahæ; de quo primum historiam valdè ordinatam & copiosam ob triplicem rationem adductam à Pererio contexuit. Hebræorum traditio est, Noe cum Sem ex Armenia redijsse in veterem Patriam, idest loca, Damasco vicina, ibique condidisse regnum, & Pontificatum Salem, quæ Sem, appellatus Melchisadech, administravit.

Berosus Annij de Noë. Vide etiam Naucl. Lucidum, & quotquot Annianistæ sunt visi.

Berosus Annianus multa narrat de ijs, quæ gessit Noè post diluvium, quæ si vera essent (Bucelinus assereret vera absolutè) jucundissima profectò fuissent legentibus, & ad agnitionem multorũ pulcherrimã. *Finito*, inquit, *diluvio, cum Arca in Gordia Monte Armeniæ consedisset, descendisse Noè in loca plana, & brevi mirabiliter multiplicata progenie (perpetuò enim geminos edebant, marem & feminam) adeo completa esse hominibus ea loca, ut necesse fuerit multos inde recedere. Sed Noè diu ibi mansit, & Armenos (sic eos nunc appellamus, nam id nominis postea eis inditum est) primum docuit Agriculturam, artemque colendi vites, & conficiendi vinum: tum sacros ritus, & ceremonias colendi Deum: multa item naturalium rerum secreta mandavit literis, quæ apud Scythas, Armenos solis Sacerdotibus legere, docere ac discere fas est. Docuit præterea cursus astrorum, & distinxit annum ad solis cursum, & menses duodecim ad motum Lunæ multaque in posterùm ventura Astronomiæ scientia prædicebat. Quamobrem quasi Deum quemdam illum venerabantur, eumque Solem & Cælum cognominabant. Adhortabatur autem homines familiarum Principes, ut novas sedes quærerent, conderentque civitates: designavitque tres orbis partes, Asiam, Africam, & Europam, ut ante diluvium viderat, & singulis Principibus familiarum partes, ad quas irent, distribuit, se per totum orbem colonias traducturum pollicitus. Tandem petijt Kitim, quam nunc Italiam nominant: ibi regnavit multaque docuit Italos, quæ ad Theologiam, Physiologiam, Politiam, artesque degendæ vitæ necessarias pertinent: earumque rerum refertissimos libros reliquit scriptos. Quamobrem tantum apud eam gentem honorem meruit, ut eum Chaos, Semen Mundi, Patrem Deorũ majorum & minorũ, animamque Mundi appellarent:* Hæc nomina, & alia nonnulla ex Scythis, ait Berosus, *ipsumque significarent in scriptis cursu solis, motu Lunæ, & sceptro Dominij. Denique in illis locis mortalitatem exuit.* Sic ille Berosus. Nauclerus in calce illius quæsiti, qui Chronographi sint recipiendi ex eodem Beroso, uti ipsemet testatur. *Cumque ivisset Noè ad regendum Kytim idest Italiam, desiderium sui reliquit Armenis, & ob id solum hæc duo Regna Armeniũ quidem, quia ibi cæpit: Italicum verò, quia ibi finivit & docuit.* Alia nomina præter commemorata, Noemi attributa sunt ex eodem apud eundem, ut *Deus pacis, & Justitiæ, expellens noxia, custodiens bona, humani generis author, & Chaos.* Alij per antiquissimi vocant ipsum Magnum Patrem Vaudimonem.

Noè tres orbis partes ante diluvium viderat.

Tandem appulit in Kytim, id. Italiam.

Prophani, Mũdi Genesis ignorãtes, Cœlum Ianum, & Patrem Deorum appellant. Ab invento culturæ vitis silvestræ Ianus forte dictus; nã Iain Hæbreis vinũ est. Genebr. lib. 1. in Noè q. 2. Non ergo invenit vitem, quæ fuerat ante diluviũ, sed vinum Cornel. à Lap. in c. 9. Gen.

Accedit

Accedit huc, quod (teste Iosepho) Berosus fuit patria Babylonicus & Caldæus, dignitate Sacredos (& penes Sacredotes solummodo erat publica fides Annalium, temporum, gestorum, & Regum) notarius, & scriba publicus, omnem Chaldaicam deflorans historiam. Ipse refert Noá cum tribus filijs Samo, Iapeto, Chem, & Vxotibus, Tytea magna, Pandora, Noela, & Noecla, salvatum in Arca. Scribit Origines & tempora & reges eorum dumtaxat regnorum, quæ tunc temporis magna habebantur in Asia, in Africa, & in Europa. In Asia celsissimum Babylonicum, in Africa Ægyptium, & Libycum. Postremò in Europa quatuor nostri enumerant, Celtiberum, idest Hispaniæ, Celtarum, idest Gallorum, Kytim, nempè Italicum, & Tuiscorum. Addunt quidam etiam quintum Ionicum. Scythæ vocant Tyteam Aretiam, idest terram, in quam Semen Chaos posuit, ex qua tanquam ex terra cuncti prodierunt. Præter verò tres primores filios, Noa post diluvium Gigantes pluresque filios genuit. Primùm itaque dixerunt Ogygisam Sagam, idest illustrem Sacrorum Pontificem Noam Dysir. Exponit hic Annius Ogygem, idest illustrem Noam, & Dysir, idest ilicem. Vnde Commestor & Iosephus in 1. antiqui. Habitavit, inquit, Abraham circa Hebron, juxta ilicem quæ vocatur Ogygi, & dicitur Civitas quatuor Patriarcharum, qui ibi sepulti, Adam, Abraham, Isaac, Iacob. Ogyges itaque idem est quod Noe. Concordat Zenophon, Solinus, & plures alij. Filij Noè post diluvium Macrum, Iapetum juniorem, Prometheum, Priscum, Tuisconem Gigantem, Crana, Craum, Granaum, Tethym, Oceanum, Typhæum, & Tytanes septendecim. Tuiscon Germanorum & Sarmatum Pater genuit Mannum, qui genuit Ingævonem, qui Istævonem, qui Hermionem, qui Marsum, qui Gambrium, qui Suevum, qui Vandalum, qui Hunnum, qui Herculem, qui Teutanem. Araxa prischa genuit Scytham priscum, à quo Napus & Prusus. Hæc Berosus, ait Nauclerus, statimque subdit.

Lib. 1. antiquit. de Beroso Chaldæo apud Naucl.

Babyl. Civitatis fundatio ann. 131. ab aquis prima omnium gentium Naucl. Gener. 16 ex Metast. Persa lib. 4. Histor.

Malè Berosiniat Bucel. de Tuiscone, quem esse Iavanum superius tradidit.

Genealogia priscorum Regum Teutoniæ.

Super hoc textu Ioannes Viterbiensis dicit. Notandum, quod omnes hi reputati sunt filij Cœli, ac Terræ, sive Iani, & Vestæ, sive Noe atque Tyteæ & sunt numero 45. Sed notauda sunt duo, quod Noè sibi in filios adoptavit Tuisconis posteritatem, & ideo in ejus arbore ponuntur, & non aliorum nepotes, in quo præcellunt Germani, & Sarmatæ, qui dicuntur nunc Tuisci à Latinis, & Gallis. Sarmatæ autem populi sunt Poloni, Gothi, Russi, Prussiani, & Daci, atque hujusceemodi. Hæc secundum descriptinnem Berosianam. De pluralitate verò uxorum Noè sive Cœli decipitur Diodorus. Sunt enim synonima Tytea, Terra, Vesta. Cum Beroso concordat de Tuiscone Terra genito Cornelius Tacitus de situ Germanorum. Hactenus Nauclerus pro re nostra, cui ferè quidquid desiderari posset ad claram de Beroso Anniano intelligentiam ex industria addidimus, ut tam Italis quam etiam Germanis nostris, quos maternis amplexibus semper Italia in synum fovit, fovetque in dies, satisfacerem.

V 3 Quid

Loco cit. num. 201.
Lib. 14. de fæd. Dei cum homin. cap. 9. ver. 18. & 19.
Cornel. à Lap. in Gen.
Vide Chrisostomum apud Per. loco proprio, in quo texus sacer tacuit de Noè post mortem, *& genuit filios, & filias.*
Gen cap. 9.
Apud Perer. loco cit.

Quid senserit Pererius de filio quodam Noè, post diluvium genito, cui nomen Ionithus, de quo Methodius, scriptor Historiæ Scolasticæ; quidque de 30. alijs ex Tythea Tythanis nuncupatis contra commentarium Annianum super Berosum, & contra Cajetanum, legentibus committo. Cornelius à Lapide errasse, ait, cum Beroso Annij plures quam tres numerantes filios Noè, & cum historia Germaniæ, quæ Tuisconem ipsius Noè filium efficit. Nam continentissimus Patriarcha jam post diluviū fractus & senex, utque melius vacaret Deo, veneris pertæsus, abstinuisse videtur usu conjugij, ideoque nullas genuisse proles, ab illis enim tribus, ante diluvium genitis omnes homines prognati sunt. Contrarium sentit Cajetanus & Torniellus, autumantes, eos tres solos nominatos à scriptura tanquam dissœminationis in gentes illustriores Principes, & capita primariarum gentium, cæteros verò propagatores secundarios tacuisse, non verò exclusisse. Primum videtur Cornelio conformius verbis scripturæ, quæ, inquit, vix alium patiuntur sensum, clarè enim sic habent, *Ab his dissœminatum est omne genus hominum super universam terram.* Sed fallitur hic auctor, ut alijs recensiores probant. Neque argumentum Annij caret sua probabilitate licet conetur eum solvere Pererius. Noè, inquit, una cum filijs mandatum à Deo accepit vacandi generationi prolis, & simul cum mandato vim fœcunditatis accepit; hoc enim significavit, narrans Moses, Deum benedixisse Noè & filijs ejus, & dixisse, *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Nec fas est credere, tale mandatum fuisse neglectum à Noè, viro scilicet justissimo, & divinæ voluntatis obsequentissimo. Necessitas præterea impellabat eum ad generandum propter paucitatem hominum, quæ id temporis erat. Nec verò defuit ætas Noè ad generandum, qinimò abundè supefluit, quippè qui post diluvium 350. annos vixit. Hæc Annius, cui addendū, quod alioqui neniæ & fabulæ Hebræorum aliquomodo verificarentur de Cham, abscidisse nimirum virilitatem patri suo Noè, ne deinceps filios procrearet; quemadmodum de Cœlo, & Saturno fabulantur Poetæ.

Ex Rabbi Levi sup. 9. cap. Gen. apud Genabr.

Igitur ex tribus Berosianis scriptoribus citatis, Annio, Ioannibus Lucido, & Nauclero tria certa apud eos habemus, & omnia ab eorum Beroso apocrypho, vel literaliter, vel commentariè desumpta. Ex priori, cui reliqui duobus adstipulantur, Noemi adventum in Italiam contigisse post optimam institutionem tam spiritualem, quam temporalem gentis Armeniæ, è qua cæpit humani generis, ac totius Orbis restauratio Ex posteriori deducimus annos istius adventus post dilucium scilicet in fine solitudinis Italiæ, quæ duravit annis 108. Ex ultimo & ex omnibus simul solum duo regna in orbe priora ab Noemo fundata, Armenum, quia ibi cæpit, Italicum quia ibi finivit. In Annalibus temporum idem Lucidus deinde, ut ostenderet eadem tempestate Regni Italorum exoritionem evenisse, ad lineam 2. ann. Mundi 1765. sub anno 108. solitudinis Italiæ inquit, *Janus primum*

Vide etiam Lucidum in Chron. lib 2. cap. 2. ubi multa alia de Noè, & ipsius Vxore, & filijs post diluvium.

primum adveniens regnavit in Italia ann. 33. In 3. verò linea ponit ann. 109. ſolitudinis Aſſiriorum, totidemque in 4. pro illa Ægyptiorum, in cujus margine, *Italia regnum incipit.* Initia verò regni Babylonici, ac primæ Dynaſtiæ ſub ann. 1788. tribus annis minus quam Bellarminus. Sub 3. Dynaſtia ad ann. 1799. *Inceperunt, inquit, Celtiberi, ideſt Hiſpani, & Celtæ, ideſt Galli.* Ad ann. 1812. ſub 4. Dynaſtia *Tuiſcon Sarmatas fundavit.* Quæ ſupputatio aut parum aut nihil differret à Bucelino, apud quem mors Tuiſconis ann. 307. poſt diluvium, ejuſque deſtinatio in Europam ann. 131. à quibus uſque ad ejus adventum intra Rhenum, & regni fundationem veriſimile eſt annos 25. excurriſſe. Prodit tandem Lucidus ann. 1925. & in eo *Jani*, inquit, *Secundus adventus ann. 82.* Et ſub ann 1927. ac Dynaſtia 14. *Janus in Tuſcia ann. 22. Nini Janiculum, quod ætate Cameſenui condidit ſedem ſibi perpetuam ſtatuit uſque Arnum, ubi colonias poſitas vocavit Arim Janas, ideſt à Jano exaltatas, ut Beroſus ait in 5. libro.* Inſuper ultra, Præfuit Saga, ideſt Noè, Saga primùm notatus à Scythis, hoc eſt Sacerdos, & Sacrificulus, & Pontifex, toti orbi inſtar totius orbis Principis, & Patroni, à Deo deſtinati. Aſiæ deſignavit Sem, Africæ Cham, Europæ Iafet, & annis illis 108. totum ferè orbem peragravit. At ſicut congruum valdè ipſi fuit, ibi Hebreæ Eccleſiæ, ac ſæculi regnum inſtituere ſanctiſſima, ac venerabili preſentiâ ſua, ubi principiò egreſſus ab Arca cum ſuis, tutiſſimam vitæ ſalutem invenit ab inundatione, ac novæ hominum ætati initia, ac fundamenta jecit: Ita quoque alterum deindè Regnum condere præſentialiter fas erat in Italia, & ibidem uſque ad obitum firmare pedes, ubi totius Orbis Imperium, ac poſtmodum Xp̄na Eccleſia, quibus Româ capite Orbis, firmâ, ac ſumma ſedes futura erat: Atque ſive ethnica, ſive Catholica generale Mundi miraculum, exemplum religionis, & Pietatis, Seminarium tot Heroum, quot tandem vel vi bellica domuerunt nationes efferaciſſimas, & cum eis omnem pariter Mundum, vel prudentia ad politiam, & civilitatem eas induxerunt, vel clementia, & humanitate manſuetas, urbanas, cultaſque reddiderunt, & ad ſe ſuaviter traxerunt. Quæ ſtratagemmata, adeo digna ſi exercuiſſent Sicambri, Vandali, Catti, Suevi, Longobardi, Marcomanni, Marſiugi, &c. Angliæ, Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæ ſubjugatores, barbarorum communem nomenclaturam minimè meruiſſent. At Bucelinus tale nomen hiſce ſuis Teutonicis ortum eſſe aliundè fatetur, quia nimirum minus amicè Romanæ accurrerent ambitioni, & ſpem orbem devorantium ipſi devorarent. Non advertens, ſe tacitè Carolum Magnum ſuum carpere, quaſi indignum eum reputans *Chriſtianiſſimi* cognomento, quod ei ab Italia Longobardos, Eccleſiam Catholicam infeſtantes poſtremò, capto Deſyderio, expellenti, inditum fuit. Et quaſi inter Orbis devoratores ipſummet enumerans. Et licet, ut ſtatim ſubdit, ſui Germani Romanis non invideant, nec in illis ſuſpiciant quidquã, niſi SS. Martyrũ Sanguinem, & Vicariã Chriſti in terris poteſtatem: certe tamen ſuus loquendi modus quandam

Congruentia de fundatione Regni Italiæ à Noemo.

Loco cit. fo. 3.

Redarguitur Bucelinus.

ſpeciem

Tacit. de mor. Germanorum.

speciem ingratitudinis præsefert, verumque efficit illud Taciti, *Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur.* Nam Diadema Imperij Romani, Occidenti per Carolum Magnum hæreditario translati, nonnisi à Leone hujus nominis III. natione Romano, moribus, ac vitæ Sanctimonia perillustri recognoscendum. Quod deinde Gregorius V. vir Germanus electivum fecit, Alemannis suis jus eligendi Romanorum Regem VII. Principibus concedens; qua gratia, pluribus exhibita, minor extitit illa Leonis. Successio enim hæreditaria in temporalibus longè prestantior est electione. Sed ad Berosianos.

Favent nobis Berosianistæ citati, & etiam quamplurimi alij, eorum sectæ scriptores de fundatione Regni Italiæ, uni soli antiquitate, non autem nobilitate, sanctitate, ac potentia cedentis. Quia verò Berosus, quem hi sequuntur, non est ille verus Josephi Hebræi, sed alius (haud immeritò multis suspectus, cum sit in multis falsus, & fabulosus) cum quo priorem confundit Bucelinus, eum inconsultò defendens, & amplectens; necesse est de Berosianis istis in re nostra parum curare, & plurimum quidem de antiquitatum Ethruscarum fragmentis, nuper in villa Scornellana Vulterræ, ab Noemo, & Japheto conditæ, repertis. At cum de eis alibi scripserimus super eandem materiam sed calamo Biblico, sufficiat in præsentibus solum indicare, Noemum semel tantum in Italiam venisse cum Japeto primogenito, ad quem magnus parens Europam destinaverat, & alijs anno vitæ suæ 700. & ibidem usque ad mortem commorasse. Est contra Joannem Annium Viterbensem ex ordine Dominicanorum, ac Sacri Palatij diu Magistrum, qui floruit tempore Innocentij VIII. & Alexandri VI. Legatur Curzius Inghirami in libro suo Italico super oppositiones adversus Tuscas antiquitates tract. I. Cap. 4. respons. ij. per totum. Ibi de Ioanne Annio, & ejus Beroso, qui ubicumque discordat ab eisdem fragmentis, ac in semet varius est, dubius, incostans, discors in pluribus, maximè in temporum supputationibus, ac contrarius, suppositititius erit. Et de Noemo, Regni Itali conditore fusius tract. 9. respons. 186. & seq. Tractato vero 8. antecedenti de ejus adventu jam diu ante Babelis constructionem, & ann. 100. post Diluvium. Et respons. 177. Tract. 9. hæc præcipue. *Noè secondo il computo tante volte provato nel trattato 8. venne in Italia l'anno 700. della sua età, e così à quel che visse non era talmente decrepito, che non vi potesse venire: e si può pensare, che lo facesse arrivare in Italia particolar volere di Dio per cagioni, che noi non doviamo specolare, e forse perche dovendo essere l' Italia capo, e Signora del Mondo, e saldo sostegno della vera fede, e del culto divino, volesse Iddio favorirla co'l farla habitare al reparatore dell' humana generazione, si come haveva favorito l' oriente per l' habitazione vi fece il primo huomo. E Noè secondo l' autorità sopra scritte venne per mare, e non per terra: nè si fermò ne' paesi più vicini, benche non fussero habitati. Havendo di già come s' è detto nel Tratt. 8. Risp. 162. distribuita la terra à chi toccava d' habitarla.*

Loco cit. fol. Falsitates Berosij Anniani omnes penè apud Per. in Genes. sparsim. Sed fusius in Danielem lib. xi. in exordio.

Florentiæ impresso in 4. an. 1645.

Mors ejus ibidem ann 950.

De fine adventus Noè in Italia.

Alterius

ALTERIVS THESIS,

Nec non & poſtremæ brevis dilucidatio, ac probatio.

LVcidus Beroſianus ubi agit cum ſuis Beroſianiſtis de Æneo Italiæ ſæculo, 448. ann. perdurante, in illa Regum ſerie Athlantem Italum ann. 19. regnantem, primò collocat. Sed paulo ſuperius de eodem Rege, quem ponit in Annalibus ſub ann. Mundi 2336. ſimul cum Roma ejus filia Latij ſubregula, ann. 46. hæc habet. Verum paulo ante obitum Heſperi Italus ex Hiſpania in Siciliam, & à Sicilia in Italiam contra fratrem dimicaturus conceſſit in Latium; ubi Ethruſci cum Jano puero obviantes, prohibuerunt Italum cum fratre arma conferre. Permiſerunt tamen, & opem concilio, ut in Regione Saturni collem Aventinum teneret: & condito oppido Capena etiam agrum eius à ſe Italiam diceret. Mox ergo mortuo Heſpero, tutor Iani, qui & Coriti, ſucceſſit Italus in Vetulonia, ut in 5. antiquit Beroſus tradit. Subjungit autem Fabius Pictor. Suſcepto igitur Italiæ Imperio, Italus tum filiam ſuam, Romam nomine, Siculis & Aboriginibus in Latio præfecit, quæ relicta Capena medium Palatinum tenuit, & in vertice, ubi hæret Exquilino, Romam oppidulum condidit, quod Valentiam ſonat: hæc ille.

Loco cit. cap. 3. lib. 3. in Chron.

Quando regnavit Atlas ex Lucido.

Ex Fabio Pictore apud eundem.

Ab hac Roma Romæ inceptio ut plurimi tradunt.

Fuiſſe Atlantem hunc Regem natione Italum, licet primum in Hiſpaniam regnaverit, haud obſcurè ab eodem Lucido colligitur in cap. 4. lib. 2. ubi de poſteritate Iaphet. Iavan quartogenitus Iaphet genuit 4. filios, inter quos penultimus Cethim, (alij Kithin) Ab iſto Kithim Atlante affirmat Beroſus Italiam dictam eſſe Kithim: quia Kithim eſt Atlas Italus ſocer Chorithi, & pater Electræ, & fuit Nepos Japhet, qui dictus eſt primus Atlas maurus. Hic Atlas Italus fuit frater Heſperi regis Hiſpaniæ, quem teſte Iginio, & Beroſo ab Hiſpania pepulit in Italiam, & non fuit Atlas Grecus: Atlas ergo Italus Kitim, ut ait Fabius Pictor, &c. Differunt autem Cethim, & Kithim. Nam Cethim eſt Vrbs Macedoniæ adhuc dicta terra Cethim, de qua 1. Machab. 1. Kithim eſt Italia Num. 14. & Iſaiæ 23. ut ultim. cap. Hierem. 2. Ezech. 27. licet Codices mendoſi habeant Cethim pro Kithim. In his locis LXX. Kithim interpretantur Italiam D. Hieronymus quandoque interpretatur Italiam, quandoque proprium nomen Itali in ſua lingua relinquit, ut eſt in Hierem. 2. ubi Italiá appellavit inſulá, nam ut Livius in 5. de Orig. inſtar inſulæ cingitur ſupero, & infero mari. &c. Hæc Lucidus, quarum priora inſolubiles difficultates cum involuerint, ac diſſonantias Chronologicas, temporibus ab eomet Atlante in Annalibus aſſignatis adverſas, melius ſane, ac verius de Atlante Rege alio

Quis Atlas Rex Hiſpanus, & Italus.

Italus dictus Kithim.

à supradicto in Breviario Ethrusco Scarith. 98. die 30 Septemb. 1636. reperto. Sed enucleatius apud Inghiarmi tract 9. cap. 6. Respons. 184. qui pro veritate historiæ Atlantis citat Alexandrum Polistorem, & Cledomeum apud Iosephum, & Bozium lib. 1. *De novo, & antiquo Italiæ statu*, & lib. 4. *adversus impios Politicos*. Diodorum, Strabonem lib. 5. Dionisium lib. 1. qui convenit cum historia Elbij Mauri Scarith. ij. Lidoris Felsini Scarith 51. Lucij Velij Scarith. 98. nec non & auctoris Scarith 105. Ector Pinctus præfatam obdubitationem cernens, in fine capitis Danielis ij. *Kithim, inquit, fuit filius Javani; ut liquet ex cap. Gen. 10. & nepos Japhet filij Noè; hic, aut alius eodem nomine appellatus, regnum Italiæ quondam obtinuit, ut ait Iginus, & fuit à Janigenis Italus appellatus, quare meritò interpres Latinus cap. 27. Ezech. pro nomine hoc Kithim vertit Italam. Appellata quondam fuit regio illa Oenotria teste Dionisio Halacarn. Saturnia teste Trogo Pompeio. Ausonia teste Tito Livio. Kithim teste Hieronymo lib. 5. commentar. in Isaiam: ab hoc dicta est Italia; unde Dionisius lib. 1. Antiochi Xenophonis autoritatem secutus refert, quod hoc regnum tandem Italo delatum sit, à quo mutato nomine dicti sunt Itali.*

Vide lib. 2. de ethruscarũ antiqu. fragm. & quid sit Scharith. ibidem lib. 1. in principio.

De Roma filia Atlantis in alijs Scarith.

Iste alius Italus à suis Ianigenis, ratione consanguinitatis ita nuncupatus, genuit Iasium Regem Italiæ, & Dardanum, de quibus Lucidus citatus, & Scarith præfati. Dardanus propter maxima cum fratre dissidia in Frigiam transmeans, fundavit Trojanorum regnum anno ultimo Ascatidis 18. regis Assyriorum, ut vult Berosus apud Lucidum in lib. 5. Duratio hujus Regni ex Archilogo 300. Reges 6. Dardanus 31. Drihonius, alij Eritonius 75. Tros, ab hoc Dardania Troja nuncupata 60. Ilus, unde Troja Ilion dicta 55. Laomedon 36. Primus, seu Priamus 43. Aretes Frigius clarius, & distinctius de Genealogia Dardani, ut in 1. Gentilitio semel & iterum diximus. Natum fuisse Italum Regem, parentem Dardani in Italia, liquet planè ex Scarith 106. die 19. Ianuarij ann. 1637. adjuento, ubi *Primi Italiæ incolæ Sagi Armeni fuere. Ex his Ethrusci orti sunt. Ex Ethruscis ortum habuere Scythæ, Sabeij, Medi, Jones, Celti, Celtiberi, Cappadoces, Traces, Cyprij, &c.* Celtiberi, ut notum est, sunt Hispani Populi ad Iberium fluvium, Strab. lib. 3. Plin. lib. 4. cap. 22. Sicut Celtæ sunt Galli, &c. Assaricus secundo natus Eritonij, ac Ili frater genuit Capyn, ex quo Anchises editus est, qui Æneam filium procreavit, ita idem Daretes, qui etiam asserit, Ilum genuisse Laomedontem, Priami parentem. Alij deinde produnt, Priami Francũ fuisse nepotem ex Hectore illius genito, alij verò filiũ. Ex Franco, ut dictũ est, & quantius clarius dicetur in pergrandi tabula æra, quæ adhuc sub scultura, Franci, Cimerij, Sicambri, Merovei, Carolingi, Capeti, Borboni. Ex Ænea verò Anchisiades, Æneides, Romulei, Iuli, Anicij, Perleones, Frangipanes, Habsburgij, Austriaci. Porro quia Romæ incunabula originalissima aliquo pacto ex eodem Atlante, qui in Latio regnavit, & ex Subregula ejus filia, Roma nuncupata, consequitur apertè, ea longè antiquissima extitisse illis Germanorum, licet non antiquiora, uti nobiliora, & Italica

In Annal. sub annos proprios.

Lucid. lib. 6. cap. 7 de initio & fine Regni Trojanorum. Excurs. 7. divis. 2. & Stemma. 1.

Lib. 2.

Vide Hieron. Gebuil. de liber. Germaniæ.

Conclusio demonstrativa.

eorum magis antiqua & illuſtria ſuis Regibus per Atlantem Dardanũque Italos præfatos ſplendidiorem nobilitatemFrigijs, Græcis, Teutonibus, Gallis, Hiſpanis, alijſque magna ſui gloria uberrimè communicaſſe. Conſequitur quoque poſtremò Blancicam Proſapiam eandem eſſe radicitus cum ea Sereniſſimi Mariti ſui Rudolphi III. Habsburgici, quemadmodum & tota adhuc eadem ſanguine Auſtrica Soboles cum Francorum Regum ſtirpe, & non aliunde quam à Regno Italiæ, à Sanctiſſimo Patriarcha Noemo fundato, ac ſua præſentia, regimine, ſanctitate, quæ hodie in ſuprema Petri Sede ſummè clareſcit, ſummoperè exaltato, ut orbem omnem meliori, ac diviniori forma dominaretur.

GENEALOGIA TAM PATERNA,

Quam etiam materna Eliſabethæ Polonæ, viduæ S. Regis Bohæmici Stanislai, & ſecundæ Rudolphi III. Conjugis.




THO, Micislai, *ſenis* dicti, Monarchæ Poloniæ filius. Vxor N. VLADISLAVS ejus filius, Dux majoris Poloniæ, dictus *Spectator.* Vxor Gelinga Pomerana, quam genuit Meſtuinus Dux Pomeraniæ, ex Marta Regina Poloniæ, Micislai Regis filia PREMISLAVS Dux Poſmanienſis. Vxor Eliſabetha Vradislavienſis, Henrici Pij, Ducis Vratislaviæ, & Annæ Bohemæ filia. Illius, cui parentes Henricus Barbatus, Dux Vratisl. & S. Heilviga, Berchtoldi IV. Ducis Meraniæ filia. Iſtius, quam Primislaus Othocarus, Rex Bohemiæ cum Conſtantia conjuge, Belæ Regis Hungariæ genita, edidit. Premislaus ſupradictus, vel Præmillus Princeps majoris Poloniæ cum fratre recuperatam patriam ditionem diviſit, & Poſnaniam retinuit. Sileſiam propulationibus infeſtavit, auxilio fratres duas in Pomeranos expeditiones fecit, quibus cum pace inita, brevi vitam cum morte commutavit prid. Non. Iunij A. C. 1257. ætatis ſuæ 36. Poſnaniæ humatus. Heros juſtitiæ, Clementiæ, Pietatis, & continentiæ laude adeo inſignis, ut nunquam à quoquam ebrius, aut iratus viſus ſit. Soror ejus Salomea, Vxor Conradi Ducis Sileſiæ, Fæmina Sapientia, & Pietate præſtans, & Glogoviæ in Dominicanorum Cænobio humata. Cum Coniuge ſua procreavit quatuor filias, & unicum filium, natum quarto menſe poſt patrem defunctum. Eorum nomina Veronica, Euphroſyne, ambæ moniales, Euphemia conſors Waldislai Ducis Opolienſis in Sileſia, Conſtantia, Vxor Conradi Marchionis Brandenburgenſis, & PRÆMISLAVS Poſthumus, cui tutor Boleslaus Pius Patruus. Fuit primùm Præmislaus hic Dux Poſnanienſis & Cineſnienſis, mox totius majoris Poloniæ, Cracoviæ, & Sendo-

De Premislao, auo Eliſabethæ Poloni-

miriæ Princeps, sed Sendomiriensem Locticus armis obtinuit. Crocoviensis Wenceslao Bohemo cessit. Poloniæ Rex electus & inunctus 7. Kal. Sextil. Anno 1295. mox anno vertente, cum agitaret Orgia Bacchi, ex improviso à Ioanne & Othone Marchionibus Brandenburgicis obtruncatus est cum regnasset menses 7. dies ij. vixisset annos 38. mens. 3. dies 24. Ejus Vxor prima Ludgarda filia Henrici Ierosolimytani Principis Megapolensis, quæ, quod infecunda esset, decimo anno post nuptias jussu mariti manibus ancillarum est strangulata A. C. 1183. 2. Vxor Rixa fillia fortè Waldemari Regis Sueciæ, ac Sueciæ Regina, ducta 1285. Filij Erici Regis Sueciæ ex N. geniti ab Erico Sueciæ Rege, ac Canuti filio, cui Vxor Richissa filia Waldemari I. Regis Daniæ. Habuit Valdemarus, Rixæ parens in Conjugem Sophiam Daniæ reginam, Erici Regis Daniæ, ac Waldemari Ducis Slevicensis Regis Daniæ ex Leonora filia Regis Portugalliæ filij, genitam. Vxor vero ejusdem Erici Daniæ Regis Methilda Brunsuicensis, cujus parentes Albertus Magnus Dux Brunsuicensis, & Alessina filia Aldobrandi Astensis, Domini Ferrariæ. Genuere Premislaus & Rixa *Elisabetham* vel Callisiam (alij Rixam ita prius dictam ut M. S. cap 5. in tabella breviori) nuptam I. Wenceslao Regi Bohemiæ 2. Rudolpho Austriaco Alberti Cæsaris Primogenito. Hactenus M. S. qui in principio illius tabellæ cap 3. inquit. Elisabetha plures post Rudolphi mortem vidua egit annos, & fermè Græcij agitavit. Vnde Reginam Græcij nominabant. Gradicium Reginæ vocant Bohemi, Vrbem ex dotalibus Reginæ Bohemiæ facilè principem, sepulta est in Monasterij Sanctimonialium Cisterciensis Ordinis, quod A. D. N. 1323. condiderat, & Aulam Mariæ nominarat, nunc claustrum Reginæ appellant propè Brunnam Moraviæ Vrbem.

Elisabethæ sepultura.




SECTIO

SECTIO III.

MATRIMONIVM VI. SIMPLEX.

Et quidem verius, quam duplex, ac deinde tertia vice ratum

Fridericus I. Austriacus & III. Romanorum Imperator semper Augustus, Dux Austriæ & Stiriæ, Comes Habsburgi & Kiburgi, Landgravius Alsatiæ, cognomento Pulcher & Probus Vxorem duxit Elisabetham, sive Isabellam, Jacobi Aragoniæ Regis filiam anno suæ electionis, & coronationis, in quo etiam electus, & coronatus Ludovicus Bavarus, scilicet 1315. & primo Imperij utriusque, vacante Sede Apostolica.



IN tertia primæ partis Epistolæ Dedicatoriæ divisione, ubi de altero Connubiorum ordine, duas Friderico Pulchro Vxores, & Sponsam quoque unicam Ludovici IV. Imper. hostis sui infestissimi filiam, attribuimus. Movit nos P. Gans, qui agens de eodem Friderico, & de ejus matrimonijs duobus consumatis, nec non & de tertio rato, ea prorsus tradit, quæ & nos etiam Gentilitio I. propè finem in Alberto I. Chronologicè tradidmus. Meminit Cuspinianus cujusdam filiæ Reinoldi Comitis Geldriæ, & ante Isabellam Friderico desponsæ, subditque. Sed ob patris proditionem eam non traduxit; sed postea Elisabeth prædictam accepit. Fuit autem hic Reinoldus, primus ejus nominis, pauló post Dux creatus à Ludovico Cæsare in Conventu Principum Francofordiæ Anno salutis 1339. Verum de nomine illius mentio ulla apud ipsum, quemadmodum neque de Kunegunde conjuge secunda. Roo, Guillimannus, alijque, quos nunc sequimur, præjactum conjugium simplex efficiunt. Excur. 11. in Friderico Cæsare.

Vno igitur eodemque anno tam Friderici Pulchri, quam Leopoldi primi ejus Fratris nuptiæ celebratæ, ac propterea idem ambobus matrimonijs tempus, eademque sollemnitas, pro qua Basileam concessere circiter Pentecosten, ibique magna celebritate, & frequentia Principum nuptias præfatas uterque habuere. Plures dies per ludos equestres, & alia nobilitatis digna experimenta & exercitia transacti. Ostenta etiam è theatro imperalia ornamenta, & insignia, pars magna CRVCIS CHRISTI libera- Frid. & Leopol. fratrum nuptiæ. M. S. lib. 4. c. 1: ad ann. 1315. ex Chron. Basil. lib. 3. cap. 6. Roo lib. 1 fol. 87. sed circa ann. 1316.

liberatoris nostri, Sacra Lancea, qua Latus ejus transfixum, & è Clavis unus, quo in Cruce pependit. Adhæc *Ensis*, & *Corona* Caroli Magni, *Chiroteca* & *Paludamentum*, alia prorsusque multa lætitia peractum foret; nisi pons pompæ transvehundæ, pondere, aut artificum culpa corruisset, pluresque illustres fæminas graviter afflixisset. Vulneratus etiam inter currendum ab Gradio à Gebwiche Comes Casimelibocus, & inde cis paucos dies extinctus. Quantum ad captivitatis tempus hujus Principis speciosissimi, & Imperatoris, nec non & ejus gesta & facinora (de his Gentil. penultimò fusè) libet hic obiter advertere cum Ioanne Cuspiniano. Est autem, inquit, tam insignis clades facta (loquitur de bello postremo inter competitores Cæsares, & in eo victus Fridericus & cum Henrico fratre captus) Anno liberationis humanæ 1324. penultimo Septemb. quo B. Michaelis festus dies peragitur. Quo die ante annos 51. Roo 49. Rudolphus de Habsburg auctor illius nobilissimi stemmatis, quod scilicet in Austriæ vexillio fuderat, ab hostibus ereptum, in Regem Romanorum fuit electus. Vnde quidam falsò augurabantur, tunc Domum Austriæ ruituram, quæ hodie propagata usque in Occidentem, ramos suos per universam penè Europam dispersit. Hactenus Cuspinianus.

Extrema gaudia luctus occupat.

In ejus vita fol. 462.

Roo 1322. Cal. Octob. ex Aventino, sed hæsitans. præhabet enim 3. Cal. Oct. uti M. S. Guilli. cum quo etiam sub anno eodem.

Verum de similibus Pseupoliticorum auspicijs, temerè, ac perperam auguratis, jam in 1. Gentil. pluries, ac pleraque alia in 1. parte hujus 2. Vbi non me penitet integram Reginæ Christinæ historiam conscripsisse; etsi nonnulli ex illis expungendam esse ab Austriacis fastis excogitaverint. Nam interest quidem parum, Mulierem tam ingenuam, ac peregrino judicio callentem, ad Christianissimos Reges Galliarum Gallosque, fortè necessitatis jure compulsam, iterum affectum convertisse, eo tamen pacto, ut corde, & amicitia ab Catholico Rege, ejusque natione minimè defecerit. Imò neque hujuscemodi defectio, si in ea adesset, aliquid propterea magni ponderis argueret, quod in re anteacta recentem Austriæ gloriam, Hispanorum famam, & cum eis magnanimam Reginæ prudentiam, in negocio tanti momenti, ut inhæsitanter prosperum eventum sortiretur, tutiorem, ac stabiliorem Sedis Apostolicæ columnam perquirentem, labefactaret. Quotiens enim rarum novumque in Ecclesia facinus, quod paulò ante flentibus oculis cordibusque admirabundis perspeximus, posteritas vel legerit, vel audierit, totiens proculdubio quemadmodum mirabilis Christinæ resolutio à toto orbe orthodoxo immortali applausu commendabitur, ita pariter & Pietas Austriaca, Germana, Hispanaque (sine qua nec tantum ædificationis bonum in aliorum Principum acatholicorum exemplum suique incrementum fides Romana nacta esset, nec tantum eversionis malum, perperam dogmatizantibus in animarum perniciem, succederet) exaltanda omninò foret. Sed ad Cæsarem Fridericum, & ad ejus obitum singillatim, nec non & posteritatem.

In Pseudopoliticos, ac factionarios.

Reductus igitur post liberationem in Austriam Austriacus Imperator, eum

cum magno exercitu Viennam venit (loquor cum Cuspiniano) demissa barba horridus & squalore obsitus, qui pulchritudine & corporis elegantia alios omnes suæ ætatis Principes superabat cum magna lætitia ab universo populo susceptus, qui de liberatione Domini gaudebat. Verum Fridericus ob perpessas adversitates paulatim incepit contabescere, paucosque annos post liberationem vivere. Fertur enim, quod nobilis quædam mulier, cui maritus erat nomine Fridericus (miles alioquin non impiger) quem ut indesinenter Rex amaret, poculum amatorium inscio Regi offerret: quo exhausto, viribus primum cæpit deficere, dehinc invalescente morbo, corpus computruit. Tandem dysenteria resolutus, animam exhalavit in arce Austriæ, cui Gutenstain nomen, Anno Salutis trigesimo post millesimum trecentesimum, tredecima Ianuarij regia pompa in monasterio Mavacerbachio Cartusiensis Ordinis Austriæ, quod ipse fundavit, honorificè sepultus. Roo affert, mortem ejus veneni suspicione non caruisse, quod nonnulli à fœmina quadam exhibitum, alij aliter tradunt. M. S. Guillimanni absolutè habet. Excessit ex veneno, erumpentibus toto corpore vermibus, in octava Epiphaniæ Anno 1330. regni anno 15. Ejus Apophtegmata, seu Symbola quatuor. 1. *Morte beata nihil beatior.* 2. *Quod pudeat palam, clam ne facito.* 3. *Summum hominis bonum bonus ex hac vita exitus.* 4. Quadrata cista, cui insistant clava quernea suprema parte exiliori, videlicet detruncata duo crura, quorum dextrum in medio sectum, sinistrũ integrũ est. Inscriptio. *Stat adhuc.* Ejus Vxor Elisabetha Aragonia, &c. Proles tres ex ea, Fridericus II. paucis annis vivus, & in monasterio Kongsfeld sepultus, Anna, & Elisabeth, altera Regi Poloniæ primum nupta, deinde Ludovico Romano, filio Ludovici IV. Cæsaris, Ducis Bavariæ, post cujus interitum Ioannem Comitem Goriciæ maritum accepit. Altera vero Ioanni Bohemiæ regni desponsata, sed antequam fœminam ageret mortua. De ambabus suo loco parte 4. Concordat Roo loco citato, licet priori loco Elisabetham colloget, uti etiam fecit P. Gans, qui eam desponsatam fuisse asserit Cæsari Carolo IV. quamquam, subdit, Cuspinianus dicat Ioanni Luzemburgico, Cæsaris dicti Patri. De Anna, posteriori loco ab eodem, Roo subscribente, posita inquit, secunda Anna duobus ante nuptias orbata sponsis, Ludovico Romano, & Ioanne Henrico Comite Goricensi. In M. S. de Friderico II. primi filio habetur loco citato, quod illi Ludovicus Imperator inter conditiones, quibus patrem custodia dimiserat, filiam matrimonio promisit. De Elisabeth vero, ejus priori sorore, quod nupta esset Guthero Schiuarzenburgico, electo Cæsari.

Roo sub anno 1326. fol. 89. Lib. 6. cap. 5.

Henning. in Frider. & alij.

Cuspin. loco citato.

Isabellæ

Isaballæ Vxoris Friderici Pulchri, electi Cæsaris contra Ludovicum, progenitores paterni, ac materni.

PETRVS II. Rex Aragoniæ. Vxor Maria, filia & hæres Montispessuli neptis ex filia Imperatoris Constantinopolitani. JACOBVS I. Rex Aragoniæ. Vxor Iolanda Hungara, cui parens Andreas Hierosolemytanus Rex Hungariæ; Mater vero Iolanda, Petri Constantinopoli Imper. & Iolandæ Flandricæ filia. PETRVS Rex III. Aragoniæ. Vxor Constantia Sicula, quam Manfredus, & Helena Græca, ille Friderici II. Imperat & Regis Siciliæ, & Ducis Sueviæ ex Blanca Marchionissa Montisferrati pellice filius, hæc verò filia Isaaci Angeli Imperat. Constantinopol. ex f. filio Despola Michaele nepotis. Vxor N. IACOBVS II. Rex Aragoniæ. Vxor Blanca Neapolitana Caroli II. Regis Neapolitani filia ex Maria Hungara, ac Regni Hungariæ Hærede, genita à Rege Stephano, Belæ Regis Hungariæ filio, & Mariæ, Theodorici Lascari Impera. filiæ conjuge; & à Fenuenna parentis vxore Massovia, Ducissa Cuyaiæ, filiaque Zenomissi Poloni Ducis Cuyaiæ, Laacine ex regia familia, cui Vxor Salomea filia Suatopolci Ducis Pomeraniæ. ELISABETHA, sive Isabella Aragonia Friderici Cæsaris Vxor, Iacoci II. Regis præfati gnata, & Blancæ Neapolitanæ, S. Ludovici Episcopi Tolesani Ordinis Minorum, Sororis.

Preconia Isabellæ Aragoniæ S. Ludovici, Episcopi Tolosæ Ordinis Minorum neptis.

STatus hujus nobilissimæ fœminæ & Heroinæ variabilis, quemadmodum & ille viri sui. Fælix in connubio, ferus in illius captura, luctuosus, eo miserrimè extincto. Ast nihilominus tantæ mulieris spiritus, virtute & pietate tam in secundis, quam in adversis constantissimus, & invariabilis repertus est: atq; infirmitate proprij sexus, nec non & multarũ ærumnarum mirabili incremento in viæ purgativæ semitas sub Apostolica norma perfectus. Non enim *artificiosam admirandamque Numinis providentiam ignorabat*, de qua Hieronymus, ni fallor, sive Chrisostomus homil. 8. in Matth. c. 2. *Sed tum de adversis tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate (Deus) contexit*. Evangelicum est nec non & scripturæ divine conforme. *Non solũ in ijs, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari; ut veluti transmissa immaculata puritatis hæreditas, in ijs quos volumus laudare præcellat*. Sic IoannesBaptista nobilitatem parentibus, miraculis, moribus

S. Ambros. lib. I. in. Lucam.

moribus, munere, paſſione. Sic etiam S. Samuelis mater Anna laudatur. Sic Iſaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam poſteris dereliquit. Et Ioannis Baptiſtæ præfati non ſolum à parentibus ſed etiam à majoribus nobilitas propagatur, non ſeculari poteſtate ſublimis, ſed religionis ſucceſſione venerabilis. Hactenus S. Ambroſius. Porro utraque nobilitas, ſanguinis ſcilicet, & ſanctitatis Iſabellæ noſtræ à perentibus, ac progenitoribus tranſmiſſa. Nam ſi paternam ſobolem Blancæ matris ſpectes, nonne Carolum II. Neapolis Regem, non tam corpore, natura incompoſito, quam animo, Chriſtianis, clariſque moribus, optimè compoſitū immediatè invenies? Genuit inſuper Carolus ex Maria Hungarica S. Ludovicum commemoratum Antiſtitem Toloſanum, nec non & magnum Regem Neapolis Robertum ex 3. Ordine S. Franciſci, de cujus pietate, ſapientia, ac Religione legendi ſunt Petrarca, Boccaccius & multi alij illius tempeſtatis ſcriptores, quorum Mecenas ipſemet inclytus Rex, pro quo jure merito in ejus ſtatua ſuper regium tumulum apud clariſſas Civitatis Neapolitanæ præſens verſiculus.

De Roberto Rege Neapolitano.

Aſpice Robertum magna virtute Repertum.

Caroli II. ortus ex Carolo I. S. Regis Ludovici fratre, ac per conſequens Iſabellæ noſtræ ex parte Blancæ eius genitricis ſtirps regiam ſanctamque affinitatem ſapit, cujus commendatio Evangelico elogio digna, quamvis aliundè in ea haud quaquam adeo ſplendida reperiretur, quotiens illi ingenuiſſima mulier degener moribus extitiſſet. Igitur Auſtriam pietatem, Auſtriacis Principibus avitam, & innatam, in viro ſuo Friderico Cæſare auxit Iſabella. Proſperrimum ſuarum nuptiarum eventum, proſperrimum quoque, ut ferunt, ſomnium prævenit. Dormiens etenim vidit Archiducem inſtar proceri, ac ſpecioſiſſimi juvenis, prout etiam revera erat, atque inde ei cognomen PULCHER. Quare Friderici Paranynphis advenientibus, facilè cognovit ex icone tranſmiſſa ipſiſſimum eſſe, quem per ſomniū viderat, datoque conſenſu, ſecuta eſt eos, & nuptiæ celebratæ. Verum nunquam talis, tantæque Feminæ virtus, è matris alvo, in paterna domo atrociſſimo fato digladiandi aſſuetæ, deducta, adeo peregrina atque egregia reperta eſt, quam ſub miſerrima mariti ſui conflictatione, & captivitate. Electio mariti in Regem Romanorum, per quam pro Rege Romanorum ſe gerens, ut Roo advertit, cunctiſque principalis fortunæ ornamentis inſignis, ſponſæ coronam imponi, & Romani Imperij inſignia, quæ ab obitu Alberti patris retinuerat cum alijs rebus ſupra commemoratis oſtendi juſſit, ingenti gaudio corda Iſabellæ eo nuptiarum tempore proculdubio perfuderat, nec tamen diſcretæ animus Reginæ ſuperbè intumuit, cum neque Dei timorem, neque maſculam prudentiam aliquantò amiſerit. Aſt grandiori merore affecta eſt, lumine oculorū ſuorum, quinimò parte animæ in unico Friderico, ab ea ſummè dilecto, deperditis. Sed neque proinde tot ærumnarum procellis, quot ex eo bello inter Cæſares competitores, &

Quis Carolus II. Rex Neapolis.

Iſabella vidit per ſomnium Fridericum ante nuptias.

exFriderici incarceratione ortæ sunt,solidū firmumque Isabellæ pectus,nec tantillum in spe fractum visum est,quin potius valentius apud Deum,in quo solum pro viri sui libertate plurimum confidebat. Amor ille tenerrimus, per quem erga thori consortem maximè flagrabat Isabella, omnem in ea movit lapidem, ut conjux liberaretur. Quod nequibat apud homines, precibus apud Altissimum obtinere contendebat.

Ferunt venisse hominem magum, qui Leopoldo de fratris salute anxio operam suam in eripiendo illo è custodia pollicitus, suisque sacris operatus sit. Adstitisse interim Friderico malum genium, nuncij persona occultatum cum equo nigro, quem conscendere illum, si liber ad fratrem ire vellet, jussisse. Interrogatum quis esset, nihil attinere dixisse, obsequeretur modo & conscenderet. Fridericum, & qui aderant, rei novitate territos crucis signo se munisse, quo viso, nuncium illum eodem, quo venerat equo, ex oculis abreptum disparuisse. Hanc enarrationem fabulæ, quam historiæ similiorem, Roo efficit; neque factum illum jussu, & opera Archiducis Leopoldi opere completum esse arbitratur, ut ex ejus verbis, quæ fideliter hic rescripsi, nulla facta in ipsis mutatione, planè liquet. Quod idcirco adnotavi, quia contrarium hac nostra tempestate ubi de laudibus Isabellæ quidam Neotericus attulit, & fortè ex eodem Roo, qui nunquam id somniavit. Crediderim ipse cum alijs, qui ante Roo hoc tanquam verum retulere, ita prorsus accidisse. Non n. res nova in similibus, cum haud rarò hoc perditorum hominum genus paratum, etiam nullo cogente mandato, inveniatur, se præsentandi Principibus, aliquid anxia cura usq; ad desperationem expetentibus, ut quam sit admiranda ejus potentia ad eorum vota tutò adimplenda ostenderet. Nec desunt exempla quamplurima; quibus probetur multa aliquando Dæmonum arte eum operatum esse, quæ vi atque industria humana haudquaquam fieri possunt. Verum redemptio Cæsaris reservata erat haud negromanticæ impietati, sed Isabellæ conjugis suæ pietati, propter quam quidquid frater Leopoldus pro ejus liberatione sollicitè agebat, tandem optatum finem opera sua & duorum monachorum Carthusiensium certisque conditionibus juxta M. S. Guillim. est consecutus. Describit Cuspinianus hanc laudabilem, & venerabilem mulierem, & hæc subdit in proposito nostro: *Nobilissimam autem habuit conjugem* (Fridericus) *Elisabeth*, &c. *quæ eum unicè amavit, magnæ religionis. Tantum enim in amore mariti flagravit pudicissima hæc matrona, ut nihil intermitteret, quod in salute viri sperabat. Peregrinationibus, jejunijs, abstinentijs se adeò castigavit, ut oculos penè, visumque amitteret: flens die noctuque ob captum maritum donec liberaretur.* Consultò scriptor iste lachrymarum profluijs Elisabeth, rationabili fletu emissis, liberationem mariti immediatè connectit. Propterea quod ejus ploratum multum, comitibus peregrinationibus, jejunijs, abstinentijs, precibus ad Deum, templorum frequentatiomnibus, largissimis eleemosinis, non sensuales illecebræ, non carnis fomenta, non

Sunt verba formalia Roo. lib. 3. fol. 94. Hæc traditio ex Chronico Alberti Argintini notat M.S. Guil. cap. 1. in Leop. 1. propè finem.

Loco citato in Frider.

venerea voluptas peperere (erat enim continentiſſima fœmina) deinde, extincto viro, ſpretiſque ſecundis nuptijs; ſed ardens cupido mariti libertatis, per quam maximũ bonum totius Germaniæ, ac Reipublicæ Chriſtianæ, pro diſſidijs duorum Cæſarum valde deturbatæ, ac commotæ, communiter expectabatur. Nec aliundè S. Monica bis meruit Aurelium Auguſtinum filium ſuum parere, nimirum alvo Mundo, oculis Chriſto, niſi quod planctu peraſſiduo filialem libertatem, carnis & hæreſum ſpurciſſimis carceribus mancipatam, vehementer concupiſcens, optabat ſimul magnam ac generalem Eccleſiæ Catholicæ utilitatem, plurimum antea à falſa doctrina filij propter ejus ingenij eminentiam, ac diſputationum ſubtilitatem labefactatam. In officio S. Monacæ.

Igitur lachrymis pijſque facinoribus Eliſabeth peperit libertati virum ſuum, cum quo annis tantum 5. commorata eſt. De ejus obitu, vitæ ejus, amori ad S. Franciſcum & ad Franciſcanos materialiter addictæ, ſimillimo, hæc vetuſta monumenta apud Guillimannum. Iſabella monaſterium & ædem Franciſcanorum, quod Blanca Franca Rudolphi Ducis Conjux inchoaverat, auxit, & multis beneficijs affecit, & in ſacello ejuſdem ædis D. Ludovici ſepeliri voluit, & anno Xp̃i 1331. XIII. Kal. Aug. D. Margaritæ feſto, cũ ob captivitatem mariti longo, & inſatiabili luctu, vigilijs & jejunijs viſum corrupiſſet, eum ſecuta fuit. Hæc ille. Quantopere Sereniſſima Domus Auſtriaca glorietur hac pientiſſima Domina, Tertius commemoratus iſthoc terraſtico perbellè complectitur M.S. loco citato cap. 5.

Qua terræ Auſoniæ exultant, & amœna ſuperbit
Parthenopes, Divam placidis Hymeneus ab oris
Aſpiciens junxit divino conjuge: quo ſe
Auſtria *lætitiæ plauſu magnum æthera complet.*

MATRIMONIVM VII. DVPLEX.

Leopolus I. Dux Auſtriæ, Stiriæ, & Sueviæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, & Portus Naonis, Comes Habsburgi ac Kiburgi, Marchio Burgoviæ, Landgravius Alſatiæ, cognomento gloria equeſtris ordinis, & Militiæ Decus duxit duas Catharinas, alteram Henrici VII. Imp. filiam, alteram verò Sabaudiæ Duciſſam, hancque eodem tempore & anno, quo Fridericus frater, & Imperator Iſabellam.



Annot. in arborem 1.

Vae prodit Gans de ambambus hujus magni Principis Leopoldi I. conjugibus; referam iterum in presentibus, quia in 1. Gentil. ad nostram Genealogicam Chronologiam antea rescripta sunt. Secundum, inquit, Heut. Leopoldus, equitum gloria cognominatus, ducta Catharina Henerici VII. Caesaris filia, ac ea mortua alia ejusdem nominis Amadaei Comitis Sabaudiae filia, ut Hennin. Duas tantum reliquit ex prima filias, *Catharinam*, uxorem Ducis Schvvenichiae, vel Sueinicij, & *Agnetem*, Principis Grossae in Silesia primam conjugem, deinde hoc mortuo Baronis Conchiaci in Francia. Henninges primam 1. huic dicit elocatam, at deinde Henrico quarto ferreo, Duci Saganensi, Agnetem verò Duci Suidnicensi Boleslao nuptam, & viduam ducatum usque ad 1329. possedisse. Parens Argentorati ex ardente febri obijt 1346. ac Kunigsfeldae sepultus. Hactenus Gans, cui adstipulatur Gabriel Bucelinus 3. parte fol. 27. in 2. tabula stemmatografica Geneseos Austriacae Habsburgiae, ubi in columna 2. Leopoldus gloriosus Arch. Austriae. Vx. I. Catharina fil. Henrici VII. Imp. 2. Cathar. Duc. Sabaud. Cuspinianus in Alberto I. Caesare unicam tantum Catharinam concedit, nuncupatque eam sororem uxoris Henrici VII. Caesaris. Et Agneti secundogenitae nonnisi simplex connubium ei tribuit cum Domino Kussi in Francia, quemadmodum & simplex quoque primae cum praefato Duce Sueinicio. Subscribit Roo ubi supra lib. 2. Libro verò 3. obitus Leopoldi tempus calculans, & melius & verius quam Gans, qui annos 20. excessit (nisi fortè mendositas ex librario vel typographo) sub anno 1326. eum accidisse retulit, quemadmodum & Guillim. in M. S. de ejus filiabus, ac matrimonijs, major inquit Catharina Domino à *Cussin* vel Coucy Gallo nupsit, minor Agnes Boleslao Suidnizio, &c.

Vide ipsum fol. 97.

M. S. Guill. lib. 4. cap. 10.

Ad haec M. S. Guillimannicum lib. 4. cap. 10. in fine. Sed postremò, inquit, Leopoldus ita animum corpusque exercuit atque exausit, ut negarent medici & familiares ultra durare posse. Igitur dimissa in tempus belli cura, Argentinam invitum, & obluctantem reduxerunt. Ibi paucis diebus per varias oblectationes, ac nobilium faeminarum caetus quaesito frustra instauramento, valetudine adversa confictari caepit, & paulo post atra bili superante, & insomnia pridie Kalendis Martij extinctus est eodem anno 1326. aetatis 39. Corpus ad Campum Regis translatum propè matrem sepeliere. Haec M S. in quo etiam usque ad sequens caput de ditionibus Leopoldi, de Habsburgo desolato, de dominijs ab eo auctis, de filiabus harumque connubijs; quae omnia suis locis.

Conjugum

Conjugum Catharinarum Leopoldi I. Proſapiæ.

PRimæ Vxoris genus fusè legi poteſt apud multos Genealogiſtas, quibus uſus eſt Hennin. & alij. Pro nunc (quia exactius in 2. conjuge Othonis, Catharinæ pronepote) ſcire tantùm ſufficiens erit, Henricum VII. Imperatorem Comitemque Lutzenburgenſem ſobolem eſſe prolemque Henrici Comitis, & Beatricis Comitiſſæ Hannoniæ.

Quod verò alterius Catharinæ ſtirpi intereſt, duobus capitibus, ſcilicet ij. & 13. de ea Guillimannus (12. enim capite agit tantum de genere Bolconis, Leopoldi generis, de quo nos ſuo loco) exactè, & primum de paterna hoc modo.

I. ASERATO, quem alij Geroldum, alij Berchtoldum vocant, Sabaudiæ Ducum propago emanavit. Is Hugonis Saxoniæ Ducis filius Othonis III. Imperatoris ex fratre nepos, qui ipſum extulit honoribus, & dominijs locupletavit. Fuerat is contra Arduinum Eporegiæ marchionem, qui ſe Italiæ Regem ferebat, in Italia ab Othone patruo conſtitutus, Vicariuſque Imperij, ſive Legatus in Ciſalpina Gallia nominatus, qui cum multa ſtrenuè geſſiſſet, Arduinum Regem ad Canapitium contriviſſet, Ligures & Genuenſes laſcivientes compreſſiſſet, magnamque nominis famam peperiſſet, à Rudolpho Rege Burgundiæ, Regni Arelatenſis Prorex electus eſt. Allobrogeſque, & Maurianam ab eo accepit, quibus Cottias Alpes, & Pedemontana, ſuperato Manfredo Marchione Secuſino, adjunxit. Obijt nominis celebritate, & gloria plenus ætatis anno 44. relicto

Loco citato cap. 11.

Anno 1624.

II. VMBERTO filio I. Sabaudiæ Comite ex Catharina Palatina Schirenſi. Qui Equeſtres, & magnam Anſuatium partem à Conrado Imperatore poſt Rudolphi Regis mortem accepit; cui etiam non minimam Regni Burgundici partem tradidit, ceu Proceres Caballenſes, Agaunos, & Sedunenſes.

III. AMEDEVS I. Vmberti fil. Comes Sabaudiæ Vxorem ſibi copulavit Adelam, ſive Adelaſiam, Guillelmi Burgundiæ Comitis ſororem, quæ ex priori matrimonio genuit Bertham, Henrici IV. Imperat. Conjugem. Amedeus ab Imperatore Henrico Comitatum Sabaudiæ beneficiario jure impetravit, cui Marchionatum Seguſianum cum Morianenſi Comitatu adjunxit, & obijt annum circiter 1079.

IV. VMBERTVS ejus filius paternarum opum ditionumque ſucceſſor, qui obijt anno 1109.

V. AMEDEVS II ejus filius, quem ajunt Comitis Sabaudiæ pro Morienuæ titulo ab Henrico V. Cæſare obtinuiſſe, atque etiam, ut primus Sancti Imperij Comes nominaretur. Otho Friſingenſis tamen illum Taurinorum Marchionem tantummodo vocat. In Aſiam trajecit cum Cun-

rado Imperatore, & Ludovico juniore Francorum Rege. Otho Frisingensis lib. 1. c. 44. illum cum Guillelmo Montisferrati Marchione avunculum vocat. Dicitur etiam Amedeus anno 1104. Rhodum feliciter contra Turcas conservasse.

VI. AMEDEVS III.

VII. HVMBERTVS ejus filius, Sabaudiæ, & Alpinarum gentium Comes.

VIII. THOMAS ejus filius ac Principatus hæres, qui sub tutela Comitis Burgundiæ multos annos egit, tandemque Gerardi Genuensis Comitis duxit filiam, uti Annales tradunt.

IX. BONIFACIVS nullam reliquit sobolem, cujus hæreditas ad Patruum ejus pervenit, qui tractum Aventicum, sive Vallensem, omniaque oppida, ad lacum Lemanum sita, suo imperio adjunxit annum circiter 1256.

X. PHILIPPVS frater post eum Sabaudiensem Comitatum affecutus est anno 1268.

XI. AMEDEVS IV. eo mortuo, illius ex fratre Thoma nepos, Comitatum Sabaudiensem adipiscitur, cui Magni cognomen attributum fuit, à rerum, ut ajunt, ab eo gestarum magnitudine. Floruit anno 1285, & reliquit filiam ex Vxore Maria, ab Antonio Brabantiæ, & Lineburgensi Duce genita, susceptam CATHARINAM, LEOPOLDO I. nuptam. Eum Henricus Cæsar per Sabaudiæ fines transiens anno 1309. Imperij Principem instituit.

XII. EDVARDVS filius ei successit, cui Blanca Roberti Burgundiæ Ducis (quem Paradinus malè Philippum in historia Sabaudica nominat) filia nupserat anno 1323.

XIII. Reliquit unicam filiam Britanniæ Duci nuptam. Sed illa viroque illius repudiatis, Sabaudi Amedeum defuncti Principis germanum sibi præesse maluerunt Anno 1330. Hucusque Guillimannus de paterna Catharinæ gente. Ast de materna cap. 4. hoc modo intitulato. *Leopoldi I. Conjugis Catharinæ Sabaudæ progenitores materni.* *Henricus* VI. (in originali VII. sed mendosè uti & de altero ejus filio, VI. nuncupato) Dux Brabantiæ. Vxor Maria, Philippi Romanorum Imper. & Sueviæ Ducis filia. *Henricus* VII. Dux Brabantiæ. Vxor Adelhaida, vel Elisa Burgunda, cui parentes Hugo Dux Burgundiæ, & Iolanda Druidensis, vel Trocensis Comitissa ex stirpe Regia. *Antonius* vel Joannes Dux Brabantiæ & Henrici VII. filius, Parens Mariæ Brabantinæ, avusque CATHARINÆ, &c. Vxor Margarita Flandra, quam genuerunt Guido Comes Flandriæ, & Methilda Tenermundana, ac Betuniensis Domina. Pater Guidi Gulielmus, Dominus Dampetræ, & S. Desiderij, Comes Flandriæ ex uxore Margarita, filia & hærede Balduini Comitis Flandriæ. Parens vero Methildæ Robertus advocatus Atrebatensis, Dominus Betuniensis, & Tenermondanus. Ejus uxor Isabella Dominica, Tenermondiæ Domina,

Genus maternum Catharinæ.

MATRI-

MATRIMONIVM VIII. DVPLEX.

Alij ſimplex, & quidem verius.

Henricus Dux Auſtriæ & Stiriæ, Comes Habsburgi & Kiburgi, Landgravius Alſatiæ, cognomento Placidus. Ejus prima Vxor Eliſabetha, ſecunda verò Iſabella. De ambabus inferius.

JAm in 2. tertij Excurſus Sectione naturæ, ac generationis ordinem, tantùm matrimoniorum molem conſtantes, ſequi propoſuimus. Aſt recens modo advertentia conſultius me docet, temporum ſeriem in præſentibus fore obſervandam. Agere enim de Matrimonijs Auſtriacis precipua tractatione, atque in eis plura quæ prius evenere, poſterius ſæpènumerò ponere, & è converſo, res proculdubio valdè incongrua, nec minus inconveniens. Igitur cum in præhabitis à magno Rudolpho I. Imperatore uſque ad Henricum hunc nonniſi in ſolius Hartmanni connubio & in priori ejuſdem duntaxat talis varietas reperiatur, res quidem eſſet rationabilior, ac valdè conſentanea, prædictam ſeriem amplectendi. Eo vel maximè quia ſufficeret lectori ordinis generationis uno vel alio modo juxta hiſtoricorum controverſias (quemadmodum hucuſque actum eſt) breviter adnotatio. In Catalogo filiorum Alberti I. Imperatoris ultimum locum tenet, ut prædiximus cum Guillimanno, Henricus, qui ante Albertum, & niſi fallor, poſt Fridericum, & Leopoldum fratres conjugem duxit. Propterea ubi nunc M. S. citato fides præſtanda, & non ſine convincenti ratione, neceſſariò prorſus erit, ut Henrici connubbium illo Alberti II. anteferatur. Et licet Henricum hunc, de quo ſcribimus, quartogenitum efficiat Cuſpinianus, alij quintò apud Gans, & tam ille, quam hic ante Albertum contractum fratrem; nihilominus etſi hac ex parte uterque tam naturæ quam temporis ordo in præſenti matrimonio concurreret, teneor tamen ſtare promiſſis, & à Guillimanno nequaquam diſcedere.

De Duce Henrico tria hic adnotanda. Primum ſpectat ad ejus perſonam, 2. ad connubiorum pluritatem, 3. ad proles. Quantum ad perſonam, nũ ſcilicet fuerit Henricus, antequam uxorem duceret, Eccleſiaſticus, vel nec ne, ac poſtmodum Rex Bohemiæ electus, Lazius (huic adſtipulatur Gans) quem tanquam nugatorem in hoc ſuperius Guillimannus exprobavit) affirmat primum, fuiſſe enim Canoncum, & futurum Antiſtitem Moguntinum teſtatur. Attamen ſi id ita extitiſſet, proculdubio haudquaquam

Gans loco cit. in annot. arb. 1. Lazius lib. 3. rerum Viennenſium.

quam tacerent Cuſpinianus, & alij melioris notæ hiſtorici, quemadmodum nec quid ſimile de Alberto fratre reticuerunt. Fuit ergo Henricus Dux & Princeps Secularis, quem veluti hujuſmodi Eiconographus Auguſtæ Wolfgangus Kilianus ære ſculpſit, jacta propria ejus in medio Othonis & Friderici I. fratrum imagine. Verum in illius dilucitatione cum tota enarratio pertineat ad Henricum Carinthiæ Ducem, ac Tyrolis & Goriciæ Comitem, fratremque Eliſabethæ Carinthiæ, conjugis Alberti I. Imper. Henricique avunculum & ad Maultaſchiam filiam, à repen di oris vitio ita nuncupatam, & nullo modo neq; ad perſonã Henrici Auſtriaci, neq; ad aliquid aliud, equidem neſcio ad quod propoſitũ eam ibi dilucidator posuerit, & qua de re, dum in ea Henricus ſcriptus & Henricus ſculptus, de quo ibi nec mentio aliqua, toto cœlo abberent, diſcrepentque. Fortaſſis deceptio tam fæda non ſolum ex nominis paritate orta, verum etiam ex textu, & indice Roo, ubi ſub verbo, Henricus Carinthiæ Dux, hujus obitus ponitur fol. 97. Sed ibi adnotatur ad annum 1316. Henrici Auſtriaci mors poſtquam domum ex Bohemia dimiſſus eſſet, &c. Henricus etiam Carinthius ex Bohemia, Annæ S. Wenceslai Bohemiæ Regis natu maximæ conſors, cujus connubij gratia poſt cædem Wenceslai factus eſt Rex Bohemiæ, rediens domum, non dimiſſus è carcere, uti primus, donatus Ioanni Regi Henrici VII. filio à Ludovico Bavaro, Friderico fratre victo & cum eo capto ſibi retento, ſed bis expulſus, nimirum ab Alberto I. ac eo interfecto iterum ab Henrico VII. Imperatoribus, obijt non eodem tempore, ſed poſt novennium.

Kilianicus dilucidator impugnatur.

Vnde ejus deceptio.

Ad alteram vero quæſtionis partem de reali Henrici dignitate, non ſolum electum fuiſſe in Bohemiæ Regem, verum etiam & factum Gans reſpondet. Ejus verba formalia, Henricus Raſchio II. Comis cognominatus, Canonicus, ac futurus Antiſtes Moguntinus, ſed mortuo fratre Rudolpho, relictis Sacerdotijs factus Rex Bohemiæ, donatuſque eſt ab Henrico VII. Cæſare hæreditate Ioannis, Sueviæ Ducis, interfectoris Alberti I. &c. Super quam electionem neque unicũ verbum apud Roo, qui ad annũ 1307. poſt obitũ Rudolphi Regis Bohemiæ, hæc tantũ ſubdit. A morte Rudolphi in Bohemia res iterũ ad Henricum (Carinthiũ ſcilicet) inclinare videbãtur, adnitente pro eo Ioanne Præſule Praghenſi. Cives vero Pragenſes, & alij quidam Fridericũ Auſtriacũ Cæſaris filiũ ob vicinitatem ſimul & potentiã Henrico præferebant, &c. Ad annũ poſtea 1322. ubi de captura Friderici & Henrici fratrum, ac hujus in libertatem reſtitutionis à Ioanne Bohemiæ Regem nihil tale ad propoſitum affert. Solum apud Guillim. in M. S. iſta habentur. Haud multo poſt prælio Muldorffenſi cum eodem Friderico Henricus captus, Ioanni Regi donatus eſt, qui in Bohemiam duxit & caſtro Burgilino abdidit, adjectis ex odio compedibus contra Principum morem & conditionem. Inflammaverant enim Ioannem ſuper partium ſtudia, propria adverſus Henricum æmulatio & ira. Quod Bohemiæ Baronum paucis

Reſponſio Gans ad 2. p. quæſt.

Impugnatur Roo lib. 2.

Lib. 5. ubi de Henrico Auſtriaco in fine.

paucis ante annis rebellione fama tenuerat, Ducem Henricum accituros Regem, &c. Reliqua ponenda Gentilitio penultimo. Igitur facile conjectari poteſt, Gans ab Lazio quæ aſſerit de Henrici Canonicatu, &c. ac de eius electione in Bohemiæ regem mutuaſſe. Et multo tamen longe diverſa apparent illa duo aſſerta, quorũ primũ *Henricus factus Rex Bohemiæ*, poſterius verò, *Ducem Henricum accituros Regem.* Loquendo poſtmodum de Henrici matrimonio, num ſcilicet ſimplex aut potius duplex extiterit, & an prole caruerit, vel contra, afferam primò ſententiam Gans. Obijt, inquit, Henricus 3. Non. Febr. 1327. Bulchæ in Auſtria, & Kunigsfeldæ in loco cædis Alberti ſepultus, nullis neque ex Eliſa, filia Ruperti Palatini, neque ex Iſabella, filia Ioannis Comitis Friburgenſis, liberis relictis. Hæc ille. Concedentes autem priorem tantummodo Duci Henrico conjugem, ſimplexque ejus connubium facientes, verius quidem id aſſerunt. Sic Cuſpinianus, Roo, & alij, qui etiam conveniunt cum Gans de interitu Henrici abſque prole. Contrarium tamen oſtendit Guill. quantum ad iſthanc 2. aſſertionem, ubi agit de Henrici infirmitate poſt ejus liberationem, de obitu, ſepultura, & uxore his verbis. Paucis annis deinceps Henrico vita fuit. Valetudine & veluti tabe per egritudinem animi, & inſolita infeſtaque cuſtodia, obijt apud Pontem Muræ A. C. 1327. 3. Nonas Februarij. Sepultus primò Græcij, inde ab Vxore ad campum Regis tranſportatus. Filia fuit Ruperti Comitis Virnebergenſis terræ Eifaliæ, quæ inter Lucemburgenſem, & Trevirenſem ſita ſecundum Arduennam Silvam ad Rhenum pertinet. Eadem Henrici Archiepiſcopi Colonienſis ex fratre neptis erat; atque hæc quoque ceteris in conditionibus fuit, quibus Colonienſis inter Electores ordinis Eccleſiaſtici non ſolum Friderici partes ſuſcepit, ſed conſtantem ſe, & fidum Auſtriacis Principibus præbuit contra Ludovicum Bavarum, qui Imperij gubernacula ad ſe trahere moliebatur. Mortua eſt Eliſabetha A. C. 1343. cum ad id tempus apud campum Regium egiſſet, ubi pariter tumulata fuit, nullis procreatis liberis. Ad hæc ſequitur præſens additiuncula, alijs caracteribus obſignata. Fratres, ait, Henricum, Leopoldum, & Fridericum reliquiſſe mares, teſtatur Albertus Argentinenſis eorum temporum maximè vicinus. Qua de re apud alios ſcriptores magnum eſt ſilentium. Hactenus auctor.

Loco cit. Roo ubi ſupra lib. & alij commun. Cuſp. in Alb. Roo lib. 3. de obitu Henrici.

Henrici conjugium ex conditione.

SECTIO IV.

MATRIMONIVM IX.

Albertus II. Dux Austriæ, Stiriæ & Carinthiæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, & Portus Naonis, Comes Habsburgi, & Kiburgi, Princeps Sueviæ, Marchio Burgoviæ, Landgravius Alsatiæ, & Dominus Ferretæ, Stemmatisque propagator, cognomine Pius, Sapiens & Contractus uxorem duxit Ioannam Vlrici (alij Vdalrici) ultimi Ferretensium Comitum filiam, & hæredem Anno 1324. sub Pontificatus Ioannis XXI. dicti XXII. anno 8. Imperij verò Ludovici IV. anno. 9.

Controversia haud levis circa nonnulla, quæ de Alberto II. dum pro comperto asseruntur, à M. S. Guillimannico fortiter tamen impugnantur. Vbi etiam de auctoris judicio.



FRanciscus Guillimannus (ad cujus præfatos de Alberto II. titulos illũ, *Princeps Sueviæ*, ex alijs addidimus) quemq; in ijs, vel non longè quæ vel nondũ alij scripserunt accurate, vel minus à probabilitate tradidisse videntur, sequi statuimus; audacter, ut solet (callet enim natura, jactantiæ multum proclive, maximè ubi suam diligentiam supra antecessores historicos in rebus Austriorum ore proprio passim commendat) in Ioannem Cuspinianum, & Volphangum Lazium, eorumque Sectatores, agens de eodem Alberto, ita criticè invehitur. Alberti in corpore affecto Sapientiam, & regendi peritiam, æquitatem atque fortitudinem plerisque ejus tempestatis, & deinceps scriptores meritis laudibus celebrant cumulantque, & res ab ipso per ea tempora fæda, turbidaque cum dignitate, constantia gestæ satis testantur, de quibus quam verissimè expediam. Neque tamen inficias abiverim in plerisque à Ioanne Cuspiniano, & Wolfgango Latzio dissentire mallem, quorum utriusque eo major auctoritas hucusque tenuit, quo proprius apud Principes Austrios, Regesque Imperatores agitavere, ambo diversis temporibus amplissimis prædijs, præmijsque, atque honoribus ab iljs aucti.

Guill. lib. 8. M. S. contra de Cusp. & Laz.

Etenim

Etenim Cuſpinianũ Maximilianus I. dum haud parvo prætio duxit, primæque in ſcribendo celebritatis vulgò habuerunt, alterum Ferdinandus nepos non neglexit. Cuſpin. & Lazius magna ſtipendia, ac premia à ſuis Principibus ſunt conſecuti.

Ipſos ejuſdem quidem inſtitutionis, & medicinam cætera profeſſos, ſed tractandis hiſtorijs longe diſparitate gratia, atque integritate. Quando alteri fortè magis ſtudium quam facultas abſuit: in altero vereor, ut ne utrumque Latzij profecto ſi, quæ in Genealogiam Auſtriacam commentaria ſcripſit, ad normam veritatemque penſemus, tot penè exerrationes ſunt, quot fuere in eiſdem lineæ. Nullius omninò Principis toto opere cum fide geſta notata, pauca admodum conjugia, rara liberum pignora, confuſa, abſurda, falſa pleraque omnia, perinde quaſi implendæ chartæ non digerendæ laboraret, haud abſque inſigni Principum injuria, quibus hiſtorici titulo & officio impoſuit, majori neſcio audacia, & indignitate. Audiant Laziniſtæ. Et in Cuſpiniano ut paulò plura bona, ita haud pauciora parum accurata, perſpectaque & evigilata. Nam quid hoc eſt, quod inter alia Albertum II. ipſi, & qui eos conſecuti ſunt, tanto conſenſu memorant ſacris initiatum, Canonicum Pataviensem, & Parochum Viennenſem egiſſe: Vxorem fratribus omnibus ſine hærede defunctis conſervandæ familiæ Pontificis auctoritate duxiſſe. A Carolo IV. Imperatore Comitatum Ferretanum comparaſſe. Poſtremò Contractum veneno, in pueritia hauſto, & inde artubus debilitatum cognominatum. Quæ omnia ſecus habentur; membrorum enim uſum non violentia veneni, ſed arthritidis vitium corrupit. Et Ferretanus Comitatus ex dote Vxoris non Caroli beneficium eſt; neque ea ducta poſt fratrum, & liberùm omnium obitum, ſed extra Rudolphum Bohemiæ Regem, & Meinradum, reliquis ſuperſtitibus omnibus valentibus, florentibus, tribus etiam conjugatis, & duobus ſobole adauctis, atque adeo etiam Othone fratrum minimo adhuc cælibe, & qui altero demum poſt anno nuptijs quoque ſe ipſe colligavit. Credo Eccleſiaſticum eo ſibi perſuaſerunt, quod *Reverendiſſimi* titulo affectum antiquis monumentis fortaſsè legiſſent. Qui titulus per ea tempora magnorum Principum ſæcularium pariter communis fuit, & quo in eum uſi multis poſt quam duxit uxorem, annis, qui literas ad ipſum ſcriptitavere. Quod haudquaquam feciſſent, ſi ratione ordinis, ab mulierum conjugio alieni, pertinere ad eum credidiſſent. Quid ſentiat de Cuſpiniano. Carpit aliquot errores in Alberti hiſtoria. 1. 2. 3. 4. Oſtendit rationibus hos errores ordine retragrado. Otho quando nuptus ex Guillimanno.

Huc uſque Guillimannus, qui etiam in Henrico, iſtius Alberti fratre, errorem, priori ſimilem redarguit; proditur enim de eo, Canonicum, & futurum Antiſtitem extitiſſe, ac poſtmodum, relictis Sacerdotijs, fratreque Rudolpho extincto Bohemiæ Regem effectum. Nugatur, inquit, Lazius, Ducem Henricum ſacris initiatum fuiſſe tradens, &c. Idem Guill. in Henrico.

Antequã puncta omnia Guillimanni examinem, juvat quidem plurimũ recitare hic breviter quæ cõmuniter ſcripſerunt hiſtorici circa primã aſſertionem, non omnes, ſed ij tantum, quos præ manibus habeo. Cuſpinianus ait. Albertus II. primum Pataviensis Canonicus & Subdiaconus, fra- Cuſpin. in Alb. I. Imperat.

Roo lib. 3. fol. 101.

tres omnes in ætate supergressus, assensu Pontificis duxit uxorem, &c. Gerardus de Roo, Albertus II. sacris primum destinatus, & in Pataviensem præsulem electus, cum nullam ex fratribus prolem esse videret, Albertum, Alberti Saxoniæ Ducis ex Agnete amita sua filium, in suum locum promovit, & à Pontifice maximo sacris absolutus, uxorem duxit Ioannam, Vdalrici ultimi Ferretarum Comitis filiam, ex quo matrimonio (nam Othonis filij non diu supervixere) inclyta hæc familia instaurata est, &c. Hæc scripsit auctor hic ad annum 1338. in quo etiam Otho obijt, ut ipsemet affert, & in eadem pagina, ac sequenti facie sub anno 1340. Primus aliquot annis à decessu fratrum pax Alberto, & quieta gubernationis initia fuere. Anno quadragesimo ejus sæculi cum sub finem superioris anni Ioannes Bavariæ Dux obijsset, hæreditatem ejus Fridericus & Leopoldus Austriaci, Othonis ex Elisabetha Bavara filij, adire volebant, etsi sunt, qui Leopoldum, non ex illa, sed ex Anna, secunda Othonis uxore natum fuisse, & Fridericum solum de Bavaria contendisse dicant. Ludovicus Imperator uti & ipse vires suas confirmaret, Angliæ regem sibi amicitia & fædere conjungit, isque filiam suam, novem annos tum natam, Monachium ad ipsum mittit cum quadraginta aureum nummum millibus, quæ Friderico Austriaco, Othonis filio, in matrimonium daretur. Cum verò Cæsar pæcuniam illam non traderet, neque Fridericus desponsam traduceret, Angliæ Rex filiam in Angliam reduci jussit. Legatis tamen eò missis, instituta de sponsalibus actio est, sed Fridericus anno 44. supra mille trecentos immaturo fato obijt, quem Leopoldus frater sequenti anno secutus est. Ambo apud Patrem sepulti sunt. Solus igitur ex Austriacis Albertus omnibus illorum ditionibus præerat, &c.

Hæc post pauca.

Roo sibi ipsi contrarius.

Duo in præsentibus Roo asserit, adeo inter se parum coherentia, ut, ni fallor, apertam contradictionem involuant. Primum est illud, *Quod nullam ex fratribus prolem esse videret.* Secundum, *sed Fridericus anno 44. supra milletrecentos,* &c. Si ergo Albertus contractus à PontificeMaximo sacris absolutus idcirco matrimonium sub anno 1338. inijt, quod nullam ex fratribus prolem videret, quomodo deinde nepotes suos ex Othone fratre, alterū anno 1344. alterum vero anno sequenti extinctos vidisse concludens, hæc postrema antecedentibus convenire possunt, si post ejus connubiū annos sex supervixerit Fridericus, septem verò Leopoldus? Dices, Auctorem hoc idem non negasse, uti in illa parentesi *(nam Othonis filij non dum supervixere)* Verum nihil Roo ad propositum, ut contradictionem, ne sententiam Guillimanni confirmaret, è medio tolleret. Etenim non alia intentione dispensationem petijt Albertus à Christi Vicario, ut possit uxorem ducere, nisi quia fratres sine liberis decesserant, ut idem Roo demonstrat, antecessores historicos sequutus. Sed ad alios sectarios. Hieronymus Hennig. Albertus II. sacris initiatus Canonicum Pataviensem & Parochum Viennensem egit. Fratribus verò omnibus sine hærede defunctis, cum à Papa dispensationem impetrasset,

Hennig. in Alberto II.

duxit

duxit in uxorem Ioannam, &c. Genealogia Sereniſſimorum Auſtriæ Ducum, Archiducum, Regum, Imperatorum, æri inciſa à Wolfgango Kiliano, pluries à nobis citato, eadem prorſus affert, inquit enim, Albertus ſacris initiatus, fratribus abſque hæredibus extinctis ſolus ditionum Auſtriacarum hæres factus, cum facultate Apoſtolica Ioannam uxorem duxit, & ſtirpem penè collapſam propagavit, &c. Demum Pater Gans (ut multos alios Neotericos prætercam) nulla facta mentione, neque de officio parochiali, neque de ejus ſubdiaconatus, ſive de electione in Præſulem Patavienſem, aut de Pontificia diſpenſatione, ſed ſolummodo de ejus Canonicatu, Albertus, inquit, è Canonico Patavienſi poſt fratrum ſine liberis mortem Habsburgi, & aliarum Provinciarum Hæres, ac Dominus, duxit Ioannam, &c. In propria eicone Alb. II. Annot. in arb. 1.

Vtraque hujus communis aſſertionis concordiſque ſententiæ pars idcirco juncta reperitur ab hiſtoricis, ut cauſa Pontificij indulti, Alberto, ſacris initiato conceſſi de conjuge aſſumenda, ab eis oſtendatur. Scimus non jure divino, ſed Eccleſiaſtico ſolummodò (alij, quos citat & impugnat Sanchez, contrarium aſſerunt, & quidem valdè improbabiliter) cælibatum ſacris ordinibus perpetuò annexum. Aut ex ſolo Eccleſiæ decreto Subdiaconi, Diaconi, Presbiterique cælibes eſſe debent, aut etiam ex voto emiſſo, quod ut emittatur, ſola Eccleſia præcipit, ac proindè diſpenſabile fieri non tantum Clericis, ſed etiam Monachis, qui votum ſollemne Caſtitatis emittunt. *Scotus in 4. Diſt. 37. quæſt. unica* §. Dico igitur, *& ejus ſequaces. D. Thom. 2.2. quæſt. 88. ar. 11. Cajet in opuſculis tom. 1. tract. 27. Sotus lib. 7. de juſt. quæſt. 5. ar. 2.* Vbi etiam docet, quod veriſſimum putat Bellar. decretum hoc eſſe etiam Apoſtolicum, & non propriè divinum, & alij omnes cum altera ex duabus probabilibus ſententijs longè probabiliore, ut oſtendit Sanchez loco citato diſp. 8. lib. 8. num. 6. conformis ijs, quæ dixerat diſput. 26. lib. 7. De ſtatu autem Epiſcopali poſſet eſſe major difficultas, an jure divino ſit illi annexa caſtitas. Attamen ſententia negativa certior, & verior. Cum ratione ordinis ſacri ſolo jure Eccleſiaſtico cælibatus illi copuletur. Si enim Epiſcopus eſſet tantum electus, & confirmatus, & non dum in ſacris conſtitutus, non tenetur ratione ſtatus ad caſtitatem. Nam ſtatus conjugalis miniſterijs Epiſcopalibus non videtur repugnare. Solum enim ex quadam decentia & honeſtate oportet Epiſcopum à conjugio abſtinere, quod, ſecluſo jure Eccleſiaſtico, non tranſit in præceptum *D. Paulus 1. ad Timot. 3. & ad Titum 1.* Ipſe Apoſtolus elegit in Epiſcopū Dyoniſiū Areopagitam, Athenienſium Epiſcopum, quem tamen conjugatum fuiſſe conſtat ex cap. 17. Actū Apoſtolorum. Synodus II. Turonica uxorem quoque Epiſcopi *Epiſcopam* nominat Can. 13. & 14 Poteſt igitur ſummus omnium Pontifex in impedimento voti ſollemnis caſtitatis Ordinis ſacri vel religionis, matrimonium dirimentis diſpenſare. Aſt utrum hæc diſpenſatio exigat cauſam publicæ utilitatis, non conveniunt doctores. Digresjuncula valdè congrua. Ex Sanchez. tom. 2. lib. 7. diſput. 28. n. 4. Bellar. de Romano Pont. Vnde cælibatus in ſtatu Epiſcopali. Summa poteſtas Papæ in diſpenſatione votorum ſollemniū.

ctores. Opinio affirmantium tutior, & irreprensibilior. Nequit enim bonum privatum tanti momenti occurrere, quanti opus est ut tanto malo, scandaloque publico valeat comparari, quantum ex matrimonio Clerici, vel Monachi sequeretur; quodque compenset tantum bonum, quantum est illorum continentia. Hinc omnes doctores exprimentes ejusmodi dispensationis causam, adducunt exempla boni valdè communis, ut pacis totius Regni, ejusve ad fidem conversionis. Pontifex verò si absque legitima causa dispensaret cum Principibus, ut hactenus sacris initiati uxores ducant, peccaret utique gravissimè, sed teneret matrimonium. Quod ea dispensatio sit in solo jure humano; ratione cujus solius id matrimonium dirimitur juxta veriorem sententiam apud eundem Sanch. locis citatis.

Quibus ita constitutis, advertendum, unanimiter historicos, à quibus M. S. citatum minimè discedit, convenisse, Albertum Sapientem extinctum esse A.D. 1358. Fratribus omnibus horumque prolibus jam mortuis. Nupsisse verò Othone nondum nupto, & Leopoldo, & Friderico, gnatos jam habentibus, ex solo Guillimanno rescribimus. Ipse nanque contra communem placitum eum nuptum demonstrat sub anno 1323. & post præfatorum Leopoldi & Friderici fratrum nuptias, uno eodemque tempore, nempè ann. 1315. uti dictum est, celebratas, ann. 11. Roo vero sub 1338. post Othonem, quem anno eodem interijsse testatur, ann. 13. matrimonium celebrasse commemorat. Quam sententiam amplecti coguntur quotquot sacris initiatus Albertum supponunt, atque ex legitima causa, bonum publicum indigitante, annuente Summo Pontifice, conjugali fædere addictum prodiunt. Sic facillimè cognosci potest, quomodo Albertus, fratribus sine liberis extinctis, ad nuptias Papali dispensatione rationabiliter transisset. Et licet P. Gans Canonicum tantum Pataviensem Albertum vocet, nullâ facta de indulto Pontificio mentione; nihilominus quemadmodum auctor communi sententiæ inhærendo, post fratrum sine prolibus decessum, conjugem detulisse fatetur; eodem quoque modo hanc eandem dispensationem in causam impellentem expressisse, nullus est qui ambiget. Suspicor tamen, Gans parum curare de hujusmodi dispensatione, putans forsitan Canonicatum Alberti ordine sacro caruisse. Adde, posse similem sententiam de eodem Alberto proferri, nempè fuisse Episcopum Patavij electum, & confirmatum, ut inquit Roo; sed non sacris initiatum, uti hodie etiam nonnulli ex Austrijs Principibus reperiuntur. Atque ante fratrum sine liberis obitum uxori copulatum. Hoc enim modo ipsa sola Romani Pontificis officiorum, ac dignitatum Ecclesiasticarum renunciationis acceptatio pro dispensatione sufficiens fuit, ut Albertus matrimonio jungeretur, quod matrimonium respectu boni publici haud omnino caruit, quamquam ejus fratres, & Otho precipuè filios ad nuptias proximos haberent. Ita factum reperimus nostro sæculo inter Seren. Archiducem Leopoldum, nostri Principis parentem, & Claudiam Medicam, ultimi

Loco cit. lib. 2. fol. 101.

timi

timi Ducis Vrbini viduam, Vrbano VIII. Summo Pontifice annuente. Si tamen concederemus ſacrorum in Alberto initiationem, ac quandam ſimul probabilitatem de proximo ſuæ familiæ interitu, licet tam fratres aliquot, quam nepotes ſibi uſq; ſuperſtiterint, facile quoque eſſet, omnia jura politica, & Eccleſiaſtica in præſenti matrimonio ſalvare, nec non & ſententiã communem contra Guillimannũ, & hunc pariter in 2. aſſertione, quam veluti certiorem multa cum exiſtimatione amplectimur. Verum, ut video, talis probabilitas, non adeo patens in cauſa diſpenſationis Papalis veræ, & non ſubreptitiæ, ut ajunt, poſſet in promptu adjudicari, & ut ſuppoſita tantum, neque adhuc probata redargui.

Quia vero ſupputatio mea in prætacto connubio ſequitur Guillimannum, cogor hujus monumentum in medium adducere; ac ſimul demonſtrare, eum ſolum ex hac parte (circa titulum Reverendiſſimi paulo poſt) communem hiſtoricorũ lapſum advertiſſe. Scribens auctor in illo cap. 1. lib. 8. citati de ſibi, & poſteris Comitatus Ferretani vindicatione, quam jure matrimonij cum prædicta Ioanna Albertus acquiſerat, quamque nos fuſius in loco proprio enarrabimus, fert primum, quomodo Vldaricus ultimus Ferretanus, parenſq; Ioannæ obtinuerit à Gerardo Baſilienſi Epiſcopo, ut ejus filiæ in Comitatu ſuccedere poſſent, at nonniſi obtenta prius, & impetrata Summi Pontificis confirmatione. Deinde ſubdit Papæ mandatum ad Vitalem Archiepiſcopum Veſontionenſem, in quo precipiebatur, uti toto de negocio cognoſceret, reque perfecta confirmationem publicaret, & filiarum Vldarici in Comitatu legitimam ſucceſſionem. Præſtitit utrumque Vitalis, interim defuncto Vldarico Baſileæ IV. Idus Martij anno 1324. ſubito ad Comitatum occupandum, Vxori ſuæ hæreditariò debitum, Albertus animum adjecit. Quare aſſumpta Vxore, Socruque & magna nobilitatis manu, Tannio ſtatim æd Maſonis monaſterium, quo Vitalem Archiepiſcopum acceſſerat, ſe contulit, & in ejus præſentia multis teſtibus oſtendit, & ſibi legitimum cum Ioanna Vldarici primogenita matrimonium, & Comitatus poſſeſſionem, Pontificiæ Bullæ (datæ Avinione VIII. Calend. Febr. anno 4. Ioannis XXII. qui erat 1320. à nativitate Domini) conſentaneam. Approbaret igitur, & ſe in Comitatu Apoſtolica auctoritate confirmaret, ſtabiliretque facilè rem æquiſſimam ab Epiſcopo Dux impetravit. Ejus literæ Archiepiſcopales, alibi recenſendæ, emanarunt in Maſmunſter loco Baſileæ Dioceſis die 26. Menſis Martij anno Domini 1324. Indictione VII. Pontificatus prædicti Ioannis anno 8. Anno deinde eodem in Menſe Majo celebravit Albertus cum Ioanna nuptias Baſileæ magna frequentia & nobilitatis concurſu. Hæc omnia ex Guillimanno citato. Ex quibus monumentis ſatis clare demonſtratur concors hiſtoricorum error de tempore Nuptiarum Alberti Sapientis. Annus igitur 1338. ex Roo alienus omnino eſt ab hac veritate, tunc enim extincto Summo Pontifice Ioanne XXII. A. C. 1334. qoſtquam gubernaſſet annos

Erat tunc Pontifex Ioann. XX. ſive XXII.

18.

18. Sedebat Benedictus XI. dictus XII. suique regiminis, ann. 7. durantis, plusquam ad medietatem pervenerat. Item sententia illa de emptione Comitatus Ferretæ, facta ab Alberto, funditus corruit, ut patet, & alibi expressius patebit.

Quod verò attinet ad cognomen Contracti, Alberto congrui propter corporis, membrorumque defectum, num scilicet id ei contingerit ex veneno sibi tradito, aut ex vitio arthritidis: Hujus disputationis negocium parum nobis in præsentibus interest, & sententiæ utriusque veritas & fides penes suos Patronos derelinquenda. De titulo verò Reverendissimi quæ affert Guillimannus, dubia sunt, & incerta, neque verum puto titulum hunc Principes Catholici, uti hodie Acatholici, tũ sibi usurpasse. Igitur ex hac parte standum est communi sententiæ, quæ ne discordet à tempore de nuptijs Alberti, à Guillimanno allato, interpetretur ut supra. Velim porrò, ut Politici quamplurimi ad hoc exemplum animum intendant, dum sępenumero sub specie Religionis detrahentes, suadere satagunt, Serenissimam, Augustissimamque Domum Austriacam, quæ medijs connubijs carnalibus summè aucta est divitijs, ac potentia, descendere, ac deteriorari incepisse, ex quo sponsalia Spiritualia, per dignitates Ecclesiasticas contracta, ædere consuevit. Albertus enim Episcopus fuit, felixque in augendis suæ Domus ditionibus. Matrimonio junctus, & ad penè totalem generandi impotentiam multum vicinus, ejus stirpem, omninò in alijs fratribus, sive ante sive paulò post collapsam, restituit; aque postmodum, iterum ad Imperij fastigium perveniens anno 1438. in ejus pronepote ex Nepote Alberto, *Mirabilia Mundi* nuncupato, Alberto V. ac II. Romanorum Rege, quasi hæreditariò Imperium suscepit, retinuitque usque ad hæc tempora, 14. Romanis Regibus successivè, unus post alium mirabili Dei providentia, humana consilia, machinamenta, irruptionesque destruente, immediatè electis. Vnde merito ille nostræ tempestatis scriptor in synopsi Genealogica ab Alberto I. Triumphatore ad Fridericum III. Pulchrum. Albertus Sapiens enitentibus virtutibus, factis gloriosissimis, Domi forisque nominis amplitudini magna cognomina pepererũt. Soli Alberto sapienti, natu inter fratres minimo, cui non sine felicissimis auspicijs commune fuit nomen cognomentumque cum Magni Rudolphi Imperrij Austriaci conditoris parente, ac totius Augustæ Gentilitatis auctore propagationem stemmatis Cœlum indulsit, ut scias, illam non hæreditatem paternam esse, sed cœleste donum.

Vnde in Alberto *Contracti* cognomentum, & *Reverendissimi* titulus.

Pallavic. in Alber. I.

Per annos 30. graves ex arthritide cruciatus Albertus toleravit, accessitque postremò febris lenta, eaque ætati fessæ & onustæ noxia, & infesta qui aderant liberos Rudolpho maximo & absenti morem gerere parereque, uti capiti instituit: Sicque vita solutus est Viennæ ante diem 17. Kal. Augusti A. C. 1358. ætatis septuagesimo. Concors in hoc omnibus Guill. Cognomina fuere *Contractus* & *Sapiens*, alterum ex ingenij præstantia, & singulari

Guillim. ibidem citans tom. 1. M. S. Schodoleri.

singulari usu rerum: alterum corporis calamitas fecit. Captus enim erat pedibus, & manibus, non naturæ vitio, aut dolo malo, sed ut prædiximus arthritidis. Qua de re symbolum assumpserat, in quo Rusticus sine capite incedens cincto gladio vel acinace, cui inscripsio *Et hic virum agit*. In eicone Kiliani crus Rustici sinister poplite, à quodam, ligneo instrumento, quo nonnulli claudi altero ex genibus flexo ambulare soliti, sustentato, ac circumligato graditur. Erat Albertus hic II. Alberti I. Imperat. filius quartus, qui Carthusianis, quod anno sæculi 30. Gemminæque monasterium in superiore Austria condere cæperat, & Deiparæ Virginis Thronum nuncuparat, paulo ante obitum perfecit, in eoque propè uxorem conditus est. Ejus Symbolum. Ejus sepultura Vxor, liberi.

Reliquit ex eadem filios quatuor, Rudolphum IV. Fridericum III. (alij IV. respectu. II. filij I. in pueritia extincti) Albertum III. Leopoldum II. duas filias, Catharinam, & Margaritam, quarum illa apud S. Claram Viennæ Virginitatem, & religionem professa. Ista Mainrado Marchioni Brandeburgensi, Bavariæ Duci, Comiti Tyrolis nupta, cum brevi is desisset, apud sororem in monasterio reliquam vitam exegit, cum bonis omnibus quæque à patre nomine dotis, quæque Marchione Ludovico socero propter nuptias, aut quocunque modo possederat fratribus cessisset. In fædo enim errore sunt qui Ioanni Marchioni Moraviæ, qui socrum Margaritam pro conjuge habuerat, & ab ea pulsus erat, secundis nuptijs traditam scribunt. Rudolpho, ut diximus, rerum summam dimisit, non tam jure primogenituræ, & veteri Austriæ Principatus privilegio, quam cognita, & probata ejus indole, simul quia reliqui filij omnes adhuc in minoribus annis erant. Hactenus Guillim. Reliqua de filijs & filiabus Alberti II. sive certa sive dubia, ac de historicis in fædum errorem commemoratum, ut placet Guillimanno, delapsis, apud Chronologiam nostram Genealogicam I. Gentilitij excursu ij. De eorum, qui se nuptijs tradiderunt, connubijs, postea in locis proprijs. Error historicorum. Gentil. 1. excur. 11. in Alberto II.

De Alberti II. Conjuge Joanna Ferretana, & de ejus stemmate, seu familia.

FÆminam hanc, quæ Austrium, Augustumque genus suscitavit, propagavitque, haud immeritò inter mulieres, sapientia, & eruditione illustres libello nostro Italico, Reginæ Christinæ presentato, sub classe 2. connumeravimus. Nec Vates ille aberravit, talia de ea canens.

Nomine quo merito, voluens monumenta vocabo
Te nunc; mortali non est tua prodita ab ore
Vox, Iani nata, an proles Iovis aurea magni?
Vnde queo Divam te compellare Ioannam.

A 2 In

In ea cum insigni literariæ facultatis possessione, ac linguæ Latinæ in scribendo, & loquendo promptitudine, expolitione, & cultura rara indoles, ingenua gratia, incredibilis, imperterritaque magnanimitas. Ad quæ probanda sufficit nunc præter alia hoc dignum omni admiratione exemplum à Guillimanno adductum. Obtento, ut diximus, placito & assensu à Gerardo Basiliensi Episcopo de successione filiarum in Ferretæ Comitatum cum Clausula de petenda à Summo Pontifice confirmatione, quamcitius Vdalricus, nulla interposita mora, Avenionem cum Ioanna filiarum maxima profectus, Ioanni XXII. Pontifici Maximo etiam suam petitionem probavit, eloquentia maximè, & elegantia Ioannæ, quam coram Pontifice causam suam, & sororum Latinè perorasse ferunt. Mandavit Pontifex Vitali Archiepiscopo Vesontionensi, &c. ut supra. Hanc tamen historiam spectans ad ingenium Ioannæ diversimodè prorsus refertur à quodam auctore alioqui docto, ac devoto, cujus felicitas potius in eo nominalis quā realis, ut quilibet, ejus dicta aut scripta non rigidè censurando, veluti ipse cum alienis se gerit, sed fraterno corde commiserando, publicè testatur. Refert, ut dixi, auctor iste eandem historiam, & ex aliorum relatu, sicut fatetur, nihilque aliud super eam cogitans, quam ipsam rescribere, & ea paginis suis adimplere, duos in errores, rationi temporis, & veritati pugnantes, infelici casu illabitur, hoc modo scribens. Hanc (scilicet Ioannam) tradunt, egregiè literis, tantaque insigni fuisse eloquentia excultam, ut Romam Religionis causa profecta Latino Sermone Summum Pontificem sit allocuta, ut Pontifex ipse & cæteri ingenij præstantiam admirarentur. Relatio præsens altera à commemorata Guillimanni esse non potest. Pontifex enim Benedictus X. dictus XI. obijt 1304. Clemens verò. V. creatus fuit Lugduni 1305. & ab eo ob seditiones Italicas Roma Avenionem, ubi circiter annos 70. usque ad Gregorium XI. qui eam iterum Romæ fixit, commoravit, Sedes Pontificia translata. Qua de re Ioanna etiam si anno 1304. æditam in lucem esset, nonnisi infantula, & fortè in incunabulis fascijsque inveniri potuisset. Anno deinde 1370. in quo Vrbanus V. decessit, & Gregorius XI. electus est, non amplius ipsa vivebat. Ejus enim mors contigit 1351. ex Guillimanno ante obitum mariti annis 7. cum eodem, vel ad minus 5. cum Roo. Igitur si locus ubi tunc oravit Ioanna coram Summo Pontifice Ioanne XXI. dicto XXII non fuit Roma, sed Avenion, & perorandi causa non Religio sed succedendi cum sororibus hæreditati paternæ facultatis impulsio; illa duo commemorata (si tamen à Thaleteno scriptore fideliter adducta sunt) perperam omninò asseruntur. Verum ista tam aperta allocinatio fœdissima est historicis tantum, cum Ioannæ pietati, etsi non vera, ex merito commendabilis videatur. Ast altera, quam modo tradam, tantæ mulieris nobilitati (descenderat enim ait Cuspinianus, at non erat unica Vlrici filia, ut ipse retulit, ex claro Burgundiorum sanguine, quod debet intelligi tatione matris, ut inferius in Ganealogia) ac honori quem publico nomine condecoraverat, suis utique virtutibus mirandum in

Loco ubi supra

Thales Francisc. canus cap. 4. lib. 2. fol. 158. impugnatur.

Loco cit.
Loco cit.

Cusp. in Alberto I. Imp.

modum

modum præventa, ac honori, quod debet intelligi ratione matris, ut inferius in Genealogia, plurimum ſanè adverſa, noxiaque. Igitur hic quidem locus admonet enormis & atrocis calumniæ ab Ioanna Auſtriaca removendæ, reperti enim ex ignorantia, impudentiaque ſcriptores, qui Duciſſæ Auſtriæ dolo perijſſe Ludovicum Cæſarem memoriæ tradere non dubitarint. Primus tamen, niſi fallor, qui veneficii ſuſpicionem Ioannæ, quam Alberti Ducis Auſtriæ relictam nominat, imputaverit, Ioannes Nauclerus fuit, cujus hæc ſunt verba. Eodem anno ſcilicet 1347. quinto Idus Oct. obijt Ludovicus IV. Rom. Imp. anno regni ſui 33. hoc modo. Ioanna Duciſſa Auſtriæ ex Sueviæ reverſura in Auſtriam, voluit Ludovicum Imp. viſitare, qua die Princeps cupiens cum ipſa, relicta quondam Alberti Ducis Auſtriæ, ſpectaculum habere apud Monachium, & omnibus cum hilaritate conſummatis, cum ex eodem poculo princeps à Duciſſa porrecta biberet, ſtatim ſenſit ſe gravatũ. Unde accepta occaſione, & exercitij gratia, exivit venatũ, paralyſi dein percuſſus, de equo in terrã corruit, & mox expiravit. Quo mortuo, fama volavit, quod de poculo intoxicatus eſſet, tamẽ nõ fuit clarũ, unde ſepultus eſt in oppido Monachio in Eccleſia parochiali B. Mariæ Virginis juxta Beatricem Conjugem ſuã. Hæc ille. Non igitur malè conjectatur, Nauclerũ, ad hoc apertiſſimũ mendacium paginis mandandum, priorem extitiſſe. Nam Ioannes Trithemius & Albertus Cranzius, Nauclero æquales haud parum diſſentiunt, & Duciſſæ Auſtriæ quidem attribuit, ſed cui *Maultaſch* cognomentum. Ab his etiam abit omnibus ætate prior Andreas Presbiter Ratibonenſis, qui Auſtriacam ſororem fuiſſe Maultaſchiæ ſcribit. Ex quibus haud perſpectu difficile eſt, quam procul id facinus ab Ioanna. Enim verò præter quod prædicti ſcriptores omnes & ipſe inprimis Nauclerus famam tantum de ea re volaſſe, neque fuiſſe clarum teſtificantur: Id certè ſatis conſtat ex omnibus Auſtriacis monumentis, nullam Auſtriæ Duciſſam Maulthaſciæ vocabulo unquam memoratam, ſed Margaritæ Teriolenſi adhæſiſſe, quam per eandem imperitiam, & hallucinationem Auſtriæ Duciſſam vocant, cum Carinthiæ debuiſſent, ſi tamen Duciſſam facere volebant. Quod verò Auſtriacam Duciſſam Atheſinæ, hoc eſt huic Margaritæ ſororem tradit Andreas, inde vanitatis arguitur, quod compertiſſimum ſit, Margaritæ ſororem nullam in rerum natura extitiſſe.

Sed neque in patrando ſcelere concordant. Trithemius in menſa, & poſt venationem, Andreas inter venandum admiſſum refert. Neque etiam cauſam veroſimilem idem Andreas promit, cur Margarita auſa ſit, faciei ſcilicet deformitatem, & ob id inter ſuos contemptum, ac proinde quæſitam per ſororem vindictam. Erat Margarita (ut ipſam quoque tam iniqua & turpi nota eximamus) Ludovici Marchionis Brandeburgici uxor, Imperatoris Ludovici filij. Apud eundem minimè pro vili & deſpecta egiſſe, ſed amorem inter eos ſyncerum, & perpetuum, fidemque veram atque manifeſtam eo uſque fuiſſe ſemper teſtatur ipſemet Marchio literis, quibus

Calumnia injuſta Ioannæ Alb. II. Uxori repellitur.

Naucler. vol. 3. Gener. 45. ad ann. 1347.

Ioann. Trith. Albert. Cranz.

Errores Hiſtoricorum de Margarita Maulthaſci. Illorum diſſonantia de eadem circa poculum venenatum.

Eximitur etiam Maultaſchia ab eadem infamia.

usum fructum suarum arcium & ditionum Kapstein, & Kitzbuchel Margaritæ assignat novo post quam pater excessit anno. Quod si in precio habuit contemptam à socero, haudquaquam probabile, præsertim cum hujus se ipse Matrimonij auctorem præbuerit. Hæc ex M. S. quod pariter ad convincendum Nauclerum de tam manifesto mendacio adversus Ioannam Ferretanam, tria pergit immediatè, quorum primum (nisi mendum, haud Aritmeticè, sed soluta oratione ibi adnotatum, librarij esset) lapsum, valdè enorme, & in contradictorium adducens auctorem, involueret. Afferam ejus formalia verba. Nam, inquit, quam Ioannam Nauclerus Alberti Austriæ Ducis relictam putet, haud ego explicaverim. Manifestum quando est, Albertum *duodecimum* propè annum post Ludovici Imperatoris obitum implevisse, & Ioannam Vxorem septimo ante ipsum morte defunctam. Neque alius ante in familia Austriaca Albertus est, qui Ioannam conjugem habuerit, &c. Vtrumque exemplar apud me, & utrumque etiam ponit duodecimum propè annum, & ut puto erroneè pro anno 59. Etenim cum Albertus II. ex communi sententia anno 1358. obierit, ac septuagenarius, ut prædiximus, consequenter ejus nativitas contigit 1288. nuptiæ 1323. cum esset ipse ann. 35. Insuper moriens Cæsar Ludovicus anno 1347. necessario expleverat Albertus annorum 59. ac propè sexagesimum post ejusdem Ludovici interitum reperiebatur. Claudit tandem Auctor Ioanneam apologiam hoc modo. Albertus Argentinensis, & Henricus Rebdorffensis, qui eodem tempore vivebant, & postremis temporibus Ioannes Aventinus, cui Bavariæ Bibliothecæ, Principum tabularia, & pleraque alia monumenta patuerunt, apoplexia cecidisse in venatione tradidere, nulla mentione facta veneni, aut alterius malæ fraudis. Quos secuti Onuphrius, Petrus Mexius, & doctissimus quisque recentiorum. Sed neque causam ipsa quoque Ioanna habuit, cum eo tempore nulla inter Austriacos, Bavarosque dissensio, æmulatio, ira, odium; sed potius pacata, tranquilla, amica omnia essent, & arcto inter se se fœdere continerentur. In superiore sanè Germania pauco admodum antequam Ludovicus desideraretur, tempore, Ioannam adhuc rexisse plura documenta, & non pauca ab ea præclarè instituta demonstrant. Inter alia Matris hæreditatem, ipsa adhuc apud Comitem Cattimelibocum vivente, tertium maritum, cum sororibus divisit, & Rotenfelsæ dominium, aliaque nonnulla forte accepit Altkirchij VII. Kal. Septem. partientibus totam hæreditatem in partes quatuor æquales quatuor viris, Henrico à Grauvilre, Petro Schallero Basiliensi, Hermanno ab Koppach equite, & Anselmo à Mrsburgo nobili. Eadem fœdus quinquennale cum Ioanne Episcopo Basiliensi conclusit Basileæ, sabbato post D. Bartholomæi, multis conditionibus, quas approbavit Albertus apud Pontem Muræ in Stiria sabbato post S. Crucis exaltationem. Quo quidem ipsa rursum die apud Pontem Arulæ Sanctimonialium nobile monasterium Schoennisij protegendum suscepit, earumque privilegia confirmavit.

Error enormis M. S. Guillim. castigatur.

Cæsar Ludovicus qua morte perierit.

Laudatur Ioanna ex suis alijs facinoribus.

firmavit. Postremo & Ioanni nobili à Fravvenfeld, quem Argoviæ, & Turgoviæ Præfectum fuerat, literas dedit, quibus ejusdem monasterij tutelam habere jussit feria 4. ante D. Matthæi, cum Aquis Helvetijs tum etiam versaretur. Ad Ludovicum tamen venisse, & acceptam ab eo honorificè, testatur etiam supranominatus Albertus Argentinensis Vnde tamen improbæ conjecturæ porrectum ab ea venenum, quod brevi postea esse ipse desierit. Sed ad

Stemma Genealogicum.

LVDOVICVS Comes Ferretæ, ac Montisbellicardi. Vxor Sophia Friderici Ducis Mosellani ultimi filia, Theodorici neptis, Friderici I. proneptis. Ludovicus possedit tres Comitatus, Amanicæ, Montionis, & Barri. THEODORICVS administrator Comitatus Virodunensis stirps hodiernorum Ducum, ac Marchionum Lotharingiæ præter alios habuit etiam duos filios. Vxor Hermentruda filia Guilelmi Burgundiæ Comitis, ea condidit monasterium Frigidi Fontis anno 1105. vulgò Kalthrum. FRIDERCVS Comes I. Ferretæ. Vxor Petrissa Bertholdi II. Zeringij filia. Frater Friderici Theodoricus I. Comes Montisbellicardi, ex quo Theodoricus II. cujus Vxor Gertruda Habsburgica, filius vero ex eamet Ioannes, parens Theodorici III. qui Theodoricum IV. procreavit, cui filia hæresque Comitatus Montisbellicardi Gullielma Vxor Reginaldi Comitis Burgundiæ, unde nata Ioanna Ferretana Vldarici Vxor. FIDERICVS II. ac I. filius, ex quo VDALRICVS I. genitor II. qui vendidit Comitatum Ferretarum Episcopo Basiliensi anno 1171. Ex Vldarico II. ortus THEOBALDVS, & ex Theobaldo VLDARICVS III. ultimus hujus familiæ. Vxor Ioanna Comitissa Montisbellicardi, cum qua nulla proles mascula, sed fæmina quadruplex, IOANNA Vxor ALBERTI II. Austriaci Sapientis, Vrsula, Margarita, Adelheidis.

SECTIO V.

MATRIMONIVM X. DVPLEX.

Otho Dux Austriæ, Stiriæ, & Carinthiæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, & Portus Naonis, Comes Habsburgi, & Kiburgi, Landgravius Alsatiæ cognomento Venustus duas Vxores habuit, Elisabetham Bavaram, & Annam Lucemburgicam: illam duxit altero post anno nuptiarum Alberti II. fratris, hanc verò 1335. Pontificatus Benedicti XI. anno 2. Imperij verò Ludovici IV. 20.



Mnes controversias, quæ adduci possent de prolibus eorumque conjugibus, ac posteris Alberti II Imperatoris, superius in Matrimonio ejusdem Cæsaris distinctè, atque exactè enucleavimus. Quamobrem in præsenti connubio de quo Roo lib. 2. sub anno 1312. juxta ejus supputationem, communi errore fulcitam, cum brevis dicendi materia supersit pro comperto nobis erit, Othonem hunc, extincta prima conforte Elisabetha, è qua anno sui conjugij primo suscepit Fridericum, ac deinde Leopoldum, de quibus inferius, transisse ad alteras nuptias hac de causa. Rex Bohemiæ Ioannes, paulò ante commemoratus, ex Gallia in Bohemiam regressus, cum Norimbergæ bellum quod inter Imperatorem, & Bavariæ inferioris Duces paulo ante exarserat, composuisset, colloquiumque cum Alberto, & Othone Batavij habuisset, & vice Guthæ Annam filiam minorem Othoni despondisset, Avenionem ad Pontificem acceleravit, tentataque iterum in vanum nomine Imperatoris concordia, in Italiam transijt atrocius tumultuantem. Ibi pluribus factis prælijs, & plerisque secundis, parum tamen ad Imperij summam, & stabilitatem profuturis, propter rebellantium frequentiam, & multitudinem, cum Carolum filium ad regendam Bohemiam misisset, in Galliam, desperatis Italicis rebus, redijt, & Belgicis motibus, ne unquam quiesceret, belloque, quod Comes Flandriæ, Episcopus Leodicensis, & Marchio Iuliacensis contra Brabantiæ Ducem susceperant, se adjunxit. Carolus ex Italia in Austriam veniens, fædus & amicitiam cum Austriacis Principibus renovavit, & quo firmior & longior esset, Annam sororem continuo è Gallia, ubi apud Gutham alteram sororem educabatur, accitam, Othoni collocavit, nondum duodecimum annum egressam, magnum inde quoque subsidium ratus, si Bohemiæ Barones nova in se consilia molirentur, aut Regno abalienata recuperare volenti obsisterent, &c.

Guill. M. S. lib. 6. ad ann. 1334. Quare Otho transierit ad 2. nuptias.

Ann. 1335. in quo obijt Henricus Carinthius.

Cæterum Otho (de ejus gestis, virtutibus, & laudibus loco proprio) compositis in Alsatia rebus in Helvetiam transijt, frustraque inter comites Habsburgios qui Rapervvillæ agitabant, & Toghenburgios eorumque auxiliares Tigurinos, concordia tentata, cum filium Fridericum admodum adolescentem omnibus superioribus provincijs Austriacis præfecisset, eumque Reginæ Agneti sorori, quæ apud Campum Regis Sanctimonialibus præsidebat, impensius, & velut extremum commendasset, in Austriam aborta valetudine redijt, ubi 13. Kal. Martij excessit A. C. 1339. Sepultus est apud novum montem, quod Ordinis Cistertiensis monasterium in honorem Deiparæ matris & omnium Sanctorum in remedium animarum progenitorum suorum, nec non in perpetuam sui memoriam, fratrum hæredumque suorum fundaverat A. C. 1327. Reliquit ex Elisabetha Bavara Fridericum, & Leopoldum, qui eo in Principum numero intermittitur, quod per ætatem ad nullum regimen pervenerit. Anna Bohema secunda nihil

Ann. 1339. Obitus uxores, & liberi.

nihil protulit. Obijt illa 1330. VIII. Kal. Aprilis: iſta 1338. III. Nonas Septemb. ætatis 16. Erat enim nata Anna 1323. VI. Kalend. Aprilis, utraque ante maritum eodem monaſterio condita. Hæc M. S. Guillimanni. In Eicone Kilianica hoc conjugium in conſultò quidem triplex eſt, ait enim ibi dilucidator, Vxor I. Eliſabetha Bavara Stephani inferioris Bevariæ filia. His nuptijs pax Patavij inter Auſtriacos fratres & Bavaros, anno 1312. facta, confirmata eſt. Vxor 2. Anna filia Ioannis Lucemburgij Bohemiæ Regis quæ obijr auno 1340. Vxor 3. Eliſabetha III. Auſtriaca, deſponſa Eduardo Angliæ Regi, ante nuptiarum diem obijt: ſed hæc fuit filia, &c.

GENEALOGIA ELISABETHÆ,

Filiæ Stephani Ducis inferioris Bavariæ, patruelis Ludovici Imper. & primæ Othonis Conjugis.

OTHOBONVS, & illuſtris Dux Bavariæ, & Palatinus Rheni Elector. Mortuo Patre conventum provincialium ſuorum Ratisbonæ ad Id. Ian. A. C. 1232. indicit. Sed Henricus Cæſar filius Friderici II. Imperatoris abſentis in Italia edicto hoc vetat, & civibus præcipit, ne Othonem ut dominum recipiant, ſuſpicans ipſum cum Gregorio IX. Papa Clandeſtinum fædus inijſſe, & Imperium occupare velle, conſcripto etiam exercitu Bavariæ fines ingreditur, Ratisbonam obſidet, ferro flammaque omnia vaſtat. Tandem interventu Eberhardi Epiſcopi Saltzburgenſis res compoſita eſt, & Otho filium Ludovicum quadrimum Henrico Cæſari obſidem dare cogitur, quod Inperator in Italia receiſcens, legatos in Bavariam mittit, & filium ab armis diſcedere, ac Othoni obſidem reddere jubet. Bavariæ tetrarchias Comitum à Bogen, Windberg Andechs, quæ & Damaſia, Hohenvvart, Phalaij, Craniburg, Pleinting, Libenau, Waſſerburg à Balaunis, cum harum reguli ſine liberis deceſſiſſent, adjecit; Troſtbergæ arcem ædificavit. Landshutum cum Vxore & filio Ludovico veniens, cum hilarem ſumpſiſſet diem, qui fuit 28. Novemb. nocte ſequenti ſubito extinctus eſt A. C. 1253. Vxor Gertrudis (quæ Aventino, & reliquis nominatur Agnes) filia Henrici Palatini Rheni Electoris, & Ducis Brunſuicenſis, ac Lunæburgenſis, neptis Henrici Leonis, &c. cum qua accepit Palatinatum Rheni. Mortua A. C. 1269.

HENRICVS Dux Bava-riæ inferioris natus 1231. 13. Kal. Decemb. Dũ in Vngaria apud Belam ſocerum cõmoraret, Othocarus Rex Bohemiæ Duce Bohone Roſenburgenſi Bavariã depopulatur. Ricardũ Anglũ auxilio fratris Ludovici ex Belgico in Germaniam ducit Aquiſgranũ & in ſolio regio, octo Pontificibus benè precantibus, collocat. In Bavariam reverſus, cum Bohemo

hemo inducias facit. Sub vesperam vero Rege fugam capescente, ac reliquo exercitu vidente se desertum subsequente, Bavarici exercitus milites persequuntur Bohemum, magnamque cladem faciunt. Rudolpho Imperatori adversatur. Moriturus testamento cavit, ne filijs terras dividere liceret, & ut minores natu majoribus obedientes essent. Obijt 1290. 3. non. Feb. Burchusij sepultus Landshuti in Salingthal. Vxor Elisabetha filia Belæ Regis Vngariæ

Ludovicus moritur
cælebs 1296.

OTHO Dux Bavariæ secundæ, vel inferioris electus in Regem Vngariæ 1309. (alij 1305.) Adolpho Imperatore contra Albertum I. Imperat. militante, Neoburgum obsedit, & Scharingio præsidio firmato, Austriam vastavit. Falchensteinium ob crebras inde factas eruptiones, & vastationes expugnavit. Reconciliatus Imperatori cum armata manu per Stiriam intrare vellet Vngariam, impeditur ab eodem. Captus tandem ab Vngaris, ad Moscovitas vel Russos relegatur, ubi agnitus à vicinis Borussis, mirabili providentia divina liberatur, & suis restituitur. Moritur 5. id. Sept. 1312. ætatis 51. Sepultus Lands. in Salingthal. Vxor ejus I. Catharina Rudolphi I. Imper. filia mortua ἄπαις. 2. Agnes, filia Ladislai ulterioris Vngariæ, & Transiluaniç Ducis, vel Ducissa Glogaviensis. Vixit ad ann. usq; 1361.

STEPHANVS Comes Palatinus in Schyren vel Bavariæ inferioris electus in Episcopum Juvavensem, administrationem Ecclesiæ non suscepit, intentus magis in res politicas. Plurima enim auxilio fratrum bella gessit. Vltimo auxilio fratris Othonis ad Schardingium in ripa Oeni Austriacos Duces cum Episcopis vicit, & castra ipsorum diripuit A.C. 1311. Post hanc victoriam triumphans Landshutum ingressus mortem cum vita commutat 11. Kal. Jan. anno eodem vitæ vero suæ 40. Liberos impuberes fratri Othoni commendans, sepultus Landshuti in Salingthal. Vxor Guta, vel Juditha filia Ducis Poloniæ Bulconis, genitrixque ELISABETHÆ, conjugis OTHONIS Audacis Austriaci Ducis Stiriæ, atque Alberti I. Imperatoris filij. Fratres Elisabethæ.

HENRICVS Palatinus in Witelsbach Comes in Audechs. Moriturus testamento unicum filium tutelæ Ludovici Imperatoris commendat. Obijt 1339. Kal. Septem. Vxor Margarita filia Joannis Regis Bohemiæ, mortua 1340 5. idus Julij. JOANNES Dux Bavariæ secundæ vel inferioris Comes in Andechs; cujus tutor & hæres Ludovicus Imper. Moritur ἄπαις A.C. 1340. 11. Kal. Id. sepultus in Salingthal. Vxor Elisabeth filia Ludovici Imp. & Ducis

Ducis Bavariæ ſuperioris. Otho Marchio Abacenſis & Comes Waſſerburgi obijt 1335. Vxor Richarda Julianenſis. Sorores vero Beatrix, & Agnes, illa duobus nupta, primò Henrico III. Comiti Goritiæ, & Carinthiæ, deindè Ruperto Palatino Rheni Electori; hæc auten monialis.

Liberi Othonis Ducis Bavariæ, fratriſque Stephani præfati, atque Eliſabethæ Othonis Auſtriaci Vxoris parentis, Agnes, conjux Henrici III. Comitis Ortenburgenſis, hæres bonorum maternorum, & Henricus Naternbürgenſis, nominatus ab arce, ubi educatus fuit, Rex Vngariæ nomine tenus, & Dux Bavariæ inferioris, natus 14. diebus ante obitum patris. Commendatus à patre per Senatum Straubingenſem Landshutenſemque Ludovico IV. Duci Bavariæ ſuperioris, & Imp. qui tutor & hæres ejus fuit. Naternbergi dum ſe in ſaltando nimium exerceret, crus fregit, & vitam finijt 1333. Sepultus in Salingthal in ſuburbano Landshuti templo cælebs. Poſt hæc immediatè M. S. ponit. Ex Eliſabetha duos genuit filios Otho, Fridericum, Leopoldum. Quibus priori additiuncula, alijs literis ſubſcripta, *Obijt 1344. Kal. Decemb.* Poſteriori. *Obijt 1345. propè patrem ambo ſepulti, cum poſt illius mortem Elſatiæ, Sueviæ, Turgoviæ, Ergoviæ præfuiſſent,* &c Quæ haudquaquam repugnant verbis illis, ſuperius de Leopoldo allatis (ut antea ſuſpicatus fueram, ubi de liberis Alberti Cæſaris) ſcilicet, *Qui eo in Principium numero intermittitur, quod per ætatem ad nullum regimen pervenerit.* Nam licet ſponſalia cum Friderico Germano uno eodemque anno celebraſſet, tamen re ipſa gubernium penes natu majorem ætate idoneum illarum Provinciarum erat, cum quo impubes adhuc Ludovicus non actu præfuit, ſed potentia.

EIVSDEM ELISABETHÆ

Paterni, ac materni progenitores.

OTHO I. Auſtriacus. Vxor I. Eliſabetha Bavara, cui parens Henricus, Dux Bavariæ, ac Othonis Ducis Bavariæ Palatini Rheni (hunc Ludovicus Dux Bavariæ ex Ludomilla Vladislai Regis Bohemiæ filia procreaverat) filius, cujus Vxor Agnes Palatina, & Brunſuicienſis, filia Henrici Ducis Brunſuic. Electoris Palatini, & Clementiæ filiæ, & hæredis Conradi Palatini Electoris fratris Imp. Barbaroſſæ Mater vero Eliſabethæ Juditha Suidnicenſis, ſed ava paterna Eliſabetha Hungara. Fuit Iuditha Bochonis Ducis Suidnicenſis in Sileſia genita ex Beatrice Brandeburgica, quam cum Catzelina Bohema, Premislai Regis Bohemiæ, & 2. conjugis Conſtantiæ genita Belæ Regis Vngariæ filiæ OthoMarchioBrandeburgicus, alterius Othonis Brandeburgenſis per Beatricem Premislai Othocari Regis Bohemiæ filiam genitus, ediderat: Et ipſe Bocho gnatus Boleslai Calui, Ducis Suidnicenſis, ac filij Henrici Pij Ducis Vratislau. ex Anna Othocari Bohemiæ

hemiæ Regis filia, cui uxor Heilvviga Analtina, quam genuit Henricus Analtinus, Electoris Brandeburgici filius cum Methilda filia Ducis Brunsuicensis. Parentes vero Elisabethæ Avæ Bela IV. Rex Vngariæ & Maria Haliciensis, ille Andreæ Hierosolimitani Regis Vngariæ, & Gertrudæ, quam Bertholdus Dux Meraniæ genuerat, mariti, proles; ista verò Micislai Ducis Haliciensis, cui Vxor N.

ANNÆ, SECVNDÆ OTHONIS

Vxoris, Prosapiæ series.

CONRADVS III. Comes Luceburgensis VII. obijt 1193.

De Henrico VII. Imperatore.

HENRICVS I. Comes Lucenburgensis VII. mortuus 1272. Vxor Margarita filia Henrici, Barri Comitis.

HENRICVS II. Comes Lucelb. Plundelus cognomento, & Comes Limburgensis in conflictu contra Ioannem I. Brabantiæ Ducem cadit 1289. Vxor Beatrix, filia Balduini Aviniensis Comitis Hannoniæ.

HENRICVS VII. ex Comite Lucelburgensi X. Imperator electus de consilio Balduini fratris 7. mense ab interitu Alberti I. Imp. Cal. Novemb. (alij 7. Cal. Decemb.) anno. C. 1308. Mildeburgi, vel Francofordiæ, coronatus Aquisgrani 8. id. Ian. 1309. ab Archiepiscopo Coloniensi. Eberhardum Comitem Wirtebergensem ob contemptum sui per Conradum à Winsberg omnibus penè fortunis spoliavit. Fridericum Austriæ Ducem Bohemia cedere coegit. Italiam turbatam factionibus Guelphorum, & Gibellinorum sedavit. Turrianos Mediolani oppressit, ac Mattheum Vicecomitem restituit, ibique in Regem Lombardiæ in Ecclesia S. Ambrosij à Cassano Turriano Archiepiscopo Mediolanensi coronatus est. 8. idus Ian. 1311. Cremonam & Brixios vi cepit. Robertum Regem Neapolitanum ob crimen læsæ Majestatis proscripsit, & regno Campaniæ, Apuliæque privavit. Romam auxilio Columnensium contra Vrsinos occupavit, & coronatus est tertio in Basilica Constantiniana à tribus Cardinalibus 1312. Cal. Augusti (alij Cal. Iul.) Florentinos obsidione gravissima pressit. Dum properat ad Robertum Regem, invitantibus ipsum Neapolitanis, necatus est non sine veneni suspicione die S. Bartholom. 1313. Symbolo usus est Lancea erecta, in cujus suprema parte Serpens quinquies flexus cum inscriptione, *Loco & tempore*. Cadaver Pisas translatum, est die 25. Sextilis

Symbolum Henrici VII.

cum

cum vixiſſet annos 51. menſem 1. dies 7. Ejus Vxores tres. I. Catharina, filia Alberti I. Imper. Sed hæc ante nuptias vitam finijt. 2. Heſter Opolienſis Polona. 3. Margarita filia Ioannis Ducis Brabantiæ nobiliſſima matrona, erga pauperes benefica, erga Sacerdotes liberalis, rei divinæ ſtudioſiſſima, maritum ſecuta Romam, cum inde Genevam reverſa eſſet, diem ſuum obijt A. C. Sepulta ibidem apud Minores. Proles ex poſtrema ſex, mas unicus, fæminæ reliquæ, & hæc Beatrix, quæ nupſit primò Balduino Hennino IV. Fpntaniæ & Boſui Domino mortuo 1295. ſecundo Carolo Regi Vngariæ & in partu obijt, Maria nupta Carolo Pulchro Regi Franciæ, quæ filiam enixa, ad Iſſodonum animam exhalavit, N. Vxor Rudolphi Palatini Rheni, *Catharina Conjux Leopoldi cognomento Equitum gloria Ducis Auſtriæ*, & Maria conſors ſecunda Henrici IV. Comitis Vadanimontis. De Carolo IV. Imperatore.

Hic debeo aliquid addere in gratiam Typographi, qui hallucinatus in conponendo, confudit originale, atque exinde partem unam folij medij huic propter totius Geneſis integritatem, præſenti additùncula exaratam addidimus.

Afferam ergo Manlium, qui loquens de Matrimonio Leopoldi, unicum tantum facit, & de paulo ante exhibito nec minimam commemorationem. Leopoldus, inquit, Dux, gloria equitum auratorum, qui in re militari magnum emolumentum, atque eximiam utilitatem Romano Imperio creavit, Vxorem habuit Catharinam Comitiſſam Sabaudiæ. Ambo Konigisfeldæ honore clari extant. Taucit ergo Manlius hanc Catharinam, utroque parente, & utraque claritudine nobiliſſimam Fæminam, uti ex ſupra dictis liquido apperet. Et quidem, ſi teſte Gans ut ſuperius dictum eſt, & teſtibus etiam alijs ſcriptoribus minus neotericis ex iſthac Catharina tantum binam prolem muliebrem Auſtriacus, generoſuſque Princeps procreaſſe pro comperto affertur, cur ipſam Manlius præterierit, prorſus ignoro. At non mirum, cum in ſimilibus non ſemper hiſtoricorum mens adeo libera inveniri poteſt, ut plerumque vel laſſa, vel varijs cogitationibus paſſim agitata, vel propter cordis mærorem, diverſis ex cauſis nonnunquam exortum humana vacillamenta pati nequiverit. Nec alia de re tanta apud me circumſpectio circa ea, in quibus auctores Auſtriaca tractantes, diſcrepant, niſi quod ab omni faſtidio vellem (quantum in me eſt) lectorem eximere. Aſt quotiens me in nonnullis reprehenſione dignum quiſpiam repererit, ne miretur, ſed commiſereatur animo eodem, quo ipſe omnes commiſerror & abſque ulla carpendi voluntate, aliquando nonnullorum lapſus adverto. Præſentem Genealogiam, quam modo texeo, in- Manlius in Leopoldo fol. 48.

tegram mutuavi ex illo cap. 3. Guillimanni in Othone; sed debebat auctor eam scribere cap. 4. ubi posuit Othonis primæ Vxoris Elisabethæ prosapiam, ut melius temporis ratio inde elucesceret. An verò auctor eam ab Henningio desumpserit, non possum aliquid certi respondere, cum Genealogistam illum non amplius præ manibus habeam. Vsus sum eo in præhabitis Genealogijs & tam primo, quam altero matrimoniorum ordine. Debet tamen cautè etiam in re historica legi, tanquam auctor acatolicus, & ab Ecclesia prohibitus, & damnatus. Hactenus pro satisfactione impressoris, ut dixi. Igitur illius Genealogiæ totius, à Guillimanno conscriptæ, extra quam coacti præhabitam advertentiam interposuimus, cæteri gradus, eandem componentes sunt, ut sequitur.

Ioannes (hunc Fossardus Henricum nominat) Comes Lucelburgensis XI. & Rex Bohemiæ cognomento Cæcus, quod venenum acceptum pellere conatus, utroque esset debilitatus oculo. A morte patris contractis novis copijs, quibus Italicas suppleret, Civitates, quæ in fide perstiterant, in suam quoque fidem receptas defendit. Bohemiæ regnum magna porte Silesiæ, & Lusatiæ utraque dilatavit. Occubuit in bello Francico, cæsus ad Cressiacum ab Eduardo Aghliæ Rege X. Kal. Sept. 1346. Vxor I. Elisabetha, filia Friderici Pulchri Ducis Austriæ desponsata, sed innupta Virgo obijt. 2. Elisabetha altera, filia Wenceslai Senioris postremi Regis Bohemiæ, neptis Rudolphi I. Imper. ducta 4. Febr. 1311. cum qua Regnum accepit. 3. Beatrix, filia Ludovici II. Ducis Borbonij, ac septem liberorum procrecreatrix, Wenceslai (alij hunc ex Beatrice solum natum existimant) Comitis Lucelburgensis XII. investiti à Carolo IV. Imperatore, & fratre in Ducem Brabantiæ 1356. mortui 1383. sepulti Lucelburgi (alij Orivali) Vxor Ioanna filia Ioannis III. Ducis Brabantiæ, vidua Wilhelmi Hollandiæ Comitis. Ioannis Henrici Lucelburgici Marchionis Moraviæ, Primislai, Margaritæ Henrici Ducis superioris Bavariæ Vxoris, Guthæ Ioannis Regis Franciæ elocatæ, & Annæ Othonis Austriæ Ducis conjugis. Sed ex 2. Vxore Elisabetha natus Carolus IV. Rex Romanorum, vel Imperator appellatus contra Ludovicum Bavaruum jussu Clementis VI. Papæ à Gerlaco de Nassau Moguntino, Walderamo Iuliaco Coloniensi, Balduino Lucelburgico Trevirensi patruo, Ioanne Rege Bohemiæ patre suo, & Rudolpho Duce Saxoniæ in villa Rens Dioce-

sis

ſis Trevirenſis 5. idus Iulij 1346. Coronatus Bonnæ (Aquiſgranenſes enim Ludovico adherentes recipere ipſum noluerunt) à Colonienſi 7. Cal. Decemb. 1346. Mortuo verò Ludovico Bavaro Imp. ſententiam ex Principibus multi mutarunt, & hunc ut intruſum ad gubernationem admittere noluerunt. Conventu itaque habito accerſerunt Eduardum III. Angliæ Regem anno 1348. illoque hanc dignitatem cum gratiarum actione averſante, Fridericum Marchionem Miſniæ, & Landgravium Turingiæ vocaverunt ad Imperium. Sed cum is recipere hoc ſe excuſaret, Guntherum Comitem Schuartzburgicum elegerunt 1344. 4. Nona, Febr. Francofordiæ. Hic cum Vrbem obſidione cingeret, jamque intromiſſus eſſet, leviter decumbens, à medico ſuo, quem Carolus ſubornarat, veneno necatus eſt circa Calend. Auguſti; quo tamen ipſe medicus etiam cum propinatum pharmacum, Gunthero ipſum cogente, prius guſtaſſet, interijt. Hoc itaque defuncto, ſolus Imperio potitur 1349. Italiam precibus Franciſci Petrarchæ in Rege Lombardiæ Baptiſtæ à Roberto Vicecomite Archiepiſcopo Mediolanenſi cononatus 8. idus Ian. 1355. Romæ verò Non. Aprilis, qui erat dies Paſchatis, tertiò à duobus Cardinalibus corona ipſi impoſita eſt anno eodem. Largitionibus ſuis multa ab Imperio alienavit. Multis Civitatibus Germaniæ immunitates ac privilegia conceſſit. Meſis in conventu Principum *Auream* (ut vocant) *Bullam* condidit 1356. Ad oſtium Tanagræ arcem condidit. Pragæ Gymnaſium inſtituit, ubi doctos ad horas quatuor diſputantes audivit, cumque Conſiliarij & purpurati hoc moleſtè ferrent, dicentes ipſi cænæ tempus adeſſe; Reſpondit, mihi tempus eſt minimè. Nam cæna hæc mea eſt. Filio Wenceslao multis muneribus Imperium impetravit A. C. 1376.

Conditor Bullæ Aureæ.

ANNÆ EJVSDEM
Progenitores Materni.

ELISABETH Bohema Annæ Mater. Avus Wenceslaus Rex Bohemiæ, cui parentes Præmiſlaus Othocarus Rex Bohemiæ, filius Wenceslai Regis Bohemiæ ex Conſtantia, quam Bela Hungariæ Rex ediderat, & Kunigunda Bulgara, genita à Roſcillao Rege Bulgariæ cum Anna Belæ IV. Regis Hungariæ filia. Avia autem Annæ, ejuſque genitricis Eliſabethæ mater Gutha Habsburgienſis, filia Rudolphi I. Imp. Habsburgi Comitis, & Annæ Hohenbergicæ. M. S. habet Gertrudæ Froburgenſis ſed perperam, ut in Matrim. Rudolphi probavimus. Cætera pro ſtirpe ejuſdem Rudolphi & Annæ, & pro utriuſque progenitoribus tam in I. Gentil. quam in ſtemmate Annæ præfatæ.

MATRIMONIVM XI.

Fridericus II. Dux Austriæ Stiriæ, & Carinthiæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, Portus Naonis, Comes Habsburgi, & Kiburgi, Marchio Burgoviæ, ac Landgravius Alsatiæ. Ejus Sponsa non ducta Maria Eduardi III. Regis Angliæ filia 1344. anno Pontificatus Clementis VI. 2. Imperij verò Ludovici Bavari 29.



Vperius cum Roo commemoravimus tam Fridericum hunc, quam etiam Leopoldum fratrem, ambosque Othonis genitos. Vtrumque sponsalia celebrasse, licet neuter sponsam duxisset, testatur Guillim. in M. S. tradens pariter sponsalium motiva. Nam, ipso auctore, mortuo eodem fermè tempore Ioanne inferioris Bavariæ Duce, ac Friderici consobrino absque liberis, causa repetendæ hæreditatis ipsi & Leopoldo fratri fuit. Sed proceres Bavari conventu Landshutano, Principatum ad Ludovicum Imp. detulerunt, tanquam Bavarorum Principū omnium antiquissimū, Austriorū jure insuper habito, & rejectis etiam qui in eadē prætensione erant, Palatinis Comitibus, ejusdem Ludovici ex fratre nepotibus. Vbi Ludovicus possessionem inijt, & utramq; Bavariā iterum conjunxit, octogesimo quinto anno quam divisæ fuerant, sanxitq; ut ne ullo unquam postea tempore in divisionem redigantur, quo Fridericū non modo leniret, sed amicū quoq; retineret Mariam illi Eduardi III. Regis Angliæ filiam, quæ Monachij apud Vxorem puella materteram novennis educabatur, conciliavit conjugem, & quadraginta aureum millia dotem. Leopoldo Agnetem suam filiam despondit. Sponsalia utriusque magna celebritate Monachij peracta. Ne ducerent importuna mors obstitit, quæ egregia spe adolescentes intra paucos menses immaturo, ac flebili obitu sustulit. Leopoldum quidem IV. Idus Augusti, Fridericum pridie nonas Decembris, eodem anno Domini 1344. Quamvis non desint, qui Leopoldum sequenti anno extinctum notarint. Mihi hac in parte, ait Guill. Novimontis Annales sequi placuit, in quo Leopoldus sepultus ipso, quem diximus anno. Fridericum apud Campum Regis situm non modo antiqua Monasterij scriptura testatur, sed data apud Pontem Arulæ paucis antequam decederet, diebus, privilegia ibidem quoque vitam exuisse haud temerè persuadent. Alberto patruo omnium hærede, & Austriæ Domus Principe Monarcha.

Guill. M. S. lib. 7. c. 1. in fine.

Obitus utriusque.

Sepultura.

Stirps

Stirps Mariæ Eduardi III. Angliæ Regis filiæ Friderici II. Sponſæ.

EDVARDVS II. dictus de Cærnaruon, vel Carnarivanus à loco ubi natus 1285. Princeps Walliæ conſtitutus 1285. Rex Angliæ XXX. coronatur Weſtmonaſterij cum Vxore 10. Kal. Mart. 1308. Vir malus, futilis, & infelix, atque ingenio minus honeſto, corruptus in juventute à Petro Gaueſtono Vaſcone (quem elegit in Comitem Cornubiæ) capite tandem juſſu procerum truncato, delatoribus aurem præbens, crudelis in ſuos, Vxorem cum filio in exilium abegit, quæ in Galliam ad Carolum Pulchrum abijt. Scotos apud Duncheldinum fugavit 1306. cum ijſdem magna infelicitate & ſtrage ſuorum ad Sterlingium pugnavit 1314. Beruicum amiſit 1316. Optimates alterius factionis ab Hugonibus ſpenſerijs in pugna captos crudeliter interfecit 1322. A Scotis rurſus prælio commiſſo profligatur qui & Eboracum vaſtant 1323. Collegia duo Oxonij condidit, alterum Exonienſe, alterum Cervina Aula nuncupatum. Ab Vxore & filio Eduardo Ioannis Hannoniæ Comitis auxilio è Gallis reduntibus in Angliam 7. Kal. Octob. carceri incluſus ad Kenelvorthem 1352. moritur in arce Barchelegienſi, vel à cuſtodibus necatur 1327. regni 19. ætatis 42. Sepultus Gloceſtriæ in D. Petri cænobio. Conjux ejus Iſabella filia Philippi Pulchri Regis Galliæ, ducta 1303. Obijt Londini 1358. Sepulta in Franciſcanorum cænobio.

Eduardo parenti R. hoc nomine I. non abſque ſanctitatis opinione defuncto valdè degener filius.

EDVARDVS III. Princeps Walliæ, Dux Aquitaniæ, & Rex Angliæ XXXI. natus Windleſoræ in Comitatu Bercheriæ 1311. coronatur in Regem vivo adhuc parente Weſtmonaſterij 4. Kal. Febru. 1326. ætatis ſuæ 15. Cum Philippo Valeſio VI. Rege Galliæ de Gallici regni jure contendit 1328. Eduardum Baliolum in Scotiæ paternum regnum, Davide cum Vxore in Galliam à ſuis ablegato, reſtituit 1333. Sed mox magnam Scotiæ partem cum Baliolo invadit, & Bervvicum obſidione cingit. De Philippo VI. Valeſio Gallorum Rege in pugna navali circa Cluſas ad 10. Kal. Iulij ſua felicitate, & vento ſecundo adjutus, captis ac fractis omnibus ferè Gallorum navibus, victoriam inſignem obtinet 1340. Fanum Odomari & Tornacum obſidet anno eodem. Ad Creſſiacum Pontivi Comitatus oppidum, eundem Regem Philippum VI. graviſſima pugna adortus 7. Kal. Septembr. deletis 30000. Gallorum vincit 1346. in quo bello, quod fuſius Foſſardus deſcripſit, ferè tota nobilitas Galliæ cecidit. Caletum 3. non. Auguſti obſidionis undecimo menſe expugnat, capto Rudolpho Francorum equitum magiſtro, & Ioanne Comite Tancredo Villano 1347. Davidem Regem ad Dunellum, profligato ejus exercitu, capit 1348. Ioannem Regem Galliæ per filium Eduardum VValliæ Principem in Pictonibus cum Philippo filio 13. Kal. Octob. captum in Angliam ducit, cæſis Francorum 6000. & ex

Celebris victoria de Philippo Valeſio.

2. Victoria de eodem Rege, & inſignior.

nobilibus 1500. captis 1356. Postea pax facta est ad Britannicum 8. idus Iulij 1360. Verum instaurato bello 1366. cum Parisiorum & Carnutum vicina loca 1319. depopulatus esset, fortuna minus prospera utitur. Ad Rupellam ab Henrico Castellonensi, Gallis subsidio veniente, insigni clade, amissa classe afficitur 1371. Concilio Londini habito ex sacrorum reditibus decimas in Gallici belli sumptus Sacerdotibus indicit & imperat 1374. Vindesorij fundavit D. Gregorij templum, ibique Sacerdotum collegium instituit 1360. Westmonasterij templum D. Stephani magnificum, & Cantabrigæ alterum, quod Aulam Regiam nominant similiter Collegium Canonicorum D. Stephano sacrum Westmonasterij construxit, & dotavit. Tandem expeditionem in Galliam parans Richemondiæ 11. Kal. Iulij defunctus est 1377. Regni 51. ætatis 65. Sepultus Westmonasterij. Ejus Symbolum ensis erectus in cujus capuli globo Orbis, loco ferri transversi Luna, in acumine Sol cum inscriptione, *Rectè & fortiter.* Vxor Philippa filia Gulielmi III. Boni cognominis, Comitis Hannoniæ, Selandiæ, & Hollandiæ. Liberi Ioannes magnus, Thomas Comes Essexiæ, Dux Glocestriæ.

Instaurat bellū in quo debellatur.

Obitus. Sepultura. Symbolum. Conjux.

Liberi.

Maria Vxor Friderici II. Austriaci. Ejus progenitores paterni, & materni hoc modo serie genealogica, & brevi ab eodem M. S. cap. 2. texuntur.

Mariæ progenitores paterni, & materni.

Fridericus II. filius Othonis. MARIA Angla sponsa, non ducta. Eduardus III. Rex Angliæ Dux Aquitaniæ; 1377. Vxor Philippa 1369. Hanc edidit Guilelmus cognomento Bonus IX. Comes Hannoniæ & Holland. 1337. filius Ioannis II. sine misericordia Com. Hann. Holland. Zeland. Frisiæ 1337. & Philippæ Lucemburgensis, filiæ Henrici II. Com. Lucemb. & Namurci M. Arelunensis, cujus parentes Valeramus, Com. Lucemb. & Namurci 1225. nec non & Ermesinda vidua Theobaldi Com. Barrensis obijt ipsa 1247. Vxor verò Margarita Barrensis, filia Henrici I. Com Barrensis occisis in Syria 1193. & Ioannæ Roberti Com. Druydum filiæ. Genuere Ioannem II. sine misericordia Ioannes Avennensis Com. Hannoniæ extinctus merore 1257. filiusque Botschardi Avennensis Iacobi filij 1217. & Margaritæ filiæ Balduini Com. Flandriæ XVII. & Hannoniæ, Imperatoris Græciæ 1279. atque Adelheidis Com. Alisa, filia Florentij IV. Com. Hollandiæ cæsi 1235. ex Methilda filia Henrici Ducis Brabantiæ & auctoris cœnobij Losdunensis. Conjux Gulielmi Boni Ioanna Valesia, monialis mortuo marito, quæ filia fuit Caroli Com. Vales. ex Vxore prima Com. Cemmanorum & Andium 1325. & Clæmentiæ I. conjugis filiæque Caroli II. Regis Siciliæ, filij Caroli I. Com. Andegau. & Regis Siciliæ, erat Carolo II. consors Maria nata è Stephano Rege Hungariæ, & Regni hæres. Parentes Caroli Philippus Audax Franciæ Rex, ac filius Ludovici V. ex Margarita, Raymundi Berengarij Provinciæ Comitis filia, elocatus Isabellæ Aragoniæ, filiæ Iacobi Regis Aragoniæ, & Iolandæ, Andreæ Hierosolymitani R. Hung. filiæ.

Ortus

Ortus Eduardi III. ut ad reliċtos progenitores paternos & maternos quoque Mariæ ſponſæ redeamus, ex Eduardo II. Rege necato 1327. & Iſabella Franca 1357. Genuerunt hujus connubij maritum Eduardus I. Rex Henrici III. Regis Angliæ filius, conjuxque Eleonoræ filiæ Raymundi Provinciæ Comitis; & Leonora Hiſpana, à Ferdinando Rege Legionis & Caſtiliæ nec non & Ioanna, filia Simonis Comitis de Pontica Galli, progenita. Vxorem verò Philippus Pulcher Rex Franciæ & ex conjuge Navarræ, filius Philippi III. cognomento Audacis 1285. & Iſabellæ, filię Iacobi Regis Aragonij, extinċti 1270. in Apulia, rediens ex Africa; atque Ioanna Regina, & hæres Navarræ, cujus parens Henricus Navarræ XIV. Comes Campaniæ, & Briæ. 1274. maritus Blancæ, filiæ Roberti I. Com. Arteſiæ.

MATRIMONIVM XII.

Leopoldus II. Dux Auſtriæ, & Othonis filius alter ſponſalia celebravit, ut diċtum eſt in Friderico germano, cum Agnete, Ludovici IV. Imperatoris filia Anno, qui ſupra.

EXCVRSVS V.

De III. ordine Conjugiorum, quæ contraxerunt Alberti II. Sapientis filij, Nepotes, Pronepotes, ac annis 123. celebrarunt.



SEriem Genealogicam marium Alberti Contraċti in ejus matrimonio tetigimus. Eſt ergo hujuſmodi I. Rudolphus, fundator, ingenioſus, magnanimus, & ſubtilis cognomento, Dux Auſtriæ à Carolo IV. inveſtitus. 2. Albertus III. cum Trica. 3. Leopoldus II. probus, & Militiæ decus. 4. Fridericus ſplendidus, vel liberalis, &c. De hoc Friderico in adoleſcentia & innupto extinċto, pro quo carpit Gans Cuſpinianum, egimus in 1. Gentil. loco ſuperius citato. M. S. de ipſomet in Rudolpho IV. fratre ad ann. 1362. in quo annorum oċtodecim obijt, alij 15. Fæminæ duæ, Catharina monialis Viennenſis in monaſterio S. Claræ, & Margarita Vidua Meinardi Bavari Comitis Tyrolenſis. Apud Gans in lib. Alb. Pij tres, vide ipſum. Nuptorum diſpoſito nonniſi in Alberto & Leopoldo alternatim varia. pro ut inferius liquebit. Præjaċtam annorum ſuputationem incæpimus à conjugio Rudolphi IV. uſque ad illud tempus, quo primum ſuum matrimonium contraxit Imperator Maximilianus I.

Hic Dux, ſed libro 9. immediato Archidux, & quare, ibidem.


SECTIO

SECTIO I.

MATRIMONIUM I. SIMPLEX.

Alijs duplex, sed valde erroneè.

Rudolphus IV. *Archidux* Austriæ, Dux Stiriæ & Carinthiæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, ac Portus Naonis, Comes Habsburgi, Ferretæ, & Kiburgi, Marchio Burgoviæ, ac Landgravius Alsatiæ, cognomento Magnanimus, Ingeniosus & fundator. Vxor Catharina, Caroli IV. Imper. filia, ducta 1360. Pontificatus Innocentij VI. anno 7. Cæsaris vero præfati 12.



DE titulo Archiducali in sequenti Gentilitio, nimirum quantum ad ejus Originem, nam quantum ad ejus essentiam, egregijs privilegijs, ac præeminentijs possessores decorantem, fusius in quinto. Vnde postmodum lectori meo liquebit, qua de causa in mea Chronologia pluries citata omnes stirpis Austriacæ propagatores Principesque ab Alberto I. Archiduces intitulaverim. Brevi etiam ibidem in Alberto I. discutere curavi de tempore, & personis, quibus primum Imperiali indulto, ac diplomate Archiducis nomen cum dignitate concessum. Solum hic ergo addendum quæ ex lib. 9. M. S. Guill. ad idem propositum facessunt, & maximè ad auctoris mentem aperiendam, dum in serie filiorum Alberti II. capite antecedenti Rudolphum hunc *Ducem* nuncupat, in sequenti verò *Archiducem*. Quam varietatem possumus intelligere ex fine capituli I. ejusdem lib. 9. ubi auctor hæc in specie. Ipse in diplomatis diversimodè utebatur. Nam alibi, ut compertum habeo ex instrumentis, titulo Archiducis se indigitavit, ut falsum sit, quod nonnulli tradiderunt, Sigismundum Austriacum modo ab Friderico III. Imperatore hunc titulum acquisivisse. Alibi scripsit se Ducem Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Dominum Carniolæ, Vindorū, Marchiæ, & Porti Naonis, Comitem Habsburgi, Ferretæ, Kiburgi, Marchionem Burgaviæ, & Landgravium superioris Alsatiæ. Alibi se tantum nominavit Ducem Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Principem Sueviæ, & Alsatiæ. Suevicarum enim,

Lib. 9. cap. 1. Ex Instr. & edict. fæderibusque M. S.

enim, & Alsaticarum Civitatum Advocationem ab Imperatore Carolo socero acceperat. Id quoque adnotavi annos ætatis suæ & principatus privilegijs & actis publicis præter aliorum Ducum & Principum morem adscribere solitum: utque alij Principes in rerum, & scriptorum affirmationem & fidem suum adscribere nomen solitant, ipsum hæc tantum verba vice confirmationis adhibuisse sua manu, Hoc est verum.

Quando autem istud matrimonium contingerit, certum est præjacto anno 1360. celebratum esse, ita Roo lib. 3. fol. 112. Agit de eo M. S. Guill. distinctius loco cit. in Rudolpho IV. sub principio cap. 1. ac insimul conjugium Alberti fratris cum Trica tangit. Ostendens enim Rudolphum Imperatori Carolo IV. commemorato fidem & obsequium fecisse, obtinuisseque ad eomet veterum recentiumque privilegiorum confirmationem, sequitur statim. His ita factis, cum Carharina, quam sibi puero infantem desponderat, nuptias ingenti pompa, & Principum frequentia celebravit ineunte A. D. N. M. CCC. LX. Paucis post annis fratri Alberto alteram Caroli filiam Elisabetham conciliavit. Vnde frequenter instrumentis postea datis utrumque Rudolphum, & Albertum filios suos nominat Imperator. Nuptiæ Rudolphi cum Cathatina.

De tempore obitus Rudolphi, & ejus etate & locis depositi & sepulturæ concors est monumentorum relatio apud historicos communiter, ipsum scilicet interijsse 1365. cum esset annorum 26. Vxorem enim duxerat juvenis elegantissimus & formossimus inter omnes Principes, Principesque magnus, & admirabilis, vitaque longiori dignissimus, octodecim annos habens, sponsam vero 15. ut fert quodam Chronicon vetus M S. apud Guill. ibidem. Cumque esset Mediolani, ubi ingenti omnium merore, & lacrymis ejus tam ingenua magnanimaque juventus, egregijs dotibus mirandũ in modum condecorata, instar vernantis floris, vix elanguentis, Mortis falce recisi, miserrimo casu immaturè cecidit septimo, aut, ut alij volunt, octavo Calendas Augusti. Cæterum multa ejus juvenili illa ætate eximia extant opera, sed Viennam ante omnes præcipuè coluit, ut suo loco fusius. Corpus Mediolano, ubi æde D. Ioannis Cognomento *Conca*, petentibus Viceecomitibus, in quorum ea ædes tutela, ad tempus deposuerant familiares, qui obitui adfuerant. Viennam delatum Crypta sub choro ædis S. Stephani, quam sibi & posteris æternum monumentum destinarat, cum plerique Austriæ Duces antea diversis à se extructis plerumque monasterijs sepulturam sortirentur fratres condidere. Gymnasium & Canonicorum Collegium debita gratitudine per anniversariam diei excessus celebratem nunc quoque peculiariter colunt. Vide Cuspin in Alberto. Roo loco cit. ad ann. 1365. & alios communiter.

Quæ vero de Rudolpho IV. in controversiam scriptores revocant, hæc sunt. Primum pertinet ad causam non solum ejus morbi, propter quam in Italiam vitæ extinctionem passus est, verum etiam itineris ad Insubriam. Secundum ad Vxorum pluralitatem refertur. Num scilicet Quatuor dubia in Rudolpho IV

hemo inducias facit. Sub vesperam vero Rege fugam capescente, ac reliquo exercitu vidente se desertum subsequente, Bavarici exercitus milites persequuntur Bohemum, magnamque cladem faciunt. Rudolpho Imperatori adversatur. Moriturus testamento cavit, ne filijs terras dividere liceret, & ut minores natu majoribus obedientes essent. Obijt 1290. 3. non. Feb. Burchusij sepultus Landshuti in Salingthal. Vxor Elisabetha filia Belæ Regis Vngariæ

Ludovicus moritur cælebs 1296.

Otho Dux Bavariæ secundæ, vel inferioris electus in Regem Vngariæ 1309. (alij 1305.) Adolpho Imperatore contra Albertum I. Imperat. militante, Neoburgum obsedit, & Scharingio præsidio firmato, Austriam vastavit. Falchensteinium ob crebras inde factas eruptiones,& vastationes expugnavit. Reconciliatus Imperatori cum armata manu per Stiriam intrare vellet Vngariam, impeditur ab eodem. Captus tandem ab Vngaris, ad Moscovitas vel Russos relegatur, ubi agnitus à vicinis Borussis,mirabili providentia divina liberatur,& suis restituitur. Moritur 5. id. Sept. 1312. ætatis 51. Sepultus Lands. in Salingthal. Vxor ejus I.Catharina Rudolphi I. Imper. filia mortua ἄπαις. 2. Agnes,filia Ladislai ulterioris Vngariæ, & Transiluaniæ Ducis,vel Ducissa Glogaviensis. Vixit ad ann. usq; 1361.

Stephanus Comes Palatinus in Schyren vel Bavariæ inferioris electus in Episcopum Juvavensem, administrationem Ecclesiæ non suscepit, intentus magis in res politicas. Plurima enim auxilio fratrum bella gessit. Vltimo auxilio fratris Othonis ad Schardingium in ripa Oeni Austriacos Duces cum Episcopis vicit, & castra ipsorum diripuit A.C. 1311. Post hanc victoriam triumphans Landshutum ingressus mortem cum vita commutat 11. Kal. Jan. anno eodem vitæ vero suæ 40. Liberos impuberes fratri Othoni commendans,sepultus Landshuti in Salingthal. Vxor Guta, vel Juditha filia Ducis Poloniæ Bulconis, genitrixque Elisabethæ, conjugis Othonis Audacis Austriaci Ducis Stiriæ, atque Alberti I. Imperatoris filij. Fratres Elisabethæ.

Henricus Palatinus in Witelsbach Comes in Audechs. Moriturus testamento unicum filium tutelæ Ludovici Imperatoris commendat. Obijt 1339. Kal. Septem. Vxor Margarita filia Joannis Regis Bohemiæ, mortua 1340 5. idus Julij. Joannes Dux Bavariæ secundæ vel inferioris Comes in Andechs; cujus tutor & hæres Ludovicus Imper. Moritur ἄπαις A.C. 1340. 11. Kal. Id. sepultus in Salingthal. Vxor Elisabeth filia Ludovici Imp. & Ducis

Ducis Bavariæ superioris. Otho Marchio Abacensis & Comes Wasserburgi obijt 1335. Vxor Richarda Julianensis. Sorores vero Beatrix, & Agnes, illa duobus nupta, primò Henrico III. Comiti Goritiæ, & Carinthiæ, deindè Ruperto Palatino Rheni Electori; hæc auten monialis.

Liberi Othonis Ducis Bavariæ, fratrisque Stephani præfati, atque Elisabethæ Othonis Austriaci Vxoris parentis, Agnes, conjux Henrici III. Comitis Ortenburgensis, hæres bonorum maternorum, & Henricus Naternbürgensis, nominatus ab arce, ubi educatus fuit, Rex Vngariæ nomine tenus, & Dux Bavariæ inferioris, natus 14. diebus ante obitum patris. Commendatus à patre per Senatum Straubingensem Landshutensemque Ludovico IV. Duci Bavariæ superioris, & Imp. qui tutor & hæres ejus fuit. Naternbergi dum se in saltando nimium exerceret, crus fregit, & vitam finijt 1333. Sepultus in Salingthal in suburbano Landshuti templo cælebs. Post hæc immediatè M. S. ponit. Ex Elisabetha duos genuit filios Otho, Fridericum, Leopoldum. Quibus priori additiuncula, alijs literis subscripta, *Obijt 1344. Kal. Decemb.* Posteriori. *Obijt 1345. propè patrem ambo sepulti, cum post illius mortem Elsatiæ, Sueviæ, Turgoviæ, Ergoviæ præfuissent,* &c Quæ haudquaquam repugnant verbis illis, superius de Leopoldo allatis (ut antea suspicatus fueram, ubi de liberis Alberti Cæsaris) scilicet, *Qui eo in Principium numero intermittitur, quod per ætatem ad nullum regimen pervenerit.* Nam licet sponsalia cum Friderico Germano uno eodemque anno celebrasset, tamen re ipsa gubernium penes natu majorem ætate idoneum illarum Provinciarum erat, cum quo impubes adhuc Ludovicus non actu præfuit, sed potentia.

EIVSDEM ELISABETHÆ

Paterni, ac materni progenitores.

OTHO I. Austriacus. Vxor I. Elisabetha Bavara, cui parens Henricus, Dux Bavariæ, ac Othonis Ducis Bavariæ Palatini Rheni (hunc Ludovicus Dux Bavariæ ex Ludomilla Vladislai Regis Bohemiæ filia procreaverat) filius, cujus Vxor Agnes Palatina, & Brunsuiciensis, filia Henrici Ducis Brunsuic. Electoris Palatini, & Clementiæ filiæ, & hæredis Conradi Palatini Electoris fratris Imp. Barbarossæ Mater vero Elisabethæ Juditha Suidnicensis, sed ava paterna Elisabetha Hungara. Fuit Iuditha Bochonis Ducis Suidnicensis in Silesia genita ex Beatrice Brandeburgica, quam cum Catzelina Bohema, Premislai Regis Bohemiæ, & 2. conjugis Constantiæ genita Belæ Regis Vngariæ filiæ Otho Marchio Brandeburgicus, alterius Othonis Brandeburgensis per Beatricem Premislai Othocari Regis Bohemiæ filiam genitus, ediderat: Et ipse Bocho gnatus Boleslai Calui, Ducis Suidnicensis, ac filij Henrici Pij Ducis Vratislau. ex Anna Othocari Bo-

hemiæ Regis filia, cui uxor Heilvviga Analtina, quam genuit Henricus Analtinus, Electoris Brandeburgici filius cum Methilda filia Ducis Brunsuicensis. Parentes vero Elisabethæ Avæ Bela IV. Rex Vngariæ & Maria Haliciensis, ille Andreæ Hierosolimitani Regis Vngariæ, & Gertrudæ, quam Bertholdus Dux Meraniæ genuerat, mariti, proles; ista verò Micislai Ducis Haliciensis, cui Vxor N.

ANNÆ, SECVNDÆ OTHONIS

Vxoris, Prosapiæ series.

De Henrico VII. Imperatore.

CONRADVS III. Comes Luceburgensis VII. obijt 1193.

HENRICVS I. Comes Lucenburgensis VII. mortuus 1272. Vxor Margarita filia Henrici, Barri Comitis.

HENRICVS II. Comes Lucelb. Plundelus cognomento, & Comes Limburgensis in conflictu contra Ioannem I. Brabantiæ Ducem cadit 1289. Vxor Beatrix, filia Balduini Aviniensis Comitis Hannoniæ.

HENRICVS VII. ex Comite Lucelburgensi X. Imperator electus de consilio Balduini fratris 7. mense ab interitu Alberti I. Imp. Cal. Novemb. (alij 7. Cal. Decemb.) anno. C. 1308. Mildeburgi, vel Francofordiæ, coronatus Aquisgrani 8. id. Ian. 1309. ab Archiepiscopo Coloniensi. Eberhardum Comitem Wirtebergensem ob contemptum sui per Conradum à Winsberg omnibus penè fortunis spoliavit. Fridericum Austriæ Ducem Bohemia cedere coegit. Italiam turbatam factionibus Guelphorum, & Gibellinorum sedavit. Turrianos Mediolani oppressit, ac Mattheum Vicecomitem restituit, ibique in Regem Lombardiæ in Ecclesia S. Ambrosij à Cassano Turriano Archiepiscopo Mediolanensi coronatus est. 8. idus Ian. 1311. Cremonam & Brixios vi cepit. Robertum Regem Neapolitanum ob crimen læsæ Majestatis proscripsit, & regno Campaniæ, Apuliæque privavit. Romam auxilio Columnensium contra Vrsinos occupavit, & coronatus est tertio in Basilica Constantiniana à tribus Cardinalibus 1312. Cal. Augusti (alij Cal. Iul.) Florentinos obsidione gravissima pressit. Dum properat ad Robertum Regem, invitantibus ipsum Neapolitanis, necatus est non sine veneni suspicione die S. Bartholom. 1313. Symbolo usus est Lancea erecta, in cujus suprema parte Serpens quinquies flexus cum inscriptione, *Loco & tempore*. Cadaver Pisas translatum, est die 25. Sextilis

Symbolum Henrici VII.

cum

cum vixisset annos 51. mensem 1. dies 7. Ejus Vxores tres. I. Catharina, filia Alberti I. Imper. Sed hæc ante nuptias vitam finijt. 2. Hester Opoliensis Polona. 3. Margarita filia Ioannis Ducis Brabantiæ nobilissima matrona, erga pauperes benefica, erga Sacerdotes liberalis, rei divinæ studiosissima, maritum secuta Romam, cum inde Genevam reversa esset, diem suum obijt A. C. Sepulta ibidem apud Minores. Proles ex postrema sex, mas unicus, fæminæ reliquæ, & hæc Beatrix, quæ nupsit primò Balduino Hennino IV. Fpntaniæ & Bosui Domino mortuo 1295. secundo Carolo Regi Vngariæ & in partu obijt, Maria nupta Carolo Pulchro Regi Franciæ, quæ filiam enixa, ad Issodonum animam exhalavit, N. Vxor Rudolphi Palatini Rheni, *Catharina Conjux Leopoldi cognomento Equitum gloria Ducis Austriæ*, & Maria consors secunda Henrici IV. Comitis Vadanimontis. De Carolo IV. Imperatore.

Hic debeo aliquid addere in gratiam Typographi, qui hallucinatus in componendo, confudit originale, atque exinde partem unam folij medij huic propter totius Genesis integritatem, præsenti dadituncula exaratam addidimus.

Afferam ergo Manlium, qui loquens de Matrimonio Leopoldi, unicum tantum facit, & de paulo ante exhibito nec minimam commemorationem. Leopoldus, inquit, Dux, gloria equitum auratorum, qui in re militari magnum emolumentum, atque eximiam utilitatem Romano Imperio creavit, Vxorem habuit Catharinam Comitissam Sabaudiæ. Ambo Konigisfeldæ honore clari extant. Taucit ergo Manlius hanc Catharinam, utroque parente, & utraque claritudine nobilissimam Fæminam, uti ex supra dictis liquido apperet. Et quidem, si teste Gans ut superius dictum est, & testibus etiam alijs scriptoribus minus neotericis ex isthac Catharina tantum binam prolem muliebrem Austriacus, generosusque Princeps procreasse pro comperto affertur, cur ipsam Manlius præterierit, prorsus ignoro. At non mirum, cum in similibus non semper historicorum mens adeo libera inveniri possit, ut plerumque vel lassa, vel varijs cogitationibus passim agitata, vel propter cordis mærorem, diversis ex causis nonnunquam exortum humana vacillamenta pati nequiverit. Nec alia de re tanta apud me circumspectio circa ea, in quibus auctores Austriaca tractantes, discrepant, nisi quod ab omni fastidio vellem (quantum in me est) lectorem eximere. Ast quotiens mè in nonnullis reprehensione dignum quispiam repererit, ne miretur, sed commisereatur animo eodem, quo ipse omnes commiserror & absque ulla carpendi voluntate, aliquando nonnullorum lapsus adverto. Præsentem Genealogiam, quam modo texeo, in- Manlius in Leopoldo fol. 48.

tegram mutuavi ex illo cap. 3. Guillimanni in Othone; sed debebat auctor eam scribere cap. 4. ubi posuit Othonis primæ Vxoris Elisabethæ prosapiam, ut melius temporis ratio inde elucesceret. An verò auctor eam ab Henningio desumpserit, non possum aliquid certi respondere, cum Genealogistam illum non amplius præ manibus habeam. Vsus sum eo in præhabitis Genealogijs & tam primo, quam altero matrimoniorum ordine. Debet tamen cautè etiam in re historica legi, tanquam auctor acatolicus, & ab Ecclesia prohibitus, & damnatus. Hactenus pro satisfactione impressoris, ut dixi. Igitur illius Genealogiæ totius, à Guillimanno conscriptæ, extra quam coacti præhabitam advertentiam interposuimus, cæteri gradus, eandem componentes sunt, ut sequitur.

Ioannes (hunc Fossardus Henricum nominat) Comes Lucelburgensis XI. & Rex Bohemiæ cognomento Cæcus, quod venenum acceptum pellere conatus, utroque esset debilitatus oculo. A morte patris contractis novis copijs, quibus Italicas suppleret, Civitates, quæ in fide perstiterant, in suam quoque fidem receptas defendit. Bohemiæ regnum magna porte Silesiæ, & Lusatiæ utraque dilatavit. Occubuit in bello Francico, cæsus ad Cressiacum ab Eduardo Aghliæ Rege X. Kal. Sept. 1346. Vxor I. Elisabetha, filia Friderici Pulchri Ducis Austriæ desponsata, sed innupta Virgo obijt. 2. Elisabetha altera, filia Wenceslai Senioris postremi Regis Bohemiæ, neptis Rudolphi I. Imper. ducta 4. Febr. 1311. cum qua Regnum accepit. 3. Beatrix, filia Ludovici II. Ducis Borbonij, ac septem liberorum procrecreatrix, Wenceslai (alij hunc ex Beatrice solum natum existimant) Comitis Lucelburgensis XII. investiti à Carolo IV. Imperatore, & fratre in Ducem Brabantiæ 1356. mortui 1383. sepulti Lucelburgi (alij Orivali) Vxor Ioanna filia Ioannis III. Ducis Brabantiæ, vidua Wilhelmi Hollandiæ Comitis. Ioannis Henrici Lucelburgici Marchionis Moraviæ, Primislai, Margaritæ Henrici Ducis superioris Bavariæ Vxoris, Guthæ Ioannis Regis Franciæ elocatæ. & Annæ Othonis Austriæ Ducis conjugis. Sed ex 2. Vxore Elisabetha natus Carolus IV. Rex Romanorum, vel Imperator appellatus contra Ludovicum Bavaruum jussu Clementis VI. Papæ à Gerlaco de Nassau Moguntino, Walderamo Iuliaco Coloniensi, Balduino Lucelburgico Trevirensi patruo, Ioanne Rege Bohemiæ patre suo, & Rudolpho Duce Saxoniæ in villa Rens Dioce-

sis

ſis Trevirenſis 5. idus Iulij 1346. Coronatus Bonnæ (Aquiſgranenſes enim Ludovico adherentes recipere ipſum noluerunt) à Colonienſi 7. Cal. Decemb. 1346. Mortuo verò Ludovico Bavaro Imp. ſententiam ex Principibus multi mutarunt, & hunc ut intruſum ad gubernationem admittere noluerunt. Conventu itaque habito accerſerunt Eduardum III. Angliæ Regem anno 1348. illoque hanc dignitatem cum gratiarum actione averſante, Fridericum Marchionem Miſniæ, & Landgravium Turingiæ vocaverunt ad Imperium. Sed cum is recipere hoc ſe excuſaret, Guntherum Comitem Schuartzburgicum elegerunt 1344. 4. Nona, Febr. Francofordiæ. Hic cum Vrbem obſidione cingeret, jamque intromiſſus eſſet, leviter decumbens, à medico ſuo, quem Carolus ſubornarat, veneno necatus eſt circa Calend. Auguſti; quo tamen ipſe medicus etiam cum propinatum pharmacum, Gunthero ipſum cogente, prius guſtaſſet, interijt. Hoc itaque defuncto, ſolus Imperio potitur 1349. Italiam precibus Franciſci Petrarchæ in Rege Lombardiæ Baptiſtæ à Roberto Vicecomite Archiepiſcopo Mediolanenſi cononatus 8. idus Ian. 1355. Romæ verò Non. Aprilis, qui erat dies Paſchatis, tertiò à duobus Cardinalibus corona ipſi impoſita eſt anno eodem. Largitionibus ſuis multa ab Imperio alienavit. Multis Civitatibus Germaniæ immunitates ac privilegia conceſſit. Meſis in conventu Principum *Auream* (ut vocant) *Bullam* condidit 1356. Ad oſtium Tanagræ arcem condidit. Pragæ Gymnaſium inſtituit, ubi doctos ad horas quatuor diſputantes audivit, cumque Conſiliarij & purpurati hoc moleſtè ferrent, dicentes ipſi cænæ tempus adeſſe; Reſpondit, mihi tempus eſt minimè. Nam cæna hæc mea eſt. Filio Wenceslao multis muneribus Imperium impetravit A. C. 1376.

Conditor Bullæ Aureæ.

ANNÆ EJVSDEM Progenitores Materni.

ELISABETH Bohema Annæ Mater. Avus Wenceslaus Rex Bohemiæ, cui parentes Præmiſlaus Othocarus Rex Bohemiæ, filius Wenceslai Regis Bohemiæ ex Conſtantia, quam Bela Hungariæ Rex ediderat, & Kunigunda Bulgara, genita à Roſcillao Rege Bulgariæ cum Anna Belæ IV. Regis Hungariæ filia. Avia autem Annæ, ejuſque genitricis Eliſabethæ mater Gutha Habsburgienſis, filia Rudolphi I. Imp. Habsburgi Comitis, & Annæ Hohenbergicæ. M. S. habet Gertrudæ Froburgenſis ſed perperam, ut in Matrim. Rudolphi probavimus. Cætera pro ſtirpe ejuſdem Rudolphi & Annæ, & pro utriuſque progenitoribus tam in I. Gentil. quam in ſtemmate Annæ præfatæ.

MATRIMONIVM XI.

Fridericus II. Dux Austriæ Stiriæ, & Carinthiæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, Portus Naonis, Comes Habsburgi, & Kiburgi, Marchio Burgoviæ, ac Landgravius Alsatiæ. Ejus Sponsa non ducta Maria Eduardi III. Regis Angliæ filia 1344. anno Pontificatus Clementis VI. 2. Imperij verò Ludovici Bavari 29.



Vperius cum Roo commemoravimus tam Fridericum hunc, quam etiam Leopoldum fratrem, ambosque Othonis genitos. Vtrumque sponsalia celebrasse, licet neuter sponsam duxisset, testatur Guillim. in M. S. tradens pariter sponsalium motiva. Nam, ipso auctore, mortuo eodem fermè tempore Ioanne inferioris Bavariæ Duce, ac Friderici consobrino absque liberis, causa repetendæ hæreditatis ipsi & Leopoldo fratri fuit. Sed proceres Bavari conventu Landshutano, Principatum ad Ludovicum Imp. detulerunt, tanquam Bavarorum Principũ omnium antiquissimũ, Austriorũ jure insuper habito, & rejectis etiam qui in eadẽ prætensione erant, Palatinis Comitibus, ejusdem Ludovici ex fratre nepotibus. Vbi Ludovicus possessionem inijt, & utramq; Bavariã iterum conjunxit, octogesimo quinto anno quam divisæ fuerant, sanxitq; ut ne ullo unquam postea tempore in divisionem redigantur, quo Fridericũ non modo leniret, sed amicũ quoq; retineret Mariam illi Eduardi III. Regis Angliæ filiam, quæ Monachij apud Vxorem puella materteram novennis educabatur, conciliavit conjugem, & quadraginta aureum millia dotem. Leopoldo Agnetem suam filiam despondit. Sponsalia utriusque magna celebritate Monachij peracta. Ne ducerent importuna mors obstitit, quæ egregia spe adolescentes intra paucos menses immaturo, ac flebili obitu sustulit. Leopoldum quidem IV. Idus Augusti, Fridericum pridie nonas Decembris, eodem anno Domini 1344. Quamvis non desint, qui Leopoldum sequenti anno extinctum notarint. Mihi hac in parte, ait Guill. Novimontis Annales sequi placuit, in quo Leopoldus sepultus ipso, quem diximus anno. Fridericum apud Campum Regis situm non modo antiqua Monasterij scriptura testatur, sed data apud Pontem Arulæ paucis antequam decederet, diebus, privilegia ibidem quoque vitam exuisse haud temerè persuadent. Alberto patruo omnium hærede, & Austriæ Domus Principe Monarcha.

Guill. M. S. lib. 7. c. 1. in fine.

Obitus utriusque.

Sepultura.

Stirps

Stirps Mariæ Eduardi III. Angliæ Regis filiæ Friderici II. Sponſæ.

EDVARDVS II. dictus de Cærnaruon, vel Carnarivanus à loco ubi natus 1285. Princeps Walliæ conſtitutus 1285. Rex Angliæ XXX. coronatur Weſtmonaſterij cum Vxore 10. Kal. Mart. 1308. Vir malus, futilis, & infelix, atque ingenio minus honeſto, corruptus in juventute à Petro Gaueſtono Vaſcone (quem elegit in Comitem Cornubiæ) capite tandem juſſu procerum truncato, delatoribus aurem præbens, crudelis in ſuos, Vxorem cum filio in exilium abegit, quæ in Galliam ad Carolum Pulchrum abijt. Scotos apud Duncheldinum fugavit 1306. cum ijſdem magna infelicitate & ſtrage ſuorum ad Sterlingium pugnavit 1314. Beruicum amiſit 1316. Optimates alterius factionis ab Hugonibus ſpenſerijs in pugna captos crudeliter interfecit 1322. A Scotis rurſus prælio commiſſo profligatur qui & Eboracum vaſtant 1323. Collegia duo Oxonij condidit, alterum Exonienſe, alterum Cervina Aula nuncupatum. Ab Vxore & filio Eduardo Ioannis Hannoniæ Comitis auxilio è Gallis reduntibus in Angliam 7. Kal. Octob. carceri incluſus ad Kenelvorthem 1352. moritur in arce Barchelegienſi, vel à cuſtodibus necatur 1327. regni 19. ætatis 42. Sepultus Glocеſtriæ in D. Petri cænobio. Conjux ejus Iſabella filia Philippi Pulchri Regis Galliæ, ducta 1303. Obijt Londini 1358. Sepulta in Franciſcanorum cænobio.

Eduardo parenti R. hoc nomine I. non abſque ſanctitatis opinione defuncto valdè degener filius.

EDVARDVS III. Princeps Walliæ, Dux Aquitaniæ, & Rex Angliæ XXXI. natus Windleſoræ in Comitatu Bercheriæ 1311. coronatur in Regem vivo adhuc parente Weſtmonaſterij 4. Kal. Febru. 1326. ætatis ſuæ 15. Cum Philippo Valeſio VI. Rege Galliæ de Gallici regni jure contendit 1328. Eduardum Baliolum in Scotiæ paternum regnum, Davide cum Vxore in Galliam à ſuis ablegato, reſtituit 1333. Sed mox magnam Scotiæ partem cum Baliolo invadit, & Bervvicum obſidione cingit. De Philippo VI. Valeſio Gallorum Rege in pugna navali circa Cluſas ad 10. Kal. Iulij ſua felicitate, & vento ſecundo adjutus, captis ac fractis omnibus ferè Gallorum navibus, victoriam inſignem obtinet 1340. Fanum Odomari & Tornacum obſidet anno eodem. Ad Creſſiacum Pontivi Comitatus oppidum, eundem Regem Philippum VI. graviſſima pugna adortus 7. Kal. Septembr. deletis 30000. Gallorum vincit 1346. in quo bello, quod fuſius Foſſardus deſcripſit, ferè tota nobilitas Galliæ cecidit. Caletum 3. non. Auguſti obſidionis undecimo menſe expugnat, capto Rudolpho Francorum equitum magiſtro, & Ioanne Comite Tancredo Villano 1347. Davidem Regem ad Dunellum, profligato ejus exercitu, capit 1348. Ioannem Regem Galliæ per filium Eduardum VValliæ Principem in Pictonibus cum Philippo filio 13. Kal. Octob. captum in Angliam ducit, cæſis Francorum 6000. & ex

Celebris victoria de Philippo Valeſio.

2. Victoria de eodem Rege, & inſignior.

nobilibus 1500. captis 1356. Postea pax facta est ad Britannicum 8. idus Iulij 1360. Verum instaurato bello 1366. cum Parisiorum & Carnutum vicina loca 1319. depopulatus esset, fortuna minus prospera utitur. Ad Rupellam ab Henrico Castellonensi, Gallis subsidio veniente, insigni clade, amissa classe afficitur 1371. Concilio Londini habito ex sacrorum reditibus decimas in Gallici belli sumptus Sacerdotibus indicit & imperat 1374. Vindesorij fundavit D. Gregorij templum, ibique Sacerdotum collegium instituit 1360. Westmonasterij templum D. Stephani magnificum, & Cantabrigæ alterum, quod Aulam Regiam nominant similiter Collegium Canonicorum D. Stephano sacrum Westmonasterij construxit, & dotavit. Tandem expeditionem in Galliam parans Richemondiæ 11. Kal. Iulij defunctus est 1377. Regni 51. ætatis 65. Sepultus Westmonasterij. Ejus Symbolum ensis erectus in cujus capuli globo Orbis, loco ferri transversi Luna, in acumine Sol cum inscriptione, *Rectè & fortiter.* Vxor Philippa filia Gulielmi III. Boni cognominis, Comitis Hannoniæ, Selandiæ, & Hollandiæ. Liberi Ioannes magnus, Thomas Comes Essexiæ, Dux Glocestriæ.

Instaurat bellū in quo debellatur.

Obitus. Sepultura. Symbolum. Conjux.

Liberi.

Maria Vxor Friderici II. Austriaci. Ejus progenitores paterni, & materni hoc modo serie genealogica, & brevi ab eodem M. S. cap. 2. texuntur.

Mariæ progenitores paterni, & materni.

Fridericus II. filius Othonis. MARIA Angla sponsa, non ducta. Eduardus III. Rex Angliæ Dux Aquitaniæ; 1377. Vxor Philippa 1369. Hanc edidit Guilelmus cognomento Bonus IX. Comes Hannoniæ & Holland. 1337. filius Ioannis II. sine misericordia Com. Hann. Holland. Zeland. Frisiæ 1337. & Philippæ Lucemburgensis, filiæ Henrici II. Com. Lucemb. & Namurci M. Arelunensis, cujus parentes Valeramus, Com. Lucemb. & Namurci 1225. nec non & Ermesinda vidua Theobaldi Com. Barrensis obijt ipsa 1247. Vxor verò Margarita Barrensis, filia Henrici I. Com Barrensis occisis in Syria 1193. & Ioannæ Roberti Com. Druydum filiæ. Genuere Ioannem II. sine misericordia Ioannes Avennensis Com. Hannoniæ extinctus merore 1257. filiusque Botschardi Avennensis Iacobi filij 1217. & Margaritæ filiæ Balduini Com. Flandriæ XVII. & Hannoniæ, Imperatoris Græciæ 1279. atque Adelheidis Com. Alisa, filia Florentij IV. Com. Hollandiæ cæsi 1235. ex Methilda filia Henrici Ducis Brabantiæ & auctoris cænobij Losdunensis. Conjux Gulielmi Boni Ioanna Valesia, monialis mortuo marito, quæ filia fuit Caroli Com. Vales. ex Vxore prima Com. Cemmanorum & Andium 1325. & Clæmentiæ I. conjugis filiæque Caroli II. Regis Siciliæ, filij Caroli I. Com. Andegau. & Regis Siciliæ, erat Carolo II. consors Maria nata è Stephano Rege Hungariæ, & Regni hæres. Parentes Caroli Philippus Audax Franciæ Rex, ac filius Ludovici V. ex Margarita, Raymundi Berengarij Provinciæ Comitis filia, elocatus Isabellæ Aragoniæ, filiæ Iacobi Regis Aragoniæ, & Iolandæ, Andreæ Hierosolymitani R. Hung. filiæ.

Ortus

Ortus Eduardi III. ut ad reliɛtos progenitores paternos & maternos quoque Mariæ ſponſæ redeamus, ex Eduardo II. Rege necato 1327. & Iſabella Franca 1357. Genuerunt hujus connubij maritum Eduardus I. Rex Henrici III. Regis Angliæ filius, conjuxque Eleonoræ filiæ Raymundi Provinciæ Comitis; & Leonora Hiſpana, à Ferdinando Rege Legionis & Caſtiliæ nec non & Ioanna, filia Simonis Comitis de Pontica Galli, progenita. Vxorem verò Philippus Pulcher Rex Franciæ & ex conjuge Navarræ, filius Philippi III. cognomento Audacis 1285. & Iſabellæ, filię Iacobi Regis Aragonij, extincti 1270. in Apulia, rediens ex Africa; atque Ioanna Regina, & hæres Navarræ, cujus parens Henricus Navarræ XIV. Comes Campaniæ, & Briæ. 1274. maritus Blancæ, filiæ Roberti I. Com. Arteſiæ.

MATRIMONIVM XII.

Leopoldus II. Dux Auſtriæ, & Othonis filius alter ſponſalia celebravit, ut dictum eſt in Friderico germano, cum Agnete, Ludovici IV. Imperatoris filia Anno, qui ſupra.

EXCVRSVS V.

De III. ordine Conjugiorum, quæ contraxerunt Alberti II. Sapientis filij, Nepotes, Pronepotes, ac annis 123. celebrarunt.



Eriem Genealogicam marium Alberti Contracti in ejus matrimonio tetigimus. Eſt ergo hujuſmodi I. Rudolphus, fundator, ingenioſus, magnanimus, & ſubtilis cognomento, Dux Auſtriæ à Carolo IV. inveſtitus. 2. Albertus II. cum Trica. 3. Leopoldus II. probus, & Militiæ decus. 4. Fridericus ſplendidus, vel liberalis, &c. De hoc Friderico in adoleſcentia & innupto extincto, pro quo carpit Gans Cuſpinianum, egimus in 1. Gentil. loco ſuperius citato. M. S. de ipſomet in Rudolpho IV. fratre ad ann. 1362. in quo annorum octodecim obijt, alij 15. Fæminæ duæ, Catharina monialis Viennenſis in monaſterio S. Claræ, & Margarita Vidua Meinardi Bavari Comitis Tyrolenſis. Apud Gans in lib. Alb. Pij tres, vide ipſum. Nuptorum diſpoſito nonniſi in Alberto & Leopoldo alternatim varia, pro ut inferius liquebit. Præjactam annorum ſuputationem incæpimus à conjugio Rudolphi IV. uſque ad illud tempus, quo primum ſuum matrimonium contraxit Imperator Maximilianus I.

Hic Dux, ſed libro 9. immediato Archidux, & quare, ibidem.


SECTIO

SECTIO I.

MATRIMONIVM I. SIMPLEX.

Alijs duplex, sed valde erronee.

Rudolphus IV. *Archidux* Austriæ, Dux Stiriæ & Carinthiæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, ac Portus Naonis, Comes Habsburgi, Ferretæ, & Kiburgi, Marchio Burgoviæ, ac Landgravius Alsatiæ, cognomento Magnanimus, Ingeniosus & fundator. Vxor Catharina, Caroli IV. Imper. filia, ducta 1360. Pontificatus Innocentij VI. anno 7. Cæsaris vero præfati 12.



DE titulo Archiducali in sequenti Gentilitio; nimirum quantum ad ejus Originem, nam quantum ad ejus essentiam, egregijs privilegijs, ac præeminentijs possessores decorantem, fusius in quinto. Vnde postmodum lectori meo liquebit, qua de causa in mea Chronologia pluries citata omnes stirpis Austriacæ propagatores Principesque ab Alberto I. Archiduces intitulaverim. Brevi etiam ibidem in Alberto I. discutere curavi de tempore, & personis, quibus primum Imperiali indulto, ac diplomate Archiducis nomen cum dignitate concessum. Solum hic ergo addendum quæ ex lib. 9. M. S. Guill. ad idem propositum facessunt, & maximè ad auctoris mentem aperiendam, dum in serie filiorum Alberti II. capite antecedenti Rudolphum hunc *Ducem* nuncupat, in sequenti verò *Archiducem*. Quam varietatem possumus intelligere ex fine capituli I. ejusdem lib. 9. ubi auctor hæc in specie. Ipse in diplomatis diversimodè utebatur. Nam alibi, ut compertum habeo ex instrumentis, titulo Archiducis se indigitavit, ut falsum sit, quod nonnulli tradiderunt, Sigismundum Austriacum modo ab Friderico III. Imperatore hunc titulum acquisivisse. Alibi scripsit se Ducem Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Dominum Carniolæ, Vindorũ, Marchiæ, & Porti Naonis, Comitem Habsburgi, Ferretæ, Kiburgi, Marchionem Burgaviæ, & Landgravium superioris Alsatiæ. Alibi se tantum nominavit Ducem Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Principem Sueviæ, & Alsatiæ. Suevicarum enim,

Lib. 9. cap. 1. Ex Instr. & edict. fæderibusque M. S.

enim, & Alsaticarum Civitatum Advocationem ab Imperatore Carolo socero acceperat. Id quoque adnotavi annos ætatis suæ & principatus privilegijs & actis publicis præter aliorum Ducum & Principum morem adscribere solitum: utque alij Principes in rerum, & scriptorum affirmationem & fidem suum adscribere nomen solitant, ipsum hæc tantum verba vice confirmationis adhibuisse sua manu, Hoc est verum.

Quando autem istud matrimonium contingerit, certum est præjacto anno 1360. celebratum esse, ita Roo lib. 3. fol. 112. Agit de eo M. S. Guill. distinctius loco cit. in Rudolpho IV. sub principio cap. 1. ac insimul conjugium Alberti fratris cum Trica tangit. Ostendens enim Rudolphum Imperatori Carolo IV. commemorato fidem & obsequium fecisse, obtinuisseque ad eomet veterum recentiumque privilegiorum confirmationem, sequitur statim. His ita factis, cum Carharina, quam sibi puero infantem desponderat, nuptias ingenti pompa, & Principum frequentia celebravit ineunte A. D. N. M. CCC. LX. Paucis post annis fratri Alberto alteram Caroli filiam Elisabetham conciliavit. Vnde frequenter instrumentis postea datis utrumque Rudolphum, & Albertum filios suos nominat Imperator.

Nuptiæ Rudolphi cum Catharina.

De tempore obitus Rudolphi, & ejus etate & locis depositi & sepulturæ concors est monumentorum relatio apud historicos communiter, ipsum scilicet interijsse 1365. cum esset annorum 26. Vxorem enim duxerat juvenis elegantissimus & formossimus inter omnes Principes, Principesque magnus, & admirabilis, vitaque longiori dignissimus, octodecim annos habens, sponsam vero 15. ut fert quodam Chronicon vetus M S. apud Guill. ibidem. Cumque esset Mediolani, ubi ingenti omnium merore, & lacrymis ejus tam ingenua magnanimaque juventus, egregijs dotibus mirandũ in modum condecorata, instar vernantis floris, vix elanguentis, Mortis falce recisi, miserrimo casu immaturè cecidit septimo, aut, ut alij volunt, octavo Calendas Augusti. Cæterum multa ejus juvenili illa ætate eximia extant opera, sed Viennam ante omnes præcipuè coluit, ut suo loco fusius. Corpus Mediolano, ubi æde D. Ioannis Cognomento *Conca*, petentibus Viceecomitibus, in quorum ea ædes tutela, ad tempus deposuerant familiares, qui obitui adfuerant. Viennam delatum Crypta sub choro ædis S. Stephani, quam sibi & posteris æternum monumentum destinarat, cum plerique Austriæ Duces antea diversis à se extructis plerumque monasterijs sepulturam sortirentur fratres condidere. Gymnasium & Canonicorum Collegium debita gratitudine per anniversariam diei excessus celebratem nunc quoque peculiariter colunt.

Vide Cuspin in Alberto. Roo loco cit. ad ann. 1365. & alios communiter.

Quæ vero de Rudolpho IV. in controversiam scriptores revocant, hæc sunt. Primum pertinet ad causam non solum ejus morbi, propter quam in Italiam vitæ extinctionem passus est, verum etiam itineris ad Insubriam. Secundum ad Vxorum pluralitatem refertur. Num scilicet

Quatuor dubia in Rudolpho IV

unicam tantum duxerit conjugem Rudolphus, quæ vidua deinde alij nupserit, aut potius vice versa. Tertia est de ejus prole, nimirum utrũ Rudolphus
3. aliquam sobolem habuerit, vel nec ne. Postremũ ad conjugium spectat cum
4. Margaritha Maultäschia Tyrolensi; num scilicet certa ratione illorum sententia probari possit, qui contendunt, isthanc Margaritam nupsisse Rudolpho.

Ad. 1. De priori disputatione alij æstati adultæ aerisque insolentiæ ferociori Rudolphi tribuunt interitum. Alij contra suspicati sunt, venenum dumtaxat ei porrectum, extremum sibi casum intulisse. Quod autem spectat ad motiva eundi Mediolanum, ferè omnes asserunt ea haud altera fuisse, quam comitatum Imperatoris Caroli IV. in Italiam. De eo sic Roo ptesertim. *Comitatus est socerum Rudolphus cum quingentis equitibus, egregiè instructis: Mediolanum cum venisset ex æstu, & itinere in ardentem febrim lapsus, ad VII. Kal. Augusti obijt, &c.* Quidam sectator Roo, qui jam evulgaverat, se Annales ejusdem prosequuturum, ac typis evulgaturum, putans (ni fallor) gratiam haud modicam tanto Antesignano se præstiturum, si aliquid ex suo scriptis illius anticipatè addidisset, paucis commutatis verbis ad ejusdem historiæ exarationem non solum in Italiam, sed etiam Romam (hoc Roo nunquam somniavit) comitatum esse Socerum Rudolphum hunc fatetur, atque Vrbe ipsum reduntem (nec istud Auctor dixit) Mediolano obijsse. Neutrum tamen fuisse verum, satis clarè ostendit M. S. Guillimanni eodem loco in Rudolpho. Postquam enim enarraverit, Rudolphum anno 1363 in Italiam profectionem instituisse petendæ ab Vicecomitibus Mediolani Dominis pro fratre Leopoldo Conjugis, sub anno deinde 1364. subdit. *Mox quo destinata antè prosequeretur, Teriolim regressus, Medjolanum inde, uti decreverat tentendit, Leopoldoque fratri VIRIDAM, Barnabæ Vicecomitis filiam aureùm centum millium dote Vxorem accepit, amicitiamque & fædus cum eodem Barnaba, cum quo hactenus simultates exercuerat, stabilivit. Ibidem Margaritæ Teriolensis mortis nuncium accepit, & amitæ Agnetis, &c.* Tandem concludens omnia, ostendensque errorem hunc plurimorum, & ferè omnium, *Anno*, inquit *1365. Rudolphum ad deducendam fratris sponsam regressum frebris invasit, &c.* Et post pauca, ad Rudolphi obitum spectantia, *Scio, ait, alios alias Rudolpho mortis causas perhibuisse, inter alia expeditione Caroli in Italiam defunctum esse, quod vanum, & contrarium esse noverunt omnes, qui ejus Imperatoris facta notavere.*

Ad 2. Quantũ ad 2. quæstionẽ adversus unicã certitudinẽ duo errores apertissimi enormiter pugnant, unus est Procopij Lupacij Bohemicarum Ephemeritum scriptoris, qui Catharinam viduam Rudolphi secundo collocatam anno 1366. Othoni Marchioni Brandeburgico, Elisabetham verò eodem anno decimo nono Martij Alberto III. nuptam, & ex tertia Vxore Caroli IV. genitam Anna Suidnicensi notavit. Secundum errorem & quidem fædiorem (si vera esset traditio Guillimanni) apud Gans reperio, qui de

Loco cit. ad an. 1365.

Lib. 2. c. 4. in suo Thalete.

Anno 1363.

Anno 1364.

Anno 1365.

Apud eundem Guillim.

Annot. in Arb. 1 de liberis Alb. Pij.

de Rudolpho IV. hæc breviter. Rudolphus primò duxit *Catharinam* filiam Cæsaris Caroli IV. eaque mortua, *Margaritham*, Henrici Carnorum Ducis Bohemiæque pro tempore Regis filiam, ac hæredem, &c. At loquens Guillimannus ad finem illius libri IX. tam de assignatione dotis, quam de obitu Catharinæ, sic fatur. Catharinæ filiæ Carolus IV. anno 1357. in dotem assignavit decem millia Bohemicorum denariorum (genus hoc numismatis vulgato nomine Bohemi *Schoe Grosshen Pfenning*) adhibita conditione, ut nullis liberis procreatis restitutioni dotis caveatur. Parens Rudolphi Cæsari, ac hæredibus eam ob causam pignori dedit oppida, ac arces Laa, Engeburgum, ac Greizenstoin cum libris septemdecim, ac Semisse Viennesis pecuniæ, ac monetæ. Idem maritus Rudolphus ratum habuit additis pro donatione propter nuptias mille libris Pragensis monetæ. Eodem anno inditionem Catharinæ, ac futurorum liberorum Egenburgum concessit, ibi Cives Catharinæ, ac hæredibus juramentum fidelitatis præstiterunt, quo tantisper devincti esse debeant, dum dicta summa pecuniæ pignora redimantur. Obijt Catharina 1373. 13. Kal. Octob. sepulta propè maritum. Hæc M. S. Ast si decessio Rudolphi anno 1365. contigit, ut proditum est, conjugis verò post octavum annum, in quo consors nondum erat in rerum natura, quomodo assertum Gans existere unquam poterit, supponendo veram Guillimanni calculationem, traditionemque Roo, de qua paulo post? Responsio ad 3. dubium melior apud historicos probatiores communiter est, Catharinam prolem ex Rudolpho Archiduce non tulisse. Henricus tamen Rebtrf apud Guill. in suis Annalibus diversis locis tribuit illi filiam, quam penè puer puellulam Meinardus Dux Bavariæ Marchio Brandeburgensis, & Comes Tyrolis Margaritha Tyrolensi & Ludovico genitus duxerit Vxorem. At sororem fuisse, superius ex aliorum sententia prodijt idem Guill. in Rudolpho. Postremò satisfit quartæ scissitationi, & quidem satis egregiè, & circumspectè Gerardus de Roo lib. 3. sub anno 1363. fol. 113. ubi primò supponit ex compertis monumentis anno 42. Margaritam in arce Tyrolj nuptias cum Ludovico Bavaro celebrasse. & cum eo ad annum 61. ejusque filio biennio post defunctis, ex provincialium ordinum decreto proximis suis cognatis Rudolpho, Alberto, & Leopoldo Austriacis (Fridericus quindecim annos natus, eo ipso anno obierat) omnem suam ditionem pleno jure tradidisse. Deinde statim fert. Constans est non apud vulgus tantum, sed illustres quoque rerum scriptores Cuspinianum, Aventinum, Lazium, & alios opinio, Margaritham Rudolpho Austriaco nupsisse, eaque ratione Tyrolensium ditionem ad Austiacos devenisse. Ego vero, inquit, uti eorum auctoritatem non impugno, ita in diplomatis indubitatæ fidei inventum adstruo, neque matrimonium inter ipsos contractum fuisse, neque contrai potuisse, id quod æquus lector ex ijs, quæ subjungam, ipse considerabit, &c. Ostensa ac probata ab eo priori assertione, quam nos in 3. Gentilirio afferre per extensum curabimus, transit

Dos Catharinæ.

Ad 3.

Ad 4 Roo. lib. 3. cit. sub anno 1363.

Sententia eorũ qui Maultaschiam Rudolpho nupsisse dicunt.

Reijcitur uti protinus falsa.

ſit ſubito ad ſecundam demonſtrandam his verbis. Inveniuntur literæ, in quibus Margaritham nuſquam Vxorem, ubique cognatam appellat Rudolphus. Quod autem Catharina mortua, Rudolpho nupſiſſe Margaritam affirmant, id (pace eorum dixerim) fieri non potuit, cum ſatis conſtet Catharinam, quam unam Vxorem habuit, ei ſuperſtitem vixiſſe. Hactenus Roo. His evidentijs motus Guillimannus, alijs verbis, non tanta circumſpectione in tam apertum mendacium dignis, ejus auctores exprobravit hoc modo. Qui Margaritam Teriolenſem, de qua ante diximus, in Matrimonio Rudolphum habuiſſe ſcripſerunt, ceu ſunt Cuſpinianus & Lazius in commentarijs Auſtriacis, & alij, illis quas narrant cauſis & illecebris ritu veterum Poetarum ſe & alios fabulis oblectant, &c.

Loco citato ubi de Catharina conjuge unica Rudolphi.

CATHARINÆ VXORIS

Rudolphi unicæ Genealogia.

HEnricus VII. Imperator Comes Lucemburgenſis. Ioannes Rex Bohemiæ ejus filius, cui Vxor Eliſabetha filia S. Wenceslai Regis Bohemiæ, cum qua Regnum maritus accepit. Ex quo conjugio ſecundo natus Wenceslaus Dux Lucemb. à Carolo IV. fratre primogenito, Ioannæ Ducisſæ Brabantiæ maritus defunctus 1383.

Carolus IV. Imperator, Rex Bohemiæ ex Vxore tertia Anna, Henrici Ducis Suidnicenſis in Sileſia filia, quæ genuit Catharinam Rudolphi IV. Auſtriaci Conjugem.

Caroli IV. hi fuerunt filij.

Wenceslaus Imperator. Sigiſmundus Imperator. Ioannes Dux Gorlicenſis. Filia Sigiſmundi Eliſabetha, Vxor Alberti Imperatoris hujus nominis II. Materque Annæ, & Eliſabetha, illa Wilhelmi Ducis Saxoniæ conjux, hæc vero Regis Poloniæ Caſimiri. Ioannes procreavit Eliſabetham, cujus maritus Antonius Dux Brabantiæ, qui Philippo Bono Ducatum Lucemb. vendidit.

MATRI-

MATRIMONIVM II.

Leopoldus II. (alij III. in ordine ad Leopoldum alterum, Othonis filium) Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Vendorum Limitis, & Portnoviæ, Comes Habsburgi, Teriolis, Ferretæ, & Kiburgi, Marchio Tarvisij, & Burgoviæ, Landgravius Alsatiæ, cognomento Probus ac generis sui propagator, cujus I. sponsa non traducta Catharina Goricensis anno 1361. &c.



Nimadverdendum, hunc Principem Ducemque idcirco tertium in ordine repertum esse apud alios, quia connumerant secundo loco Leopoldum commemoratum, Othonis secundogenitum. Quinimo in stirpe Austriaca generatione esset IV. superius enim ex Alberto Argentinensi apud Guillimannum in matrimonio Henrici filij Alberti Cæsaris ostensum est, eum genuisse Henricum, Leopoldum, & Fridericum. Quia tamen, deficiente in utrisque ætate, nullum exercuerunt regimen, eos scriptores derelinquunt, ceu etiam in nonnullis alijs Principibus propter eandem caussam faciunt. Quamobrem licet Leopoldus iste ordine generationis tertius sit, quemadmodũ eodem modo secundus patruelis suus commemoratus, tamen jure succedendi ad regimen II. dici debet. Insuper sciendum ex Guill. M. S. (de hoc apud alios silentium) anno 1361. Rudolphũ fratrem Leopoldi pactum fuisse sponsalia nomine fratris Leopoldi cum Catharina Goriziensi, cui numerabitur dos decem millia librarum Viennensium, tantundem reponet Dux ac succedet in dominio Goriziensi, si Mainradus pater sine maribus obierit; filiæ honestè elocabuntur. Cum ob arctum propinquitatis vinculum matrimonio conjugi non possent, actum quoque est de concessione à Pontifice impetranda. Promisit Rudolphus, fratres cum tutelæ annos egressi fuerint, conjugium ratum habituros. Quia tamen mentio sæpe incidit Dynastarum Goricensium, quorum tandem successores facti erant Austriaci (at quo jure in illorum dominijs hi successerint, suo loco) in Austriaca Historia, non abs re erit hic, ubi commemoratio de prima Leopoldi II. sponsa, eorum, unde ejus origo, ac progenies, Genealogiam attexere.

Guill. M. S. lib. 10. in fine.

CHARINTHIÆ PALATINI, ET COMITES Goriziæ Conſanguinei Auſtriacorum, Catharinæ Sponſæ Progenitores.

ALbertus Palatinus Carinthiæ, & Goritiæ Comes. Hunc Comitatum in diviſione cum fratre facta 1272. accepit. Bellum cum Venetis geſſit auxilio Patriarchæ Aquilegienſis. Vxor Offina filia Hartmanni Artenburgenſis Comitis, ex qua nati.

Meinardus Goriziæ Comes & Carinthiæ Palatinus auxilio Ludovici Patriarchæ Aquilegienſis bellum cum Venetis continuavit; unde obæratus fuit ab Auſtriacis, & tandem ex mœrore diem ſuum clauſit extremum. Vxor N. filia Vdalici de Pfanberg & Montfort, cum qua genuit Meinardum, Ioannem Meinardum Goriziæ Comitem A. C. 1403. maritum Magdalenæ, filiæ Friderici, Ducem Bavariæ in Landshut, Henricum, Vrſulam, elocatam Henrico de Schauenberg cum dote 15000. florenorum, Catharinam Sponſam Leopoldi II. Henricus III. frater Mainardi Taruiſienſis Vicarius conſtitutus ab Imperio 1346. contra Ludovicum Brandeburgenſem bello decertavit pro Comitatu Tyrolenſi. Vxor Beatrix filia Stephani Palatini Schyrenſis mortua 1340 ex qua Ioannes (alij Fridericus) Albertus IV. Comes Goricenſis, & Tyrolenſis, Henricique præfati frater, qui aliquot prædia Iſtriæ etiam poſſedit. Contracto verò ære alieno, multas ditiones Auſtriacis creditoribus ſuis relinquere coactus eſt.

Hic fuit Maritus Annæ filiæ Friderici Pulchri Imp.

Ioannes Henricus frater Goritiæ Comes cum Hermanno Cilienſi bello decertavit, & ære alieno contracto multa Epiſcopo Salisburgenſi vendidit A. C. 1380. Vxor Anna, filia Friderici Pulchri Regis Romani & Ducis Auſtriæ ex Iſabella Regina Aragoniæ. Filij Ioannis.

Goritia Auſtriacis hęreditaria.

Henricus Comes Goritiæ bellum in Cilienſes continuavit. Obijt forte 1560. Ab eo Henricus Comes Goritiæ. Vxor N. Vngarica; ex qua Leonardus Comes Goritiæ interfuit Comitijs Auguſtanis celebratis 1573. Mortuus eſt 1500. & Comitatum Goricenſem ex pactis hæreditarijs occuparunt Auſtriaci. Leonardus Comes Goritiæ, cui filia Margarita nupta Ioanni Comiti Oetingenſi cum dote 6000. Vngaricorum. Henricus Comes captus à Nicolao III. Marchione Eſtenſi, & Ferrariæ, liberatur à ſocero A. C. 1430. Adverſatus eſt Sigiſmundo Imp. & à Friderico III. Imp. magnam pecuniæ ſummam mutuatus eſt. Vxor Catharina filia Hermanni Comitis Cilienſis, quæ viro inſanienti compedes injecit.

Huic aliqui aſcribuunt filios, Fridericum & Vldaricum.

Matrimo-

MATRIMONIVM III.

Albertus III. Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Comes Habsburgi, Cognomento cum Trica, & Pater Patriæ, & Mathematicus. Ejus prima Vxor (de 2. post fratris Leopoldi Conjugium) Elisabetha, Caroli IV. Imper. filia, paucis post annis à Rudolphi IV. nuptiarum celebratione sibi conciliata.

SCribebam ipse annis duobus non adhuc prætcritis sub illo Gentil. 1. excursu quinto Genealogiam Habsburgicam Austriacam ordine Chronologico, nec dum adverteram, Kilianarum imaginum Dilucidatorem sub propria eicone, sive M. S. Guillimanni in illo ij. libro, ubi propè finem de I. Alberti III. consorte mentio expressa, ac progenies. Et propterea cum ibidem affirmarim, neque apud Cuspinianũ, neq; apud Gans, aliosque ulla de ea commemoratio, sed apud Marcum Henningem in libro Comitum Tyrolensium, ære pulcherrime, & ingeniosè expressorum, teneor modo confiteri præfatos auctores quoque binas conjuges Alberto concessisse, quarum primam, quia minimè peperit, alij forte dereliquerunt. Verum scriptor Kilianista perperam Catharinam Lucemburgicam eam nuncupat, & verius Gerardus lib. 4. Henning. ipse & Guill. Elisabetham, cujus stirps tam paterna, quam materna est, ut sequitur.

Elisabetha, prioris Alberti III. Conjugis paterni, ac materni Progenitores.

HEnricus Comes Lucemburgi. Vxor Beatrix, Ioannis Hanoniæ Comitis filia.

Henricus VII. Imp. Comes Lucemb. Vxor Margarita Brabantina, quam Ioannes I. Dux Brabantiæ ex Margaritha conjuge altera Guidonis Comitis Flandriæ filia susceperat.


Joannes Rex Bohemiæ, Comes Lucemb. cui Vxor Elisabetha Bohemiæ hæres. Hujus parentes Wenceslaus Rex Bohemiæ filiusque Premislai Othocari Bohemiæ Regis; nec non & Gutha Habsburgiensis, filia Rudolphi I. Imp. & Annæ Hoebergicæ.

Carolus

Carolus IV. Imp. Rex Bohemiæ. Vxor Anna Palatina quæ & Meczella, parensque Elisabethæ conjugis Alberti III. Annæ genitor Rudolphus Palatinus, Dux Bavariæ (maritus Methildis Nassoniæ, filiæ Adolphi Cæsaris Nassoviæ Comitis, conjugisque Imaginæ Limburgensi Comitissæ) ac filius Rudolphi Palatini Ducis Bavariæ, æditi à Ludovico Palatino Bavariæ Duce, & à Methilde Habsburgica Rudolphi I. Cæsaris filia. Genitrix verò Elisabetha, Ludovici Regis Hungariæ soror, filiaque Caroli Roberti Hungariæ Regis, & Elisabethæ Polonæ. Parentes Caroli Carolus Martellus Princeps Salernitanus, & Clementia Habsburgica Rudolphi Cæsaris filia. Parentes Elisabethæ Vladislaus Loxtenus Rex Poloniæ, & N. Itaque ubi Albertus III. fuerat Rudolphi I. Imperatoris linea mascula pronepos, Elisabetha quoque Bohema muliebri sanguine nunc ex parte Guthæ filiæ, Caroli IV. Imp. aviæ, ejusdem Cæsaris abneptis erat, & gradu unico viro suo proquinquior, nunc vero ex parte Clementiæ alterius filiæ adneptis.

MATRIMONIVM IV.

Antedicti Leopoldi II. cum 2. cunjuge Virida, Barnabæ Vicecomitis, Domini Mediolanensis, & ejusdem Civitatis Imperialis Vicarij generalis filia, ducta 1364. Pontificatus Vrbani V. anno 2. Imperij vero Caroli IV. 16.



HOc connubio, propter quod meritò Rudolphus IV. frater Mediolani iter confecit, ut demonstratum est, quarta vice Austriaca Gens, incipiendo à Magno Cæsare Rudolpho, propagata est, ejus enim exordia ab Anna Hoebergensi, deinde ab Elisabetha Carinthia, & 3. ab Ioanna Ferretana.

Obitus Leopoldi. Sepultura. Liberi. Virida ubi tumulata. Hanc vocat Roo lib. 4. fol. 134. pulchritudine insignem.

Occubitus Leopoldi strenuus, ac generosus in famosa illa Sempachiana apud Helvetios conflictatione contigit VII. Idus Julij fer. 2. 1386. ut communiter fertur, ætatis suæ 36. De eo explicitius in actis ejusdem sub Gentilitio penultimo. Principis corpus una cum optimatibus Campi regij monasterio tumulatum est. Reliquit ex Virida, quam sepultam esse in monasterio Carniolæ Sittico notat Manlius, *Catharinam* apud S. Claram Viennæ Monialem, & *Elisabetham*, quæ Henrico Goriciæ sponsa 1382. impubes impuberi ante nuptias obijt & apud S. Stephanum deposita est. Ejus doti cavit pater per Portum Naonis in summa assignatis duobus millibus flore-

florenorum. Filios 4. *Gulielmum I. Leopoldum III. Ernestum I. Fridericum* IV. Hæc ex M. S. in Leopoldo II. Roo utramque filiam Leopoldi nominat, sed secundam quasi hæsitando, & ex relatu aliorum. Alij 4. filias tribuunt Leopoldo, alij tres, & omnes maritis copulatas. Vide Gentil. I. ubi de filiabus Leopoldi fol. 269. ac primo paragrapho antecedenti, in quo de scriptorum discordantia circa masculorum ordinem. Adductus à Guillimanno adstipulatur Cuspiniano, aitque lib. 15 in Ernesto, Minimum natu filiorum Leopoldi Probi plerique hactenus contra veterum instrumentorum auctoritatem prodiderunt. Illa clarè tertium, & distinctè ponunt, & ante Fridericum, ut nullum sit dubium, quin Fridericus uti morte ita quoque vita postremus fuerit, utraque ipsum Ernestus antecesserit.

Viridæ Vicecomitissæ Mediolanensis, Generisque Austriaci tertiæ propagatricis, nomine, & re ingenua sobole virescentis, paterni, ac materni progenitores

TEobaldus Vicecomes. Vxor Anastasia Pirovana, neptis Vberti Archiepiscopi Mediolanensis ex fratre.

Mattheus dictus Magnus Vicecomes Vicarius Imperij Mediolani. Vxor Bonacosa Porria, cui parens Scarsinus de Porris antiquissimæ, & nobilissimæ familiæ Mediolanens.

Stephanus Vicecomes. Vxor Valentina Doria, genita Barnabæ Doria, Branci Doria filij.

Barnabas Vicecomes Vicarius Imp. Mediolani. Vxor Beatrix Scaligera, VIRIDÆ genitrix. Huic parentes Mastinus III. Veronæ Vicarius Imp. ex Vxore Dominus Patavij, & Thaddæa Carrariensis, filia Iacobi grandis primi Principis Patavij, filijque Marsilij, & Annæ Gradonicæ Venetæ, quam Petrus Gradonicus Dux Venetus genuerat. Avi Alboinus Dominus Veronæ factus Vicarius ab Henrico VII. Imp & Catharina Vicecomes, filia Matthei Vicecomitis Imperij Vicarij Mediolani, & Bonacosæ Scarsini de Porris filiæ. Proavi Albertus I. Pretor Veronæ electus Dux à Populo, & N.

MATRIMONIVM V.

Præfati Alberti III. cum Beatrice Burgravia Norinbergensi, ducta 1375. sub Gregorij XI. anno 4. & Caroli IV. Imp. 27.

Guill. lib. ij. in Alb. 3.

T probaret M. S. Guillim. eorum omnium haud quidem tolerandam hallucinationem, qui Alberti obitum sub anno 1388. accidisse contendunt, principio lib. ij. ostendens quid egerit Albertus ad primum fraterni interitus, & tantæ cladis nuncium, hæc inter reliqua statim subdit, loquens de inducijs partium Imperialium Vrbium. Crebræ postea fuerunt induciæ, de quibus & cæteris in Leopoldo memoravimus, quas omnes diversis temporibus sua auctoritate, tanquam Domus caput, & natu maximus, Albertus confirmavit veluti annuas anno 1388. & annorum septem 1389. Fœdus 1393. & pacem vicennalem 1394. Ex quibus claret, in erorrem Ioannem Cuspinianum & Gerardum de Roo, & reliquos hactenus præcipitasse, qui Alberti III. mortis annum octogesimum octavum constituunt, &c. Afferam verba Roo, quam secutus est Kilianus ubi supra. Vltimum, inquit, Alberto Bellum contra Bohemos exoriebatur, ad quod cum se pararet, morbo implicatus, in arce Laxemburgo diem obijt XV. Kal. Septemb. anno XCX. Corpus ejus ad D. Stephani sepultum. Tricam verò, qua longos capitis crines innexos gestabat, in arce Laxemburgo servari dicunt. Vxores habuit duas, &c. Guill. verius. Extremo, inquit vitæ anno plenarias suscepit indulgentias à Bonifacio Papa, quas etiam anno 1390. cum conjuge accepit ejus valoris, ac si annis 33. Basilicam Romæ visitassent.

Error quorundã historicorum de obitu Alberti III.

Roo lib. 4 ad ann. 1388.

De Trica Alb. ex *Roo*.

Excessit ventris profluvio, quod veneno, ut alij notarunt, excitarat per frandem Medicus; proprius vero est, cum nimirum se fatigasset venationis laboribus, mortem accelerasse, quam obijt 17. Augusti Anno 1395. Laxemburgi arce, quam à fundamentis cum multis alijs extruxerat, sacelloque Deiparæ, & vivario multisque ornamentis coluerat, à conjuge Beatrice translatus Viennam, & conditus ad S. Stephani. Ex qua unicum filium suscepit Albertum IV. Fuit Burgravij Norinbergensis Friderici III. filia, cui in testamento cavit de dote, ac donatione propter nuptias, & voluit, ut retineat, nemine impediente, dominium Freystadense, & Berchtolsdorff arcem, Tulbingen cum annexis. Cujus gratia maritus ædificavit arcem Laxenberg, ubi plerumque Regiam, seu aulam habuit. Ei in dotem attulit triginta millia florenorum, & ob donationem nuptiarum accepit quadraginta quinque millia. Pactis dotalibus insertum erat si sine liberis decesserint, aut liberi eorum, ut tum summa eo redeat, unde venit.

Filius.

Anno 1366. tractatum fuit de matrimonio ineundo inter Albertum, & Elisabetham, Bavariæ Ducis Stephani filiam, & Regis Hungariæ Ludovici ex fratre neptem. Cur non successerit, parum comperi. Cognomen tulit Albertus *Mit dem Zopf* quod est Latinè *Trica*. Fœmina enim quædam honorata sibi plegma (Germanicè *Ein Zopf*) absciderat, Ducique dederat. Ad cujus honorem is sodalitatem instituit Plegmaticam. Hucusque Guill.

De Alberti cognomine.

Guill. Gans ante Albertum IV. natam fuisse Alberto III. parenti Annam, Vxorem Henrici D. Bavariæ fatetur. Et quantum ad ejus obitum concordat cum Guill. & alijs, profertque explicitius, Znoymæ, inquit, ex venatione paulo vehementiori, vel ut alij veneno, & alui solutione 1395. in decollatione S. Ioannis (ut Crux habet tumbæ imposita) obijt. Requiescit in crypta S. Stephani ad parietem sinistri lateris in descensu, primo loco, & desuper gladius, in cujus nodo insignia Austriæ argento insculpta, in ipsa vero ensis superficie insignia Habsburgica. Sed ridicula ac vana certè apparent nonnulla, quæ super allatam de cognomento Alberti historicè recitat Neotericus quidam. Albertus, inquit, III. *Cincinnatus*, vel ut alij loquuntur, cum *Tricis* quod cincinnum in barba, & capillo ferre sit solitus, cumque peregrinaturus esset ad Terram Sanctam, Vxori Beatrici memoriæ ergo commiserit; vel, quod cum reversus ex Terra sancta, in Novo Castro conjugem lavantem, ut erat, solutis crinibus reperisset, subito volenti more mulierum in nodum crines constringere, eundem præsciderit, &c. In eicone Kiliani, quam ex optimi Principis naturali effigie desumptam esse presupponimus, sculptus est Albertus sine barba, ac gemina trica, hinc inde è crinibus capitis tantum in longum protracta descendente, ac more fœmineo contexta. Comæ nutritio mos Regum perantiquus, ac multis de causis, tam sacris paginis, quam humanę prudentiæ, ac sapientiæ ritibus non absque egregijs symbolis correspondens. At de Barbæ cultura, & oblectamento dispar ratio omninò. Legantur Valerianus, & alij. Possent in aliquo Principe, ingenio, & virtute insignito, uti erat Albertus, hujusmodi cincinni aliquod peculiare, & etiam potius solidum, quam vanum indicare; verum in barba nonnisi quid risu dignum, ac stultitiæ proximum proculdubio argueret. In suo Thalete cap. 5.

Præterea illam peregrinationem ad Terram Sanctam eo modo quo scriptor affert neque apud Roo, neque apud Guillimannum, aliosve nonnullos recensiores, qui penes me sunt, historicos reperire adhuc potui. Roo sub 1377. lib. fol. 121. Hoc ipso anno, inquit, Albertum Austriacum in Borussiam profectum, atque illic militarem dignitatem adeptum esse invenio. Subdit tamen Guill. Sunt etiam qui in Borussiam expeditionem habuisse scripserunt, cujus præter nomen nihil in vulgus emanauit. Non tacuit Roo isthanc ab eo repertam enarrationem, quamvis num ea contingerit, vel nec ne, parum discusserit, & tacuisset præscriptam, Pietati Alberti, quæ magna in eo erat, maximè famulaturam? Relatio igitur commemorata de Alberto IV. filio, ut quamcitius videbitur, verissima, non autem de parente, cui etsi gratis concederetur, juxta alteram neotericæ thesis obdubitationem, absque dubio regressus Alberti à Palestina magno conjugi ludubrio extitisset, nihil enim ornatius, nihil jucundius illustribus fęminis ipso capillamento, etiam à divinis literis, ne dum à prophanis scriptoribus celebrato. Nec valet dicere, nodum illum non fuisse crinibus effectũ, Ibidem in Alb. III.

sed aliqua victa serica, quam solum prescidit maritus; quia licet in hoc sensu auctor loqueretur, esset tamen res valde impropria illa desumptio nomenclaturæ (telis deinde à pictoribus, cartis ab eiconographis, statuisque à sculptoribus demandatæ) cum *Trica* ab eo eventu, sive uno, sive alio modo; Et maximè quia illa oblonga capillorum contexio, quæ in arce Laxenburgo servatur, Alberti est, non autem conjugis Beatricis.

Paterni, ac materni Beatricis Burgaviæ Norinbergensis Progenitores.

FRidericus I. Comes Zolleranus, & primus Burgravius Norimber. Vxor Elisabetha, Othonis I. Moraviæ Ducis filia.

Fridericus II. Burgrav. Norimb. Vxor Margarita Carinthia, filia ex Agnete ab Aichenberg Comitissa Alberti Tyrolensis Carinthiæ Ducis.

Joannes I. Burgrav. Vxor Elisabetha Hennebergica, quem genuerunt Bertholdus Comes Henneberge, & Adelheida Hassia, ille Bertholdi Com. Henneb. ex Sophia Comitissa à Schvvaryenburg proles, ista verò Henrici Hassiæ Landgravij, Adelheidæ Brunsuicensis mariti.

Fridericus III. Burgravius Norinberg. Vxor Elisabetha Turinga. Hujus genitor Fridericus, M. Misniæ Landgrav. Thuringiæ declaratus Cæsar contra Carolum IV. filius Friderici M. Misniæ, & Landgravij Thuringiæ, à se subjungatæ; ex Elisabetha ab Arensberg, Wilhelmi Com. ab Arensberg, & Beatricis filia neptisque Alberti avi Marchionis Misniæ, & Margaritæ Friderici II. Imper. filiæ. Genitrix vero Methilda Bavara, Ludovici IV. Imper. Bavari, orti ex Ludovico Palatino Bavariæ Duce, & Methilda Habsburgica, filia, nec non & Beatricis Glogoviensis Slesiæ, cujus parentes Henricus Glogoviensis Dux Slesius, & Methilda, Alberti Brunsuiensis filia.

Beatrix Burgravia Alberti III. Conjux, qui maternum genus duxit à sorore Rudolphi I. uti infra scribitur in Genealogijs de Zolleranis, ac Brandeburgicis.

SECTIO II.

DE MATRIMONIJS FILIORUM, NEPOTUM, ac pronepotum Leopoldi II. tam ex fratre Alberto cum Trica, quam ex proprijs sobolibus.

Matrimo-

MATRIMONIVM V.

Gulielmus I. Rex Poloniæ, Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ Carniolæ, Comes Habsburgi, & Landgravius Elsatiæ, cognomento Aulicus. Prima sponsa Hedvvigis Polona 1382. Pontificatus Vrbani VI. anno 4. Imperij verò Wenceslai anno 1.

IN aula Ludovici Hungariæ, & Poloniæ Regis cognati à puero educatus Gulielmus, *Aulici* quidem cognomen à morũ venustate, ut Annales habent, ad posteros transtulit. Cæterum tantam de se spem prebuit, ut illi Ludovicus moriturus alteram filiam cum Poloniæ Regno testamento sponsam reliquerit, designaveritque anno 1382. Igitur profectus in Poloniam Gulielmus, ubi jam aliquot annis sponsa Hedvvigis Regnum obtinuerat, administraratque egregia supra sexum prudentia, & popularium favore. Cracoviam ingressus, magna omnium aspectatione & voto in eo erat, uti nuptias celebraret quam superbissimas. Aderant nihilominus haud pauci proceres Regni, qui insita mobilitate, aut Germanicæ nationis invidia, & odio quemcumque alium præter Gulielmum mallebant. Postremò Iagellonem Lithuaniæ Principem, hominem barbarum sollicitavere. Et is, si Regnum potiatur, non solum Lithuaniam conjuncturum Poloniæ, sed Christianam Religionem, & disciplinam suscepturum, aliaque plura spopondit. Tum verò plerique eo inclinavere publici boni prætextu, insigni adversus Gulielmum injuria, quem non modo Regno, sed conjuge quoque per summum nefas exuerunt, frustra Hedvvige invita, & obluctante, neque alium se, quam Gulielmum maritum agnituram magnis clamoribus, & ejulatibus contestante. Iagello, cui postea ex sacro fonte Vladislai nomen fluxit, & regnum, & Hedevvigim per vim pridie Idus Februarij 1386. obtinuit. Extant adhuc rythmi Germanici, qui hanc tantam injuriam, & indignitatem detestantur, & Polonicæ nationi improperant. Abstinuit alio matrimonio, dum Hedvvigi vita fuit, Gulielmus ritu Catholico, quo legitimæ duæ conjuges eodem tempore prohibentur; sive nonnulla recuperandæ dignitatis & consortis, si quid humanitus Vladislao accidisset, spes supererat. Refert Roo eandem historiam uberiori stilo propter circumstantias alias nonnullas, certè scitu dignas, affertque in rei testes quasdam literas apud Ioannem Cuspinianum. Videat lector utrumque, si placet.

M. S. Guill. lib. 13 & Roo lib. 3. fol. 124.

Hæc profectio apud Roo 1385.

Eneas Sylnius Epist. 101. Iagello Dux Lithuaniæ.

Loco citato.

Loco cit. ubi de 1. Gulielmi ſponſa.

Pro hujus connubij certitudine comprobanda adducit Guill. Regis parentis, & Hedvvigis ſponſionem, dotis promiſſionem, pactaque & ſimilia inter alterutras ultro citroque partes, hoc modo. Ludovicus (uſus hoc titulo) Rex Hungariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Romæ, Serviæ, Galliciæ, Bulgariæ, & Comaniæ, Princeps Salernitanus, & Honoris montis, S. Angeli Dominus, remittit Leopoldo filiæ ſuæ ſocero centum millia florenorum, ob pecuniam à Wilhelmo futuro genero, & filiæ ſue Hedvvigis ſponſo ſolvendam, quæ conſtare debuit ex his centum mille florenis in dotis compenſationem promiſſis. Quilibet, quod debet ex pactis dotalibus, vel in promptu ſolvat, vel pignoribus caveat, ita ut ſi abſque liberis contigat eos fato fungi, utriuſque hæredes bina centum millia florenorum reſtitutioni obnoxia recipiant. Quam ſummam parentes, ac conjux dabunt intra triennium ſponſæ, ſi attigerit annum 12. ac ſponſo. Conſenſerunt in has pactiones ordines Hungariæ, Cardinales, Epiſcopi, provinciarum primates, ac præcipuæ Civitates Regni. Facta hæc ſunt anno 1370. Quadriennio ante Leopoldus promiſit Ludovico, ſe filium ſuum ipſius filiæ fœdere conjugali juncturum, ut ex hac epiſtola liquet. De eodem conjugio ſcribit Leopoldus ad Regem.

Epiſt. Leopoldi II. ad Regem Ludovicum de matrimonio Gulielmi filij cum Hedvvige.

Leopoldus Dei gratia, &c. Notum facimus tenore præſentium univerſis. Quod nos animo deliberato, maturoque baronum, & procerum noſtrorum accedente conſilio, bona fide, & abſque omni dolo, ac ſine fraude, Sereniſſimo Principi Domino Ludovico Regi Hungariæ, fratri noſtro cariſſimo propter ſinceri amoris conſtantiam promiſimus, & præſentium ſerie promittimus ſeriosè quod illuſtrem Principem Ducem Wilhelmum, primogenitum noſtrum cariſſimum, inclytæ Virgini Hedvvigi, ejuſdem Domini Regis natæ juniori cum maritagio, ſive donatione propter nuptias ſicut cæteri Principes & Duces Auſtriæ pro ſuis filijs, & fratribus facere conſueverunt, matrimoniali fœdere copulandum trademus in conſortem legitimum & maritum. Ita tamen quod prædictus Dominus cum alijs hæredibus noſtris de hac luce cedentibus, eundem natum noſtrum, unà cum alijs hæredibus noſtris, ab omnibus eos juribus ſuis perturbare volentibus protegat, & defendat. Et modo conſimili promittimus prædicto Domino Regi bona fide, & ſine dolo, quod ipſo decedente, prædictam filiam ſuam Hedvvigem, unà cum alijs ſororibus ſuis, ſimiliter in omnibus juribus ſuis, ab omnibus eas perturbare volentibus protegemus & defendemus, harum ſub noſtro pendenti ſigillo, teſtimonio literarum. Datum Erenberg Auguſtenſis diocæſis die 18. menſis Auguſti anno Domini

1374.

Hed-

Hedvvigis Reginæ ſtirps, ac Progenitores ſic ſe habent.

Carolus Martellus Rex Vngariæ.

Carolus Robertus.

Ludovicus Rex Vngariæ XXVIII. poſt exequias patri perſolutas, Albæ Regali in frequentiſſimo Pannonum conventu coronatus eſt 1342. In initio Regni mitem ſe, ac clementem præbuit illis, qui à Regno defecerant, primis Saxonibus in finibus Tranſylvaniæ, & Alexandro Vajvodæ, vel Duci Tranſalpinæ Valachiæ, quibus devictis pepercit, & imperata eos facere juſſit. Impetum Ioannis Bohemorum Regis adverſus Caſimirum Poloniæ Regem, per Legatos expeditione facta, compeſcuit 1344. Tartaros, qui Tranſylvanos infeſtabant, repulit, auſpicijs Andreæ Vajvodæ Valachiæ. Croatiam & Dalmatiam ductu Stephani Boſnenſis Bani recepit anno eodem. Ad vindicandam fratris Andreæ cædem injuſtiſſimam, factam 1345. inſtructiſſimum exercitum in Apuliam duxit, Ioannam Reginam paricidam cum marito ejus Ludovico Tarentino è Regno Neapolitano fugavit in Galliam. Averſiam, ubi frater à conjuge ſtrangulatus fuerat, expugnavit, cognatos Principes omnes, qui officij gratia eo convenerant, Ludovicum Robertum, & Carolum Dyrrachij regulum fratres, Robertum Principem Tarentinum, & Philippum fratrem ejus in vincula conjecit, ex quibus Carolus Dyrrachij regulus, habita quæſtione de fratis cæde capitis pœnam Averſæ luit. Occupatis deinde reliquis urbibus, Neapolim ingreſſus cum eſſet, Rex Siciliæ, & Ieroſolymæ proclamatus eſt. Per totum itaque Regnum Neapolitanum omnibus diſpoſitis, & Vrbibus præſidijs impoſitis, in Vngariam reverſus 1348. Poſt ejus diſceſſum cum nova ſeditio inter Italos & Vngaros oriretur in Regno Neapolitano, iterum ad compeſcendos motus Italiam ingreſſus eſt. Qui defecerant, ad officium præſtandum adegit, & ordinatis reliquis neceſſarijs rebus, in patriam redijt 1350. Poſtea Ioanna Regina libidinoſiſſima cum marito in Regnum Neapolitanum & Siciliæ à Clemente Antipapa reſtituta eſt. In Venetos bellum movit, ducens in Italiam ſupra 40000. equitum, Tarviſium obſidione cinxit, munitiones plurimas occupavit. Venetis pacem petentibus humaniter conceſſit 1352. (alij 1359.) Moldanos & Ruthenos domuit, eamque gentem per duces ſuos aliquandiu adminiſtravit. Comaros ritu Tartarico involutos ad fidem Chriſtianam perduxit. Auxilia Pontificibus Romanis ter miſit per legatos, ut Innocentio, Gregorio, & Vrbano Papis exoratus opem afferret 1352. Barnabam, & Galeatium Vicecomites, Bononiæ infeſtos compeſcuit. Alberto Auſtriæ Duci ſuppetias tulit in Turegienſes, qui

Fugat Ioannam Reginam Neap. Vbi ſtrangulatus ejus frater Andreas Ioannæ maritus, ibidemque eodem interitu pœnas luit conjux poſt reditum ex Avinione.

ab eo defecerant. In Bulgariam expeditionem suscipiens, Stratimirum Ducem, vel Imperatorem illius regionis cepit, receptaque ab ipso fide, in regnum remisit. Movit & in Carolum IV. Imper sed nulla re præclarè gesta, exercitum reduxit. Poloniam gubernandam suscepit, Casimiro Magno affine mortuo 1370. & Lithuaniam 1371. ingressus est, pacem à subditis petitam eis dedit, & confirmavit. Venetos iterum bello gravi afflixit 1380. Judæos ab omnibus Vngariæ finibus exegit, qui postmodum Austriam & Bohemiam inundarunt. Cœnobia Eremitarum duo condidit, unum in Nozthre, alterum in Leveldo. Duas item ædiculas D. Virgini erexit, unam in Aquisgrano, alteram in Cellis. Obijt die 2. Sept regni 40. mense I. diebus 12. Sepultus Albæ regalis in Basilica D. Stephani, vel in sacello D. Virginis, quod ipse vivens extruxerat.

Obitus. Sepultura.

Sambacus sic de ipso lusit.

Post hunc in promptu est Ludovicus: plurima gessit
Bella, premens Bohemos, Tartaricosque dolos.
Dum fratris cædemque ulciscitur, urbe Neapli
Mox potitur, Venetis Dalmatiamque adimit.
Lithuanos pepulit, Strathmerumque inde Polonis
Imperitat, lustris bis quatuorue viget.

Vxores R. Ludovici.

Vxores ejus duæ, Margarita filia Caroli IV. Imp. mortua intempestivè, & Elisabetha, filia Stephani Bani, vel Regis Bosnensis, quæ post mariti mortem Regnum cum filia administravit, & Carolum de pace, vel parvum interfici jussit, ideo à Ioanne Korvatho Bano Croatiæ jussu Nicolai de Bara cæsa, & in flumen Bozatam demersa est. Ex hac filiæ 4. Catharina innupta. Maria Regina Vngariæ XXIX. cononata post mortem patris in Alba regia regnavit cum matre usque ad 1382. Quod contra ipsam ab Vngaris in Regnum introductus est Carolus de pace vel parvus ex Regno Neapolitano, & coronatus. Mater vero ob hunc cæsum interfecta, ipsa in Croatiam abducta est captiva. Liberata, nupsit Sigismundo Imper. & Regi Bohemiæ, Comitique Lucemburgico. Adjuga, vel Hedvvigis, quæ defuncto Patre Regnum Poloniæ accepit, desponsata quidem Gulielmo Austriæ Archiduci, sed nupta fuit Iagelloni, qui cum ipsa Regnum Poloniæ accepit. Elisabetha, nupta Stephano fibulato, Duci Bavariæ. Reliqua de Gullielmo in altero Matrimonio. Sponsalia verò Friderici IV. quæ jure temporis sequens matrimonium præcedere debebant, reperiet lector in conjugijs ejusdem Friderici.

MATRIMONIVM VI.

Leopoldus III. Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comes Habsburgi, Teriolis, Ferretæ, Kiburgi, Landgravius Elsatiæ, cognomine Superbus, & Crassus. Vxor Catharina, Philippi Audacis Ducis Burgundiæ filia, Sponsaque 1381. sub Bonifacij IX. Anno 12. Wenceslai verò Imp. 7.

TEmpus hujus Matrimonij desumpsimus ab ipsius tractatione, quæ eo anno 1387. incidit. Testantur duo instrumenta, per extensum à Guillimanno lib. 14. allata prout in authographis reperta. In quorum utroque agitur de dote, Vxori à parente assignata, de quibusdam pactis inter partes, & similia. Prioris conclusio. *In quorum robur & testimonium nostra sigilla fecimus apponi præsentibus. Acta hæc fuerunt* Divinione 17. die mensis Septemb. 1387. Posterioris. *Quod ut firmum & stabile perseveret, præsentes literas sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. Datum in Abbatia de Luxovio die 6. Septemb. 1387.* Anno deinde 1409. Catharinæ Burgundiæ Maritus, ac ejus fratres pro compensatione dotis, ac donatione propter nuptias ultra sexaginta mille florenos persoluturos promiserunt. Cui summæ cavent per pignora hujusmodi instrumentis designata, quibus ad dies vitæ fruetur, utetur, ditione, ac civitate Rhinfeldensi, Lauffenbergensi, dominio Herciniæ, & munitione ibi Havvensteiniana, subditorum privilegia non labefaciet. Reservant Archiduces ibi aperttram, & obsequia subditorum ipsis, postulante necessitate exhibenda. Post obitum ejus non relictis liberis pignora Austriaci ibi revindicabunt, ac subditi liberi erunt à juramento, Catharinæ præstito.

In fine post Genealog. Catharinæ

Idem M. S. ubi supra.

De anno obitus Leopoldi diversum fermè omnes tradiderunt. Lazius ann. 1412. defunctum esse asservit: Annalium Austriæ scriptor *(Gerardus de Roo lib. 4. fol. 145. 1410. huic alij adstipulantur, præcipuè Kilianus, &c.)* Cronographus Helvetiæ 1400. Chronicon Tigurinum & Basilense quod sequitur Gans in lib. Leopoldi Probi 1411. alij ejusdem sæculi 1402. Ex instrumentis à Guillimanno memoratis, ut ipsemet fatetur, satis constat ad annum 1403. pervenisse, & non superasse annum ij. Anno 1411. die S. Laurentij ex literis certum est, Fridericum Ducem in Brisgoijs regnasse. Argumentum habet Guillim. ex bello, quod Ioannes Lupodunensis cum Basiliensibus eo anno gessit Catharinæ Leopoldi viduæ nomine, & propter

Controversia de tempore decessionis Leopoldi ex M. S. in Leopoldo III.

Ex lit. Frib.

ter Elſatiam, & Sequanos, quas duas Brovincias, Burgundiæ vicinas matrimonij gratia uxori moriens uſu fructuarias, cum hæredes ex ſe non haberet, Princeps reliquerat. Erat enim Catharina, ut ſupra meminit Guill. ad ann. 1396. Ioannis Niverſiæ Comitis, & poſt patrem Burgundiæ Ducis ſoror, Philippi Audacis filia, Ioannis I. Franciæ Regis Neptis, Philippi VI. Proneptis. Obijt anno 1411. tertio Iunij, ut in crypta S. Stephani, ubi fuit conditus, advertit Gans, adnotatum. Alij, quos ipſemet citat, ferijs Pentecoſtes, ſubditque, atque hinc erroris arguitur Henn. dum eum Kynigsfeldæ ſepultum ſcribit. In eandem hallucinationem lapſus eſt poſtremò Thales Franciſcanus lib. 2. cap. 3. quod ſi ſuum Roo legiſſet, minimè quidem cum cæco ductore in foveam cecidiſſet. Mortis cauſam fiſtulæ attribuerunt, quam adoleſcenti ex arcu per vim exploſi vulnere, crure ſiniſtro contractâ, cum eo uſque aluiſſet, humoribus derivatis, contra medicorum, & chirurgorum omnium mentem, & voluntatem ſedari voluit. At verò poſteaquam ſanies, & coruptus ſanguis exitum, cui aſſueverant non reperere, in ſuprema corporis caloris vehementia ebullierunt, nariumque, & oris meatibus intercluſis, quadrageſimum annum vix dum egredientem ſuffocavere. Ædificavit arcem Neoſtadienſem, Monaſterium etiam Schænenſteinbach ſanctimonialium Ordinis S. Dominici ſupra Enſisheimium reparavit, Anglicis præteritis bellis exuſtum, & in favorem Catharinæ conjugis, quæ eo ſanctimoniales ex Dyoniſij villa (vulgò Syſenhoffen) tranſtulit, & inter eas Clarannam Hombergenſem, fæminam illuſtrem & Latinè doctam, quam præeſſe virginibus ſacris voluit. At illa quidem ita vitam diſciplinamque inſtituit, ut inde veluti fonte ad reliqua penè omnia ſanctimonialium collegia ſuperiori in Germania vivendi piè, & religiosè, ſtrictèque dimanarit regula, & forma. Multa alia Leopoldus condidit, aut reſtituit, de quibus alibi. Princeps proceræ ſtaturæ, ait Gans, ut ex tumba & oſſibus apparet, quæ jacent ad dextrum latus ſcalæ, qua deſcenditur in cryptam; gladius ſuper eum poſitus non reperitur, ſed vagina. Roo loco citato, fuiſſe proditur, ait, ſtatura mediacritatem aliquantulum excedente, corpore pleno & habitiore, unde Pinguis ſive Craſſus à quibuſdam (etiam Magnum addit Guill. in ſe oculos & ora univerſorum convertentem) ab alijs verò Superbus ſive Ambitioſus dictus eſt, quod Francofurti in Comitijs omnes Principes magnificentia ſuperaſſet, ubi præter aulicum famulitium, duos & quinquaginta Comites & Barones in comitatu habuiſſe dicebatur. Nupſiſſe Catharinam ſecundò Baroni Rapolſteinio quidã volunt, quos tacito nomine citat Guill. Vixit, inquit, illa adhuc 1422. & 1425. ſeque ſemper Duciſſam Auſtriæ inſcripſit inſtrumentis. Eique Catharinæ reliquit maritus uſum fructum multarum in Elſatia poſſeſſionum, & Badenvillanam jurisdictionem, & arcem in Briſia. Lazius vult, teſte Roo, Catharinam unicam reliquiſſe filiam, Comiti Goricenſi nuptam, alij nullam ei prolem fuiſſe dicunt. Gans ſubſcribit Lazio, cui fortè parum credendum.

Sepultus Viennæ ad S. Steph.

Ejus mortis cauſa

Roo lib. 4.

Ætas.

Quare dictus craſſus, ſuperbus, ambitioſus.

Ex Inſtrum.

Catharinæ

Catharinæ Burgundæ Progenitores paterni, ac materni.

CArolus Valesij, & Alensonij Comes, S. Regis Franciæ Ludovici ex filio, & hærede Philippo Audaci nepos. Vxor Clementia, filia Caroli II. Regis Neapolitani, & Comitis Andegavensis, dos Comitatus Andegav.

Philippus VI. Valesius Rex Franciæ. Vxor Ioanna Burgunda, filia Roberti III. Ducis Burgundiæ ex Agnete, à S. Rege Ludovico prædicto progenita

Ioannes I. Valesius Rex Franciæ. Vxor Gutha, sive Bonna Bohema Lucemburgica, cujus genitor Ioannes Rex Bohemiæ, Comes Lucemb. filiusque Henrici VII. Imp. comitisque Lucemb. & Margaritæ, Ioannis I. Ducis Brabantiæ filiæ. Genitrix Elisabetha Bohema, filia Wenceslai Regis Bohemiæ Sancti, & Guthæ Habsburgiensis Rudolphi I. Cæsaris filiæ.

Philippus Audax Dux Burgundiæ. Vxor Margaritha Flandra, genita à Ludovico Malano, Flandriæ Comite, filioq; Ludovici Flandriæ Comitis ex Margarita Francica, filia Philippi Longi Franciæ Regis ex Ioanna, filia Othelini Comitis Burgundiæ, nepoteque Ludovici dicti Com. Neversij, Com. Flandriæ, Mariæque, filiæ & hæredis Comitis Rhetelij, mariti; Maritoque Ludovico Malano eodem Margarithæ Brabantiæ, Catharinæ Burgundæ, Leopoldi III. Vxoris, matris. Hujus parentes Ioannes III. Dux Brabantiæ, Ioannis II. Ducis Brabantiæ genitus, & Margaritæ Angliæ Regis Eduardi filiæ; & Maria Euresia, filia Ludovici Comitis Euresij Philippi III. Regis Franciæ filij ex Margarita, filia Philippi Comitis Artesij.

MATRIMONIVM VII.

Ernestus I. Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Comes Habsburgi, & Landgravius Elsetiæ, cognomento Ferreus. Vxor I. Margarita Stetinensis 1392. sub anno Bonifacij IX. 3. Wenceslai verò Imp. 12.



AGit de hoc primo Ernesti Ferrei Matrimonio Guill. ad finem lib. 15. his verbis. Ei (nempè Ernesto) Sigismundus Rex Hungariæ cognatam suam Margaritam Stetinensem nuptui collocavit Anno 1392. ut hoc firmo Guill. lib. 15. M. S. in Ernesto I.

 vincu-

vinculo alligaretur defensio provinciarum vicinarum, in dotem assignatis viginti mille floronis, tantundem pro donatione propter nuptias reponent Albertus, ac Gulielmus. Pro qua summa Duces pignori dederunt arcem, ac munitionem Pleiburg cum omni usu fructu ejus, & annuo censu quatermille florenorum, quibus, quoad vivent, fruentur conjuges, eorumque liberi. Gans de hoc Principe, ac inter alia utroque ejus conjugio, & obitu, Ernestus, inquit, Ferreus ab animi & corporis magnitudine vocatus Bononiæ literis operam dedit, & avi exemplum secutus, sepulchrum Domini invisit, fratribus sine liberis extinctis; dimissis quoque ut avus Sacerdotijs. Vxorem accepit *Margaritam* D. Stetini filiam, Cæsaris Sigismundi amitam, sed ea sine liberis mortua, duxit *Cimburgim* Vitoldi Lituaniæ Principis filiam, quæ ei novem liberos peperit. Mortuus 1420. (vel ut alij 1435.) & sepultus in Cænobio Rhain in Stiria, quod suis donarijs vivus ornaverat. Hæc ille. Sentiamus modo Guillimannum, qui postquam tradiderit, Ernestum anno 1423. denunciasse diplomate, quo se Archiducem inscripsit, subdit paragrapho immediato.

Loco cit. in an. arb. 1.

Loco cit. ubi in margine, Ernestus usus titulo Archiducis etiã in literis anno 1420.

Obijt Græcij jam ætate ingravescente V. Idus Iunij 1424. sepultus in Monasterio Rhain Stiriæ, haud procul Græcio. In margine habetur, Lazius scribit sepultum Viennæ apud S. Stephanum lib 3. rerum Viennensium. Cognomentum fecit corporis habitus, & animi inoffensa constantia, armorum quoque & equestrium præcipuè certaminum singularis peritia, & gloria. Transfretavit etiam religionis causa & ad dominicum sepulchrum invisit anno 1411. Valetudine usus penè semper prospera, & animo in omnes eventus parato, & inconcusso. Fuerunt Ernesto Vxores duæ. *Margarita* Zvvantebori IV. Stetini terræ Pomeraniæ filia nihil peperit plurium ex sententia. Nam Manlius procreasse liberos asserit, qui infantes obierint, & in sacello arcis Neostadiensis depicti sint. Kilianus ait in proprio Eicone, Vxorem habuit I. Margaritam, filiam Bugislai Ducis Stetinensis, sororem Elisabethæ Imperatricis, Vxoris Caroli IV. Matris Sigismundi, ex qua plures suscepit liberos, &c. *Cimburgis* Vxor altera Semoniti Masoviæ Ducis filia, &c. Igitur præterquam quod nec minima mentio apud Guill. de Sacerdotijs Ernesti, in duobus quoque discordat à Gans, in supputatione, videlicet de tempore quo interijt Ernestus, quod nec anno 1420. nec juxta alios ab eo adductos 1435. accidit, & etiam in 2. conjuge, quam Roo, & Hennin. Semoniti corrupto forte vocabulo Mosaviæ Ducis filiam nuncupavit. Perperam Hortentius Pallavicinus Mediolan. Iesuita asserit omnes liberos quos X. facit contra historicos diligentiores, cum quibus neque in ordine convenit, ex Margaritha (hanc vocat Bugislai filiam) nullumque ex Ciburga procreasse filios Ernestum. Numerus & series prolium apud eum est. Ernestus II. Rudolphus V. Leopoldus V. Alexandra, Anna VI. Fridericus Cæsar, Albertus VI. Margarita II. Catharina III. Elisabetha V. Sed in Matrimonio altero ubi de Ciburga contrarium ostendetur.

Vnde Ferreus dictus Ernestus.

Nanlius in Ernesto Ferreo.

Roo ad ann. 1415. Pall. in Synopsi de Alberti II. Imp.

MATRI-

MATRIMONIVM VIII.

Gulielmi I. commemorati cum 2. Conjuge Ioanna Duracia, ducta 1399. in anno Pontificis Bonifacij IX. 10. sed Imperiatoris Wenceslai 19.

EOdem tempore, annis scilicet 1400. insimul cum conjugio Alberti IV. tertij cum Trica filij, istud, de quo agimus, collocat Gerardus de Roo. Inquit enim, loquens de utroque. Vxorem accepit (*Albertus IV.*) Ioannam Alberti Bavari Hollandiæ, & Zelandiæ Principis filiam. Gulielmus quoque post Hedvvigem Polonam Vxorem duxerat Ioannam Duraciam, Caroli Pacis, Hungariæ, & Apuliæ Regis filiam, &c. Guillimannus ponit annum antecedentem. Vbi denique, ait, ex partu 1399. 12. Iulij perijt (*Hedwigis*) Ioannam alteram duxit Vxorem (*Gulielmus*) Carolo Andreæ filio, Neapolis & Hungariæ Rege genitam, Ladislai sororem, quæ non peperit. Obijsse anno 1406. sine prole Gulielmum, de quo fertur, educasse Leonem, qui ipso Domino mortuo cibum deindè à nemine sumpsit, ac propterea inedia necatus interijt, testatur Roo. Cui adstipulatur Guillimannus, & Gans similiter, qui ab utroque quantum ad mulierum numerum discordat; inquit enim. Gulielmus cognomine Ambitiosus, qui Tripolitanos Turcarum obsidione liberavit, tribus Vxoribus nullis relictis liberis, obijt 1406. undecimo Iulij, Viennæ ad dextrâ Rudolphi sepultus cum gladio super tumbâ. Guilli. Kalendis Iunij. Roo de Leone abs Duce Gulielmo mansuefacto addit. Hoc genus animalis primũ ab Hannone Pœno, & post eum ab alijs nonnullis cicuratum legitur. Nec defuit nostra quoque ætate illustris belli dux, qui Leonem cicurem suis ipse manibus pavit. Hæc ille. At res profectò mirabilior mihi visa est, ubi Princeps Neapolitanus Dominus Tiberius Carrafa, eques præclaris dotibus insignitus, ac pietate & Religione quam maximè excellens, Leenam suam obstupescentibus omnibus cicuravit. Manebat pergrandis bestia libera, & soluta ante fores in porticu, & in pomario Palatij Domini sui, sumebat cibum à manibus cujuscumque personæ, & nunquam alicui fuit obnoxia. Ludebat per viam cum pueris tanta, ac tali mansuetudine, ut cunctis propterea nonnisi maximam pareret admirationem. Concepit, Leoni ejusdem domini ferocissimo copulata, peperitque plures catulos, qui dum matris ubera sugebant, accedebant etiam pari familiaritate pueruli, cum ea, ac suis quoque cum le-

Lib. 4. fol. 137.

Loco cit. lib. 13. in principio, & ad finem etiam.

Loco cit. fol. 141.

Gans loco citato.

De Gulielmi Leone.

De Leena Domini Tiberij Carrafæ.

unculis jocantes; materque tam partus quam pueros incredibili lætitia lingebat. Passim nobilissimus atque affabilissimus Princeps Tiberius, mihi notus & amicus, dum cum eamet Leena, sive sola, sive cum Leunculis vel pedibus lustrando Neapolim, vel curru recreationis causa; nisi regali bestiæ dextrum latus porrigeret, uti ipsi præcederet, sibi comitem fieri omnimodè reluctabat. Hæc & alia naturæ portenta admirandaque spectacula novâ cicurandi feras arte Leena sua vir egregius Carrafa Civitati Neapolis anno 1645. sæpenumerò præsentavit.

Stirps paterna, ac materna Joannæ Ducissæ à Duratio, alteræ Ducis Gulielmi conjugis.

HÆc Ducissa, Regis Ladislai soror attulit Gulielmo in dotem trecenta millia florenorum, promissa à sororio, ut vetustæ literæ instrumentales anno 1405. emanatæ, integræq; à Guillimanno adductæ contestantur. Ad earũ finem hæc additiuncula. Donationi propter nuptias, computatæ in centum & quinquaginta millia florenorum, cavit sponsus dominijs per Carinthiam, ac Austriam, ut tempore vitæ ista summa utatur, fruatur. Sed ad seriem Genealogicam.

Loco cit. Lib. 13. in fine.

Carolus II. Neapolitanus Rex. Vxor Maria Hungariæ Regis Stephani filia & hæres. Hoc felicissimo connubio perenni jubilo orbis Xp̃nus gratulatur; dum bis singulis annis S. Antistitis Ludovici Ordinis Minorum ab eo exorti in Ecclesia Franciscana sollemnia celebrat, parentesque suos in ejus vita simul nominat.

Ioannes Dyrrachij Dux, Princepsque Achaiæ. Vxor Agnes Comitissa Petragoricensis, ac Wilhelmi Petragoricensis filia.

Ludovicus Dyrrachinus, Gravinæ Comes. Vxor Margarita Sanseverina, filia Roberti Comitis Sanseverini (quem ex Sueva de Auezzo filia, & hæredes Grimundi, Baronis Tricarici, genuit Thomas Sanseverinus Petragoricensis) & Iacobæ à Bosco.

Carolus III. Rex Neapolis coronatus Rex Hungariæ, parens Joannæ, Neapolitanæ, Hungaræ, conjugisque Ducis Austriæ Gulielmi; maritusque Margaritæ Neapolitanæ Dyrrachinæ, filiæ Ducis Dyrrachij Caroli ex Maria Neapolitana. Procreatus Carolus à Ioanne Duce Dyrrachij, ac Principe Achaiæ, filioque Caroli II. Regis Neapolitani ex Maria Hungara, Stephani Regis filia præfata; copulatusque Agneti, Comitissæ Petragoricensi, nec non & Gulielmi Comitis Petragoricensis genitæ. Maria vero Neapolitana nata ex Carolo Duce Calabriæ, filio Roberti Regis Neapo-

Neapolitani,& Violantis Petri Aragoniæ Regis filiæ,& ex ejus priori Vxore N. (duxit enim & alteram, filiam Caroli Valesij, ac Mariam nuncupatam) Comitis S. Pauli filij N. Comitis S. Pauli, cui Vxor N.

MATRIMONIVM IX.

Quod apud Lazianistas duplex invenitur, sed perperam.

Albertus IV. Dux Austriæ, Stiriæ, Carintiæ, & Carniolæ, Landgravius Elsatiæ, Comes Habsburgi, Cognomento Patiens,& Mirabilia Mundi. Vxor Joanna Bavara, ducta 1400. sub Pontificatus Bonifacij IX. anno ij. Imperij vero Wenceslai Cæsaris 20.

ANno 1381. Albertus Bavariæ Dux Comes Hennigoviæ, Hollandiæ, Selandiæ, ac Frisiæ Dominus Ioannam filiam despondit Alberto, eam traditurus, cum matura erit viro, vel annum ætatis 9. attigerit. In dotem dedit decem millia Schockiorum magnorum denariorum. Pro donatione propter nuptias accipiet quindecim millia Schockiorum. Cavent mutuis pignoribus. Cum orbata esset marito, ut aliquod levamentum sentiret viduitatis, Rex Sigismundus quo ad viveret destinavit in singulos annos quinquies mille, & quadrigentos florenos percipiendos, & ditionem S. Martini in Hungaria. Guill. M. S. lib. 12. in Alb. IV. ad finem.

Parens Albertus cum Trica Austriâ cis & ultra Anassum contentus, ac cætera omnia fratri Leopoldo inde cedens, iniquam eam divisionem apud patrueles conquestus Albertus filius, Carniolam,& Vindorum agrum limitarem ab eis recedit. Sigismundus verò Caroli IV. Imp. frater Rex Hungariæ & Bohemiæ, & postea Imperator in tantum eum suspexit, & amavit, ut successorem destinarit, si prole mascula destitutus, mortem obijsset. Hinc Roo ubi supra fol. 137. explicans rem istam clarius, Anno, inquit, novi sæculi secundo (hoc est 1400.) Sigismundus Wenceslai Ignavi frater, Hungariæ Rex Alberto Austriaco ob collata in se beneficia, successionem in regnum suum, eique conjunctas ditiones decernit, si absque hærede masculo ipse moriatur. Quod si filiam vel plures susceptas reliquisset, ijs Albertus conditiones genere dignas quæreret, centenaque aureum nummum Hungariorum millia singulis in dotem numeraret. Hujus rei testes sunt literæ Vicariatus Imperij sigillo munitæ, quibus irritas facit alteras,

teras, quas olim Iodoco patrueli super eadem re concesserat. Hanc primam de Regno illo ad Austriacos derivando mentionem inspectis literis Roo ipse extitisse concludit. Ceterum indolis ejus magnum specimen scelus, & fraus, & inde præter ætatem properata mors mortalibus invidit. Habuit Vxorem Ioannam præfatam Alberti senioris, Ludovico Imperatore geniti, &c. Filiam (Margaritæ quæ Ioanni Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filio nupta, sororem) ex qua Margaritam reliquit, quam matrimonio sibi Henricus Dux Bavariæ, Landshuti aulam agitans, unde & dominabatur, vindicavit. Friderici filius, Stephani nepos, Ludovici Imper. pronepos, Ludovici cognomento Divitis pater. Nuptiæ 1412. Obijt ipsa 1447. ipse 1450. Reliquit etiam & Albertum V. Cæsarem II. &c. Hæc idem M. S. ibidem in princip. Quare autem Albertus hic patiens dictus, & mirabilia Mundi, alibi fusè, & ex proposito, licet in Gentil. 1. causas utrarumque nomenclaturarum tetigerimus, & Guill. cit. brevi explicarit. De obitu Alberti retulit Guillimannus, quod redux factus ex diutina peregrinatione, dicitur condidisse Monasterium S. Andreæ in urbe Vienna anno ætatis 27. natum ferunt 1377. Vita egressus in Novomonte 25. Augusti anno 1404. Famæ datum fuit, veneno perijsse. Ephemerides Bohemiæ notant saggitæ, alij tormenti ictu interfectum 1406. Sepultus Viennæ ad S. Stephani. Gans, perijt, ait, Albertus Korneaburgi veneno, Znoymæ sumpto anno 1404. die Dominica, & festo exaltationis S. Crucis; sepultus Viennæ ad D. Stephanum ad sinistram Rudolphi, & desuper gladius, è cujus nodo insignia exciderunt. Vnicum reliquit filium, &c. Roo loco citato Albertus, inquit, soluta obsidione (*Znoymæ*) lectica Neoburgum delatus, præter veneni vim, soluto in dysenteriam ventre, diem extremum clausit, ad oct. Cal. Sept. anno Domini quarto supra mille quadringentos. Hæc paulo aliter nonnulli referunt; & est apud plerosque magna in temporum ratione confusio. Qui verò hæc vivente Iodoco contigisse narrant, mortis Alberti anno de quo conveniunt scriptores, refelluntur. Corpus ejus Viennæ ad D. Stephanum apud Patrem est conditum.

Margarita Alb. 4. filia cui nupta, & quando. Ejus liberi, & mors conjugū.

Bonstetterus. Chronicon M. S. p. Austriæ.

Lupatius anno 1406 Gans loco cit.

Fol. 138.

Iodocus Barbatus Moraviæ Princeps, ac Cæsaris Sigism. patruelis.

De pluralitate conjugum Gans sequutus Lazium, testis est, inquit enim. Duxit (*Albertus IV.*) Alberti Bavari Hollandiæ, ac Hannoniæ Comitis filiam *Joannam*, eaque defuncta *Methildem*, Ludovici Bavariæ Ducis filiam sterilem. Dictus etiam fuit *Astronomus* ob ejus studium & peritiam. Vnicum reliquit filium sui nominis *Albertum*. Quantùm ad Vxores meritò invehitur Roo his verbis. Malè huic (Alberto) secundam Vxorem Lazius attribuit Methildem Palatinam, quæ Alberto VI. multis post annis juncta fuit, quod lectoris monendi, non ejus carpendi causa dico. Perperam similiter asseritur, unicum tantum filium suscepisse Albertum, genuit siquidem & prolem alteram, nempè Margaritam, ut dictum est, & ut Roo. (qui eam Annam nuncupat, sed falso, ut patebit) & alij probatissimi scriptores prodierunt.

Impugnatur Lazius, & cum eo Gans quoque. Roo ibidem.

Joannæ

Joannæ Bavaræ parentes, fratres, ac sorores.

ALbertus filius Ludovici V. Bavari Imperatoris, Dux Bavariæ, Dynasta Straubingensis, arcem enim hanc magnis sumptibus ædificavit, Comes Hollandiæ, Zeelandiæ, & Annoniæ, fratri enim suo Wilhelmo ex testamento patris successit anno 1358. Validissimam expeditionem cum filio Wilhelmo sumpsit in Phrisiam, ducens exercitum ultra 100000. armatorum, & victor rediit 1396. Delphenses obsedit, & eorum muros diruit. Princeps justus, & prudens, mortuus in Hollandia 1404. 8. Cal. Februarij. Sepultus Hagis in sacello palatij. Vxor I. Margarita, filia Ludovici Ducis Brigensis in Silesia. 2. Margarita Clevensis, Adolphi I. Ducis soror, quæ Monasterium Iacobitarum in Haga condidit, ubi etiam sepulta est, mortua sine liberis. Ex priore nati sunt VI. liberi, 3. mares, totidem fœminæ.

Wilhelmus VI. Comes Hollandiæ, Zeelandiæ, Annoniæ, & Frisiæ, moritur 1417. pridie Cal. Julij. Sepultus Valencensis, quo etiam transtulit Wilhelmi IV. abavunculi sui reliquias, è Phrisia vi allatas. Symbolo usus est Occa, vel Sarculo cum catenula, inscriptioneque, *Evertit, & æquat.* Vxor I. Maria filia Caroli IV. Regis Franciæ. 2. Margarita, filia Philippi Audacis Ducis Burgundiæ, & Comitis Flandriæ. Hac nata est filia unica Iacoba Comitissa Hollandiæ, Zeelandiæ, Hannoniæ, & Domina Frisiæ; mulier virili animo prædita, quæ fortiter se defendit contra patruũ, Joannem Brabantinum maritum suum, & Burgundos. Moritur 1435. 7. idus Octob. Sepulta Hagis juxta avum Albertum.

Albertus Batavus Dux in Straubingen, Comes Hollandiæ Vixit Cælebs. Mortuus 1399. 13. Cal. Febr. Sepultus Straubingæ in Templo Carmelitarum. Joannes Episcopus Leodiensis cum sacra peragere nollet, à Leodiensibus obsessus fuit; sed liberatus à Burgundo affine, & fratre Wilhelmo; quo sine mascula prole defuncto, Episcopatum reliquit, & duxit Elisabetham Lucemburgensem, viduam Antonij Brabantiæ Ducis, fitque tutorio nomine Comes Hollandiæ, & Zeelandiæ. Jacobam neptem ex fratre impugnat per octennium. Veneno necatus à Ioanne Flieto corrupto per Iacobam auro 1424. postridie nonas Ianuar. Sepultus Hagis in Templo Dominicanorum. Anna nupta Wenceslao ignavo Imperatori. Catharina Vxor I. Eduardi Ducis Geldriæ. 2. Wilhelmi Geldriæ & Iuliacensis Ducis. Ioanna nupta Alberto IV. Austriaco. Margarita Vxor Ioannis Mali, vel intrepidi Ducis Burgundiæ, qui Ioannem Episcopum Leodiensem liberavit. Genuitque Philippum Pium Ducem Burgundiæ, Comitem Hollandiæ, Iacobæ hæredem, parentemque Caroli Bur-

gundi, qui Maximiliano I. Imper. Mariam filiam, & hæredem Ioannæque abnepotem spopondit.

Liberi Alberti.

Albertus V. Dux Austriæ, & Romanorum Imperator, in hoc nomine. De eo infra.	Margarita obijt 1447. Alij nominant Ioannam, sed malè uti ex instrumento convincitur. Anno 1405. renunciat literis omni juri, quod habere posset in Austriacas ditiones, revindicans solum dotem, ac dominationem propter nuptias.	Maritus Henricus Dux Bavariæ Friderici filius: Nuptiæ anno 1412.

Sobolem Margaritæ Austriacæ infra in 3. parte commemorabimus.

MATRIMONIVM X. DVPLEX.

Et etiam triplex, ut statim patebit.

Fridericus IV. Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Dominus Marchiæ, & Portus Naonis, Comes Habsburgi, Teriolis, Ferretæ, & Kiburgi, Marchio Burgoviæ, & Landgravius Elsatiæ, Verax, & Senior, ac Magnificus. Prima Vxor Elisabetha Palatina, ducta 1406. qui erat annus creationis Pontificatus Gregorij XII. Roberti vero Imperatoris 4. Secunda Vxor Anna, Ducissa Brunsuicensis 1410. sub anno ejusdem Pontificis 4. ac præfati Cæsaris 8.

De sponsalibus Friderici IV. ex Guill. M. S. in Virida ejus parente.



ANno 1384. Leopoldus II. Junioris Carrariensis filiam Ziliolam despondit Friderico IV. filio. Dos erant centum millia Ducatorum. Istam pecuniam mutuatus est à Carrariensibus, quibus pignoribus cavit Tarvisio oppido, & finitima ampla ditione, quam possideant, salvis subditorum juribus decemnio usque ad nuptias post teneantur cedere. Si interea sponsus, aut sponsa decederet è vita, liberum erit Lupoldo liberare oppignorata

morata ea pecunia, quæ in dotem promissa erat. Si eo tempore non redimet, proprio jure sibi retinebunt Carrarienses, Leopoldus nihilominus scribet se Marchionem Taruisianum. Carrarienses jurarunt ab hisce pactis non discessuros, quæ pignore quadringentorum mille ducatorum firmarunt.

Qui Fridericum hunc V. faciunt in genere Austriaco, quantum ad nativitatis ordinem, non autem regiminis, connumerant à Friderico I. Pulchro Imperatore, parenteque alterius Friderici impuberis; ponuntque tertio loco Othonis fratris primogenitum, ac deinceps Liberalem Alberti Contracti filium, occisum in venatione, ut traditur, ab Ernliebo de Pottendorff. 1362. uti apud Gans; ac postremò hunc, de quo scribimus. Attamen quia Henricus quoque frater etiam Friderici Cæsaris dicti proles tres, ut proditum est, procreavit, & omnes masculas (si vera erit Historia Alberti ex Argentina, citata à Guillimanno) videlicet Henricum cognominem, Leopoldum, & Fridericum, consequitur necessariò, præsentem esse in Austria sobole VI. Sexque in ea cum eo Fridericos.

Quare autem iste præter jacta cognomenta primo, & de quibus tertio alibi etiam, Princeps *Mit der laren Taschen* Germanicè nuncupetur, quod est Latinè *Marsupij vacui*, Italicè vero, *Della borsa vota*, jam diximus in I. Gentilitio loco superius notato. Dictus & etiam Senior ob nepotem cognominem. In eo digna facinora, sed de eis non hic erit sermo. Possumus tamen brevi scribere tantum id, quod Dilucidator Kiliani his verbis prodit. Fridericus Austriacus, inquit, in divisione cum fratribus factus est Tyrolensium Princeps. Anno 1414. Ioannes XXII. Pontifex Maximus urgente per Ecclesiæ divisionem Sigismundo Imp. Concilium Constantiense indixit, quo etiam Pontifex ipse venit, sub hujus nostri Friderici fide, & verbo. Cum autem metu quodam se se ex urbe subduxisset, auxilio potissimum Friderici & una cum Pontifice ille ipse quoque abijsset, ab Imperatore proscriptus in ultimum fortunarum omnium discrimine adducitur, ab omni parte petitur, & hinc illinc ditiones integras, urbes, oppida, magno numero ab hostibus, & ingratis quibusdam sibi eripi vidit, partem tamen Imperatori reconciliatus recepit. Schafhusium autem, Rheinfelda, Dissenhoven & Cella ex hoc tempore Imperio cesserunt. Tigurini eadem occasione Comitatum Kiburgensem ad Arulam; pagos veteres Brenogartum, & Mellingam: Lucernates Comitatum Rore, loca ad Rusam (olim Vrsa) omnem cum oppido Sursesio: Bernates Zofingam, Arburgum, Arnuium, Lentzburgum, Pontes sive Brugam sibi subjecerunt, atque sic uno anno 1415. Austriaci florentissimo & antiquissimo primoque illo familiæ dominio Vindonissensi omni ob fidem servatam Pontifici exciderunt, ex proscriptione Sigismundi Cæsaris; ex cujus iterum testamento, & non multò post per matrimonium Elisabethæ filiæ cum Alberto V. Austriæ amplissima Regna Vngariæ & Bohemiæ cum Romano Imperio (sic compensante justo illo supremo Judice) ad familiam Austriacam devoluerunt. Illa quidem postea ad Iagellonicos abierunt,

Apud Kilian ad eiconem Friderici.

Ex fide, summo Christi Vicario servata, nacti sunt principio Austriaci Imperium, ac iterum jam deperditum uti hæreditariū acquisiti,

abierunt, ſed eodem ferè jure ab ipſis ad familiam redierunt, Imperium verò ab illo ævo genti velut hæreditarium fuit. Obijt Fridericus ann. 1439. 4. Cal. Iulij. ſepultus in Monaſterio Stambſiano. Hoc defuncto Fridericus junior ex Stiria ad Tyrolenſes profectus, Sigiſmundi filij tutelam ſuſcipit. Liberi fuerunt Wolfgangus I. Auſtriacus infans obijt. Sigiſmundus I. Auſtriacus. Hactenus Dilucidator.

In calce lib. 16. M. S.

Subdamus modò quæ de Friderici interitu Guillimannus (qui ad titulum de progenie I. Conjugis Eliſabethæ eam anno 1406. ductam eſſe fatetur) in ſuo manuſcripto propè finem tomi I. affert. Obijt, inquit, Oenioponte VIII. Cal. Iulij (Kil. VII ut ſupra) D. Ioanni Præcurſori ſacro & dicato. A. D. N. 1439. Stirpinienſi monumento vulgò *Stambs*, quatuor Oeniponte milliaribus (*Germanicis*) Monaſterio Ordinis Ciſtercienſis, ſepultus. Habuit Vxores duas. Prima fuit Eliſabetha, Ruperti Palatini Comitis, & Romanorum Regis I. filia, quæ filiam cognominem peperit, quam infantia mortuam die Innocentium 1409. ſecuta eſt. Alteram Annam Friderico Brunſuiciæ Ducem genitam perdidit 1432. ſepulta in Stambs, cum procreaſſet Hedvvigim, Margaritam, Wolfgangum, qui tenera ætate abiere (illas 1424, hunc 1426. die S. Iulianæ) & qui duravit, non perduravit, Sigiſmundum. Concordant Roo, Marcus Henninges, & alij, ſed præcipuè Stambſiana Cœnobij monumenta. Gans ullas commemorat neque in uno, neque in altero Friderici conjugio filias, eo quia tres omnes nonniſi infatilem, teneramque ætatem immaturus præproperuſque obitus eis conceſſerat. Ingentem theſaurum (ut plerique credidere ultra decies centena aureorum millia factæ pecuniæ) Fridericum cumulaſſe tradiderunt, quo urbes omnes, oppida, caſtella, ditiones à ſe aut majoribus pignoratas redimeret, Domuique Auſtriæ adſereret. Eum Fridericus junior cum Sigiſmundo, decem annorum puero, cujus tutelam teſtamento cæperat (alij invaſerat) in Styriam vectus, varijs poſt neceſſitatibus impendit. Quarto poſt menſe mortuus etiam Albertus V. Cæſar II. relicta Vxore gravida, quæ Ladislaum peperit. Quam charus fuerit Ordini Eccleſiaſtico, mærore ejus, ac deſiderio varijs exequijs exhibito, luculenter declararunt. Nam ei certatim parentarunt, juſtis magnificè perſolutis, varijs locis Saltzburgi, Friſingæ, Sonnenburgi, Bludentzij, Botzhemi, Stambs, monte S. Georgij, &c.

Obitus Friderici.

Sepultura.

Vxores, & liberi.

Mors Eliſabethæ Oeniponte eodem anno feſto S. Silveſtri.

Mulnerus Chron. M. S. alij.

Auctor Belli Tignrini antiq.

Charus Frid. Ordini Eccleſiaſtico.

Primæ

Primæ Vxoris Elisabethæ Palatinæ paterni, ac materni Progenitores.

RUdolphus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ. Vxor Methildis Massovia, Adolphi Cæsaris filia.

Adolphus Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ. Vxor Irmingrada, Oetingensis Comitissa, ac Ludovici Comitis Oetingensis ex Gutha Austriaca filia.

Rupertus, vulgò Adolphus, & Brandits Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ. Vxor Beatrix Aragona Sicula, cui genitores Petrus II. Rex Siciliæ ex Aragonijs (quem cum Eleonora Regis Neapolis Caroli II. filia procreaverat Fridericus I. Rex Siciliæ ex Aragonijs) & Elisabetha Carinthia, genita ab Othone Duce Carinthiæ, Comiteque Tyrolis & Goritiæ, atque ab Offina, vel Euphemia.

Rupertus Imperator Comes Palatinus Dux Bavariæ, parensque Elisabethæ Palatinæ, Friderici IV. Austriaci Conjugis primæ. Vxor Elisabetha Burggravia Norimberg. Cui pater Fridericus III. Burggravius Norimb. (filius Ioannis Burg. Norimber. filij Friderici II. Burggra. Norimb. ex Margarita Carinthia, Alberti Ducis filia, maritusque Elisabethæ Hennenbergensis, à Bertholdo Comite Hennenberg. genitæ cum Adelheida, Henrici Landgravij Hassiæ filia) Mater verò Elisabetha Marchionissa Misniæ, filia ex Mathilda Bavara (à Ludovico IV. Imp. Duce Bavariæ cum Beatrice, Henrici Ducis Glogoviensis procreata Vxore I. Slesia) Friderici Marchionis Misniæ Cæsaris electi, genitique Friderici March. Misniæ, Landgravique Thuringiæ, & Elisabethæ Comitissæ ab Arnsberg.

Parens Rupertus Romanorum Rex loco dotis promisit quadraginta millia florenorum; pro qua summa cavet maritus per pignus usufructuarium ditionis Hohenbergensis, quæ Vxori juravit. Si Friderico superstes esset, juramento obligarunt se præfecti, ac subditi, non alij ibi permissuros imperium. Consenserunt in hoc factum fratres Wilhelmus, Leopoldus, ac Ernestus. In recompensationem nuptiarum donavit viginti millia florenorum, pro quibus pignori concessit arcem, ac oppida Haigerloch, & Schemberg cum pertinensijs. Ex ea progenuit, ut dictum est, Elisabetham, quæ obijt ad annum 1409. quam mater triduo post, exutis mortalibus exuvijs, in puerperio subsecuta est, visceribus Oeniponti reservatis, corpore in Stambs tumulo mandato.

De fundatione Monasterij Stambs, ubi utriusque sexus Austriaci Principes Sepulti.

CUm sparsim varia de Stambsiano Cœnobio hic & alibi legantur, prætium operæ censuit Guillimannus, ejus fundationem, aliaque ad id illustrandum pertinentia, hoc loco apponere. Quæ affert sunt sequentia.

1275. Fundator Monasterij Stambs.

In nomine Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis Amen. Meinhardus Dei gratia Tyrolis & Goritiæ Comes, Aquilegiensis, Trident. & Brixinen. Ecclesiarum Advocatus, Vniversis Christi fidelibus præsentibus & futuris hanc paginam inspecturis in perpetuum. Quoniam labente tempore plerumque memoria labitur actionum, acta nostra recordationis digna, litterarum fulcimento duximus conservanda. Recognoscentes igitur, quod Civitatem hic non manentem habemus, sed futuram non manu factam inquirimus, æternaliter permanentem, amicos de bonis temporalibus & caducis, qui nos, dum defecerimus, in tabernacula æterna recipiant, favente Deo nobis facere cogitamus. Cum igitur pro remedio saluteque nostrum peccaminum, & progenitorum nostrorum ad honorem & reverentiam JESV CHRISTI & ejus gloriosæ genitricis, semperque Virginis MARIÆ, Joannis Baptistæ, ac omnium Sanctorum, de Prædijs seu Proprietatibus nostris, Abbatiam, Monachorum Cisterciensium Ordinis jam fundare cœpimus, & consummare. Auxiliante Domino feliciter, & efficaciter intendamus præsentium memoriæ committendum, & futurorum notitiæ duximus declarandum, quod ipsum fundationis nostræ locum, dictum Stambs, possessionibus jam dotavimus hic subscriptis. Donavimus equidem Ecclesiæ nominatæ villam totam in Stambs, cum sylvis, agris, Pratis, Pascuis, & omnibus attinentijs ejus cultis, & incultis, advocatiam, & omne jus, quod habuimus in Ecclesia Parochiali, similiter & ejus filiabus. Item tres Vaccarias in monte supra Stambs sitas. Item Curiam in Tanne, cum omnibus juribus suis, & attinentijs cultis, & incultis. Item Advocatiam, & omne jus, quod habuimus in Ecclesia Parochiali Mays, & ejusdem Ecclesiæ filiabus. Hæc & alia à nobis jam data, & imposterum danda Monasterio prætaxato, & fratribus mihi Deo deservientibus, salva & integra per nos & Hæredes nostros volumus perpetuo conservari. Concedimus quoque, ut nostris, & ipsius Ecclesiæ hominibus vicissim liceat matrimonia contrahere, ita quod Hæredes eorumdem contrahentium nobis, & Monasterio præfato æqualiter dividantur. Præterea cum constet, Ordinem Cisterciensem à Sede Apostolica, & ab Imperij munificentia specialis Prærogativæ gratiâ præ cæteris religionum ordinibus sic dotatum existere, ac exemptum, ut in omnibus bonis & hominibus eorum advocatum omnino habere non debeant,

beant, nisi quem spontè sibi duxerit eligendum, qui eos sine omni emolumento, & exactione qualibet protegat, & defendat simpliciter propter Deum; Nos eadem gratia prenotatum fundationis nostræ locum frui volumus perenniter, & gaudere. Decrevimus insuper, & statuimus, ut nulli omnino judicium nostrum super bonis, & hominibus antedicti Monasterij, nisi tantum in causa sanguinis hic expressa videlicet furto, homicidio, nec non violenta oppressione permissum sit, aliquod judicium exercere: Quod tamen sic distinguimus, ut si premissis expressis excessibus in bonis ipsius Ecclesiæ quis residens fuerit deprehensus, non de rebus Ecclesiæ mobilibus, sed de persona rei tantũ Judex sui juris judiciũ persequitur; Adijciamus, ut, si à Ministerialibus nostris, vel vassallarijs, vel hominibus proprijs, vel existant, possiones proprias vel à nobis infeudatis vel bona sua mobilia quod vulgariter *Vorens guete* dicitur, memorati fratres in eleemosynã sibi datas acceperit propter Deũ vel ab eis emerint liberè ipsis recipere liceat, & deinceps eas titulo proprietatis quietè possidere perpetuò: De proprijs verò excepimus eas, quæ vulgariter *Freies aigen* nominatæ, ad Comitatus nostri Dominicũ jure quodã pertinent speciali. Concedimus etiã fratribus memoratis, ut de omnibus sylvis nostris sibi ligna necessaria succidant, excepta Sylva apud Montem S. Petri, quàm specialiter duximus eximendam. Denique volumus, & permittimus, ut de omnibus Victualibus suis per aquas vel per terras ducendis, in omni nostro districtu, seu jurisdictione sæpe dicti fratres nullum omnino thelonium, aut vectigal aut mutum persolvant, sed de omnibus his liberi sint perpetualiter, & communes. In omnium ergo supradictorum vivax testimonium, instrumentum præsens exinde confectum, cum testium subscriptione sigilli nostri munimine jussimus roborari. Testes autem sunt, D. Bruno Brixinensis Venerabilis Episcopus, Eberhardus summus præpositus, Conradus Decanus, Gostchalcus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ. Eberhardus Canonicus, Fridericus Capellanus noster, Bertholdus, & Henricus Comites de Eschenloch, Vdalricus de Tauffers, Alberto de Wangen nobiles, Egeno advocatus de Amisia, Hartmannus Tarant, Bertholdus Cenello, Svvickerus de Reichenberg. Henricus de Mairingen, Albertus de Firmiano. Pertungus de Mais, Altuinus de Schennan, Erhardus de Schvvingenstain, Gralandus de Salum. Jacobus Trastun, Conradus & Fridericus de Freundtsperg, Henricus de Rottemburg. Conradus de Thaur. Vdalricus de Vellemberg, Vdalricus de Liebeberg. Vdalricus, Conradus, & Sigebandus de Schrovenstain, Henricus de Auuenstain, Hiliprandus & Otho de Sistrans, Sigehardus Kolbo. Rudolphus de Müls, Henricus Stöckl, Conradus de Ymbst milites, & alij quamplures. Acta sunt hæc Anno D. 1275. Ind. 2. 4. Idus. Martij. 1275.

Elisabetha Vxor Meinhardi primò ædificavit in Stambs apud Capellam S. Ioannis Baptistæ, claustrum ligneum, donec alterum perficeretur,

coque

eoque accersivit ex Cœsariensi Monasterio Monachos, qui Stambs advenerunt Anno 1273. septimana præcedente festum S. Georgij. Interea obijt ipsa, & in eadem Capella sepulta est, denuo tamen delata ad Majus templum cum quatuor ipsius pueris. Non destitit vero post hæc Mainhardus, & decem continuis annis Claustrum prout nunc est perfecit, & dedicari voluit Anno 1284. Id. 13. die S. Malachiæ Prophetæ, accersitis ad consecrationem Episcopis. Invitavit vero & filiam Elisabetham Ducissam Austriæ Vienna, ut dedicationi interesset, & sepulturæ Matris pariter assisteret, quæ eodem die post cantatam Missam dedicationis, per eosdem Episcopos est peracta, tunc nihilominus tumulati sunt apud Beatam Virginem Mainhardus Pater Fundatoris, Avus Maternus Albertus ultimus Com. Tyrol. cum conjuge sua & liberis eorundem alijsque de eorum progenie usque ad 12. corpora, qui proinde fuerant exhumati apud Castrum Tyrolis in Athesina regione. Donavit verò Ducissa Austriæ in ipsa consecratione, sive in prædecessorum suorum tumulatione cum alijs Xenijs argenti centum marcas. Migraverunt inde in novum Monasterium in nocte S. Columbani Abbatis, cum omni frequentia, & suppellectile. Ne facta hominum, quæ transire debent inter posteros, à via derivent veritatis, expedit, ut litterarum serie muniantur. Ea propter noverint universi, quibus exhibitum fuerit præsens scriptum, quod nos Henricus Comes de Hertemberg, & Henricus filius noster dictus de Neiffen, in remedium animarum nostrarum, & in spem retributionis æternæ, Iudicium, quod apud Monasterium in Stambs nomine Comitatus nostri habuimus ab antiquo, & theoloneum, aliudque quoddam jus, quod vulgariter Vrnas dicitur, præsentibus relaxamus, omnia ista, juxta consuetudinem istius Terræ ipsi Monasterio condonantes, *libere* & absolutè, volentesque, ut his omnibus libertatibus per nos, & nostrum filium dictum Monasterium gaudere debeat, atque frui, in cuique donationis, & libertatis ejusdem testimonium, & notitiam pleniorem præsens instrumentum super hoc confectum conscribi fecimus, & sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt hæc anno 1282. Indict. 10.

Dedicatio Stambs 1284.

Hertemberg & Neiffe.

Anno. Dom. 1284. Nonis Septem. sepulti sunt in Choro Templi Stamsiensis, ex utroque latere Mainhardus, Comes Goritiæ, & Tyrolis Pater fundatoris, qui obijt 1258. die Magdalenæ, 22. Iulij, atque avus maternus Albertus ultimus Comes Tyrolis, qui obijt 1254. 14. Febr. cum Conjuge sua Iuta Marchionissa Andechensi, ac liberis eorundem, alijsque de eorum progenie usque ad 12. corpora, translata & ex Castro Tyrolis. Epitaphium Alberti: Principibus solis, &c.

Principes in Stambs sepulti.

Elisabetha filia Othonis Com. Palatini, & Agnetis filiæ Henrici Palatini Rheni Ducisque Brunsuicensis, soror Sophiæ Hirschbergensis Vxor primò Conradi Romanorum Regis, Friderici 2. filij, deinde Mainhardi Ducis, & Comitis. Obijt ipsa 1273. eodem anno, quo Monasterium ab illa fundatum fuit. Dies. Dyonisij.

Albertus

Albertus Primogenitus Ducis Mainhardi, & Elisabethæ Reginæ, qui obijt 1292. festo D. Georgij. Meinhardus Dux Carinthiæ Comes Tyrolis & Goritiæ Fundator A. 1295. vigilia omnium Sanctorum. Epitaph. Heu MAINHARD.

Ludovicus tertius filius fundatoris, qui excessit sine Vxore, & liberis 1305. die S. Mauritij Martyris, 22. Septembris.

Otho secundo genitus fundatoris A. 1310. Die S. Vrbani Papæ, & Martyris 2. Maij.

Anna Filia S. Wenceslai 2. Regis Bohemiæ 6. & Guttæ Habsburgensis, Vxor Henrici Ducis, Filij 4. Fundatoris, quæ mortua Labaci opido Carniolæ Anno. 1313. 3. Non. Septembris. Hanc ponit Putschius Matrem Maultaschiæ malè. Adelhaid Brunsuicia Vxor secunda ejusdem D. Henrici, quæ decessit A. 1320. die. S. Agapiti Martyris.

Beatrix, Autici Com. Sabaudensis filia, tertia Vxor ejusdem Henrici, obijt Ann. 1331. Vigilia S. Thomæ. Henricus Rex Bohemiæ, & Poloniæ, Dux Carinthiæ, quartus filius fundatoris, qui obiit Oeniponte 1335. die S. Ambrosij Conf. Aventinus lib. 7. scripsit, Tridenti sepultum in Ecclesia Cathedrali. Simon Dux à Teck Capitaneus Provincialis ad Athesin. Obiit 1348. die S. Laurentij. Elisabetha Ducissa Austriæ, filia Friderici Senioris, & Elisabethæ Palatinæ, quæ defuncta Puellari ætate Anno 1409. die Innocentium. Elisabetha Palatina, filia Ruperti Cæsaris & Elisabethæ, Friderici 4. Burggravij Norimberg. filiæ, Vxor prima prædicti Ducis Friderici, quæ Oeniponte 1409. festo D. Sylvestri brevi post filiam obiit.

Margarita filia ejusdem Senioris Friderici, & Annæ Brunsuicensis secundæ Vxoris quæ obijt Oeniponte in Puritia Anno 1424. 2. Non. Iulij.

Wolfgangus cognomento Mortuus, filius ejusdem Friderici. O. Oeniponti tenera ætate anno 1426. die S. Iulianæ Virginis, & Martyris.

Hedvvigis filia ejusdem Friderici, & Annæ quæ in Puritia etiam Oeniponte obijt 1427. Festo Matthæi Apostoli.

Anna filia Friderici Ducis Brunsuic. & Luneb. electi Romanorum regis secunda Vxor Friderici Senioris O. 1432. Crastino S. Laurentij Martyris Oeniponte.

Fridericus Dux Austriæ cognomento Senior & Magnificus (quem vulgus Athesinorum à Rottemburg *Fridel mit der laren Taschen* contemptum appellitare solebant) Obijt Oeniponte ubi, Regiam habuit, 1439. 8. Kal. Iulij Festo D. Ioannis Baptistæ sepultus in medio Chori.

Eleonora Iacobi Regis Scothiæ filia, Vxor prima Archiducis Sigismundi, quæ obijt Oeniponte 1480. Postridie S. Elisabethæ. Sepulta in nova sepultura. Vxor 2. Sigismundi fuit Catharina filia Alberti Saxoniæ Ducis, quæ post ejus mortem nupsit 2. Erico Duci Brunsuicensi & Luneb. ex neutra liberos habuit.

Sigiſmundus Archidux Auſtriæ filius Friderici Senioris, obijt Oeniponte in Regia ſua Anno 1496. 4. Martij ſepultus nova ſepultura. Mæcenas omnium litteratorum.

Blanca Maria filia Galeatij Mariæ Sfortiæ Vice Comitis Mediolani Ducis 4. Vxor ſecunda Maximiliani Imp. quæ ante illum Philibertum Sabaudiæ Ducem habuit. Obijt Oeniponte nulla ſuſcepta prole 1511. ultimo Decembris, ſepulta nova ſepultura.

Severinus Dux Saxoniæ frater Mauritij Electoris, obijt Oeniponte 1533. conditus nova ſepultura.


Ioannes filius Ferdinandi Cæſaris, & Annæ, qui infans obijt Oeniponte 1529. 20. Martij, ſepultus nova ſepultura.

Vrſula filia ejuſem Ferdinandi, obijt infans ibidem 1543. Vltimo Aprilis, ſepulta nova ſepultura.

Fridericus filius Maximiliani 2. Cæſaris ex Maria, obijt Oeniponte infans 7. Menſium 17. Ianuarij 1563. ſepultus nova ſepultura.

Summa 36. quorum corpora ſplendidiſſimis veſtimentis, auro, gemmiſque, & argento prætioſis ſive intertextis exornata, in hoc Monaſterio inhumata hactenus requieſcebant. Cæterum eadem præſtantiſſima tumulorum ornamenta bello Smalkaldico Anno 1552. ab impijs militum manibus crudeliſſimè direpta fuerunt, ut nec ipſis cadaveribus pepercerint, quin eadem dilacerarint, & prophanârint, templum ab ijſdem ornamentis cæteris ſacris expoliatum, uti & Monaſterium. Hactenus monumenta Stambſiana, in nullo mutata, ſed eodem modo, & ſtylo hic adducta quemadmodum in eorum Originali reperi. Recenſiores vero ejuſdem Cœnobij res, quibus Auſtriacorum Principum Pietas commendabitur poſtea loco aptiori, ut par eſt, dabo.

Anna Duciſſa Brunſuicenſis 2. Vxor Friderici. Ejus paterni progenitores ſtirpe Azzonorum Itala oriundi ex Genealogia Ducum Brunſuicenſium.



Vide Arnoldum Wionem apud ſeifridum lib. 1. fol. 20. & Gent. 1. auctor.

Velfus tempore Henrici II. & Conradi item II. Imper. floruit. Ejus liberi Guelfus ἄπαις obijt 1016 & Kunegundis nupta Azoni IV. Eſtens. & Tuſciæ Marchioni, ex quo

Guelfus I. hæres avunculi, Dux Bavariæ ab Henrico IV. Imp. creatus A. C. 1071. Obijt 1101. Liberi Guelfus II. ἄπαις extinctus 1119.

Henricus Niger, cui Wulphildis, poſtremi ex Bilingana familia Saxoniæ Ducis Magni filia nupta fuit. Obijt. 1125. Ex eo Guelphus III. parens Guelfi junioris ante eum anno eodem 1168. extincti in oppido Weinsberg à Conrado III. Suevo Imp. obſeſſus 1140. obijt 1168. Iuditha mater Friderici Barbaroſſæ Imp. Suevi. At primonatus

Henricus

Vide Bucel. in ampliori Genealogia, deducta ab Hugone Lotharij III. filio, nepote II. Lotharij Imp. Aug. pronepote. tab. 1. & 2. par. 3. fol. 41.

Henricus Dux Bavariæ, & Saxoniæ à socero Lothario III. Imp. Saxone, cujus Gertrudæ filiæ nupserat. Obijt 1139. Ei filius

Henricus Leo Dux Saxoniæ, & Bavariæ potentissimus, natus A. C. 1136. Methildem filiam Henrici II. Angliæ Regis conjugem secundam ducit 1162. proscriptus ab Imperatore 1180. Obijt die 6. Augusti. Ejus liberi tres, Henricus Palatinus novem annos post Othonem Ducatui Brunsuicensi præfuit. Obijt 1227. Vxor Agnes, Conradi Palatini filia Cœnobium Stadæ fundavit, ubi sepulta est. Otho IV. Imp. 1209. ἄπαις obijt 1218.

Wilhelmus Dux Sassoniæ. Obijt 1212. Vxor Helena, Soror Walderami Daniæ Regis. Filius

Otho puer avunculo Regi Walderamo adversus Lubecenses eorum socios opem ferens captus in prælio 1227. coactus est titulum Ducis Saxoniæ Alberto II. Electori Saxoniæ cædere, à Friderico II. Imper. Dux Brunsuigæ, & Luneburgi creatus 1235. Obijt 1252. Ejus filia Adelhaidis Henrico Landgravio Hassiæ, nepoti S. Elisabeth nupta. Filius Ioannes Lunemburgi obijt 1277, genuitque Othonem, 1330. extinctum, parentemque VVilhelmi, qui obijt 1368. procreatis Methilde Ludovici Ducis Brunsuicensis Vxore, & Elisabetha Othoni Duci Saxoniæ nupta, cum quo peperit Albertum Ducem Luneburgensem, ejecto Magno 1371. Sed primogenitus, & stemmatis Othonis propagator

Albertus Magnus Dux Brunsuicensis Asseburgam cæpit 1258. Henrico Hassiæ principi opem ferens, à Misniæ Marchione capitur 1263. Obijt 1278. Tres ei liberi. Prior Henricus Mirabilis, stirps Ducũ Brunsuicensium in Grubenhagen, obijt 1322. Tertius VVilhelmus Brunsuigæ habitavit, cujus sine liberis defuncti, tertiam ditionis partem solus Albertus retinuit 1292. secundus

Albertus Pinguis expulit Henricum Brunsuiga 1294. Obijt 1318. Proles ei quinque, & omnes masculæ. Otho Brunsuigæ obijt 1334. Albertus Episcopus Halberstat. Obijt 1358. Henricus Episcopus Hildes. obijt 1362. Ernestus Dux Gottingen. ad Leinam, ex quo Otho malus tutor trium filiorum Magni Torquati. Obijt 1394. cui filius Otho Cocles senex & ἄπαις obijt 1463. Secundo natus Alberti Pinguis

Magnus Pius Samgershusij, quod oppidum cum vicinis vxor Agnes Landsbergica dotis loco ipsi attulit. Obijt 1368. Filij Ludovicus obijt 1358. Albertus tertio natus Archiepiscopus Bremensis obijt 1395. Secundogenitus

Magnus Torquatus insolens amisit arcem Luneburgi 1371. cæsus 1373. Ei nascitur primò

Fridericus Dux Brunsuicensis 1384. electus Imperator 1400. Ad Frizlanam occisus; ex eo Anna, Friderici IV. Austriaci Vxor. Secundò Bernhardus stirps Ducum Luneburgensium, qui anno 1388. VVenceslao ad Cellam cæso eum receperunt. Obijt 1434. Vxor Magdalena Wenceslai filia. Tertiò Henricus stirps Ducum Brunsuicensium. Obijt 1416. Vxor Sophia filia VVartislai Ducis Pomeraniæ VVolgastensis.

Annæ Progenitores Materni.

Albertus II. Elector. Obijt 1297. Vxor Agnes Rudolphi Cæsaris filia.

Rudolphus I. Dux Saxoniæ Elector. Obijt 1356. Vxor 3. Agnes Comitissa Landauu.

Wenceslaus Dux Saxoniæ Elector. Obijt 1388. Vxor Cecilia Carrariensis, cum qua edidit Annam Saxonam, Annæ Austriacæ matrem, quamque genuit ex Thaddæa Astensi, filia Nicolai Claudi Marchionis Astensis, & Viridæ, Mastini III. Scaligeri Domini Veronæ genitæ, Franciscus junior Carrariensis Princeps Patavij, filiusque Francisci senioris Carrariensis, ac Patavij Principis, cui Vxor Fina, Patari Buzacarini filia.

Anno 1410. consentiente Ernesto fratre, eidem quinquies mille Ducatis, in annos singulos solvendis in Tyroli prospexit. Pro donatione nuptiarum assignavit bis mille florenos annuatim dandos in ditione Sernten. Obijt, ut ostensum est, 1432. 10. Augusti. De pauperibus optimè merita, &c.

MATRIMONIVM XI.

Ernesti Ferrei commemorati, stemmatisque aviti propagatoris cum Cimburga 2. Conjuge, Massovia, utroque cum viro suo egregia robore ann. 1412. sibi promissa, qui erat 6. Pontificatus Gregorij XII. Sed primus Imperij Sigismundi Cæsaris.

Ciburgæ sobolis Austriæ V. propagatoricis, alterius Vxoris Ernesti Ferrei, Laudes, & Progenitores.



Celeberrimæ hujus fœminę encomia, ejus eximijs meritis jure debita brevi cum Menlio, & Cuspiniano perstringam. Cimburga, inquit ille, magnifico Pietatis præconio dignissima ex Principatu Massoviæ, seu Mascoviæ oriunda, hac & corporis, & animi viribus mulieré tota Germania nunquã habuit valentioré, quæ honorificis exequijs

Gilgen-

Gilgenfeldæ in Cœnobio illustrata. Melius Cuspinianus in Friderico, ubi refert. Cimburga mater Friderici, mulier religiosissima, & supra muliebrem sexum fortis, quæ digito sæpè avelanam & juglandem fregit, ac clavum parieti impegit, cultui divino deditissima. Quæ jejunijs & orationibus corpus maceraret, ac loca sancta religiosissimè sæpè inviseret. Ob id vidua existens cum Cellas Mariæ in Austria peteret, in Cœnobio Campi Liliorum egrotare incipiens, illico moritur, & hic sepelitur 1429. &c. Hinc pari viro fortitudine, & pietate nubens Cimburga, ex amborum conjugum duplici bonitate conflata est arbor illa Evangelica, de qua Salvator, *Non potest arbor bona malos fructus facere.* At in aperto errore est, ut supra diximus Hortentius Pallavicinus S. I. qui in 7. indice lib. 22. de fœminis Austriam genus propagantibus, Margaritam Pomeranam Bucislai Pomeraniæ Ducis filiam Friderici Cæsaris IV. matrem facit. Sed ad ejus prosapiam. Cusp. in Frid. III. Cæsare.

Bolislaus Dux Plocensis, & Mazoviæ, electus à quibusdam Monarcha totius Poloniæ. Vxor Mieslava, Troideni Ducis Lithuaniæ filia.

Zemovitus Dux Cirsci. Vxor N.

Zemovitus II. Dux totius Mazoviæ, extinctis patruelibus. Vxor Maria Opavia, cui Nicolaus Dux Opaviæ ex Anna parens, filiusque Othocari Primislai Regis Bohemiæ, & Mariæ Baronissæ Kuning illegitimæ.

Zemovitus III. Dux Massoviæ, nec non terrarum Phocensis, Rauensis, Socazoviensis, Rex Poloniæ electus. Obijt 1426. Vxor Alexandra Vladislai Iagellonis Regis Poloniæ soror. Genitaque ex Maria Russa à Duce de Witensko, cujus consors N. filia Olgardi, filij Gedemini, facti Ducis Lithuaniæ primi in sua familia, occiso Domino suo Vithone, maritique N. Lithuaniæ Ducis Viduæ. Gans 14·o. vel ut alij 1435.

Cimburgis Massovia ex Zemovito III. (Gans Vitoldo, & forte parum consultò) promissa, ait Guill. ut annuimus 1412. Ejus Conjux Ernestus Archidux Austriæ, de cujus obitu, & sepultura actum est in priori conjugio. Liberi 9. quinque in infantia extincti, suntque Anna, Alexandra, Leopoldus, Rudolphus, Ernestus. Cæteri, Catharina, Margarita, Albertus VI. Fridericus III. Imperator. Ita Guill ibidem in Genealogia Cimburgæ. Qui loquens de matrimonijs utriusque filiæ, subdit. Catharina, mater Christophori Alberti, & Friderici junioris, sepulta Badenuillæ, cum vidua excessisset 1493. tertio idus Decemb. quam sibi matrimonio adjunxit Carolus Marchio Badensis, de cujus Genealogia infra agitur. Decreverat quidem matrimonium non inire, & rogaverat fratrem Albertum, ne eam à proposito dimovere conaretur, at mutavit post sententiam Anno 1446. Constantiæ nubens Marchioni, in dotem accepit triginta millia Ducatorum Hungaricorum. In ejus compensationem promisit sponsus hanc summam in duplo. Pro donatione ob nuptias Iacobus, Carolus, ac Bernardus fratres spondent sex mille florenos annuicensus, prop- Conjugium Catharinæ.

tereca ditionem liberam Hochberg,ac Hoingen, item Milbergum, ac Lohr pignori obligarunt.

Conjugium Margaritæ 2. filiæ.

Alterius filiæ, Ernesti Electoris,& Alberti Magni illius,& fidi pro Auſtriaca Domo bellatoris genitricis, defunctæ 1486. ſepultæque Miſniæ, maritus Anno 1422. Friderico II. placido Saxoniæ Electori elapſis novem annis in dotem dabit octo & viginti millia ducatos Hungaricos, hanc ſummam ſimplo auctum reponet Saxo; cavebitur utrimque pignoribus,quibus annuus cenſus in tuto 6000. ſint florenorum. Si ſuperſtes marito erit, dictæ monetæ,ac ponderis ditionum pignoribus utetur, fruetur annis viduitatis. Maritus, ac Vxor omni prætenſioni, quam habere poſſent in bona, ac dominia Auſtriaca, renunciabunt. Ita enim vetus inter Auſtriacos conſuetudo,pactis firmata obtinuit. Aliæ tabulæ rem ſecus narrant, nempè Anno 1428. Sponſam poſt triennium Lintzium deducendam, & pro dote promiſſos eſſe viginti mille Ducatos, viciſſim ſpondet 48. mille Ducatos, quibus pignori aſſignabit ditiones nonnullas in Miſnia, ac Turingia. Si ſine hæredibus eſſe deſierint, pecunia utriuſque ad eos recidet,unde venit. Qui nuptias impediret,ſolvet alteri quindecim millia. Obijt Erneſtus ut ſupra in priori matrimonio. Symbolum manus è nubæ tenens tribulum ferreum cotis inſtar circa medium, inſcriptio *Telum virtus facit.* Aliud apud Kilianum.

Vetus Conſuetudo Auſtriacorum.

SECTIO III.

Sequuntur cætera conjugia uſque ad eundem Maximilianum I. Imp. excluſivè.

MATRIMONIVM XII.

Albertus V. Auſtriacus,& II.Imperator Romanorum ſemper Auguſtus, Hungariæ, Bohemiæ,Dalmatiæ,& Croatiæ Rex. Dux Auſtriæ,Stiriæ,Carinthiæ,Carniolæ, Marchio Moraviæ, Comes Habsburgi cognomento Honorificus. VxorEliſabetha,Sigiſmundi Romanorum Regis filia 1422. ſub anno 5. Pontificatus Martini III. dicti V. Imperij verò Soceri 10.

Liber

Liber 17. agit Guill. de Alberto, ac de ejus conjuge ibidem in fine. Alberto, inquit, despondit Elisabetham pater. Anno 1411. dote numerata centum mille florenis Hungaricis, in ejus cautionem assignatis præcipuis per Moraviam oppidis. Hæc ille, qui prius dixerat antecedenti paragrapho, cui titulus, *Uxor Elisabetha Sigismundi Romanorum Regis filia*, is filiæ unicæ, si non ex genero procreabit sobolem masculam, anno 1435. hæreditario jure defert regna Hungariæ, Bohemiæ, ac Moraviæ, aliaque omnia Dominia. Si verò plures acquireret filias, relinquit ei optionem hæreditatis adeundæ, ut pro sua portione accipiat Hungariam, Bohemiam, vel Moraviam, mandatque ordinibus harum regionum, ut promissum hoc non convellant. Barbara scelesta mulier Socrus Alberti per summum dolum Hungariam Regi Poloniæ tradere voluit. Bohemia, ac Hungaria etiam in fœminas possunt transferri.

Duxisse deinde Albertum conjugem suam Elisabetham & cum ea (postquam Wilhelmus & Leopoldus fratres, suique patrui tutores obierint, ipseque gubernacula adierit anno Christi 1411. ætatis vero suæ 15.) nuptias ann. 1422. sollenni ritu celebrasse, fatetur Roo fol. 161. & alij cum eo. Quinque Albertus obtinuit regna intra menses quinque. Lectus quidem Posonij Hungariæ, Dalmatiæ, & Croatiæ Rex, & coronatus Albæ Kalendis Ianuarij, Romanorum Francofurti 13. Kalend. Aprilis feria 5. ante Dominicam Lætare, unde versus, Roo lib. 4. ad annos 1411. & 1422.

Austria, queis multis privata carebat ab annis,
Alberto rursus Principe sceptra gerit.

Bernardus Sturmius Paczkovius.

Bohemiæ Pragæ pridie nonas Maij, coronatus 3. Kal. Iulij post Natalem Dominicum A. 1438. Apud Kilianum mendosè 1430. mortuo jam antea Sigismundo socero. Nam hic Cæsar obijt 1438. alij 1437. die 9. Decembris. Bellarminus 1440. in quo etiam electionem Alberti in Regem Romanorum, & ejus Imperij annos 2. ponit Electio ergo Alberti in Imperatorem Francofurti, coronatio Aquisgrani 8. idus Ianuarij anno illo 1438. Raro & eximio felicitatis exemplo, si, veluti virtutis tanti Principis, similiter & sanctitudinis, ea pretia superi benevolentes ostenderant, vitam pariter longiorem regendis, fruendis annuissent. Præfuit enim solummodò annum unum, menses 7. dies 8 Excessit in insula Schut Hungariæ, pago Meger, Germanis Langdorf, sive villa longa nominata 1439. 6. Kal. Nov. (Gans habet, die Simonis, & Iudæ ex melopeponum esu interijt) sed Guill. Roo lib. 5. ad ann. 1439. & alij præfato tempore, ætatis 45. & non absque veneni suspicione. Sepultus Albæ Regali. Ejus testamentum prudentiam, ac Pietatem Alberti maximè commendat, ut videre est apud Guill. M. S. cit. ad finem cap. 1. illius lib. 17. Propterea eum in penultimo Gentilitio transferre studuimus. Symbolum, *Amicus optima vitæ professio.* Vel habuit

Kil. error typographicus. Bell. 2. p. Chro. Gans de liberis Alberti Pij ubi supra. Obitus Alberti. Sepultura.

Elisabethæ Prosapia tam paterna, quam Materna.

HEnricus Comes Lucemburgensis Imperator VII. Vxor Margarita, Ioannis Brabantiæ Ducis filia.

Ioannes Comes Lucemb. Rex Bohemiæ. Vxor Elisabetha Bohema, filia Wenceslai Regis Bohemiæ, & Guthæ Habsburgicæ.

Carolus IV. Imperator Rex Bohemiæ. Vxor 4. Elisabetha obijt 1393. 14. Feb. cum genita esset Begnslai Ducis Stolpensis, & Elisabethæ Poloniæ. Illius, filij ex Elisabetha Vtislacensis, ab Henrico Duce procreata, quæ 1374. obijt, Vartislai Ducis Stolpensis Pomerani. Istius, quam genuerunt Casimirus Magnus Rex Poloniæ, 1370. defunctus, & Vxor ejus prima Anna post baptismum, filia Godimini Lithuaniæ Ducis.

Sigismundus Rex Bohemiæ & Hungariæ, Imperator, parensque Elisabethæ Bohemæ, Hungaræ, Lucemb. Alberti II. Cæsaris Coojugis; maritusque Barbaræ Ciliæ. Hujus genitor Wilhelmus Princeps Imperij obijt 1392. pugnans contra Turcam sub Sigismundo. Filiusque per Adelheidem Ortenburgicam ex lit. Austr. Vidua 1369. Vdalrici, 1368. extincti, quem genuit cum Dietmunde Fridericus Baro à Sanach primus Comes Ciliæ 1341. Genitrix vero Anna Polona, filia Casimiri II Regis Poloniæ cognomento Magni (filij Vladislai LocktekRegis Poloniæ, & Hedvvigis Calissiensis, Boleslai Ducis filiæ ex majori Polonia) & Hedvvigis Vxoris 4. Glogoviensis, filiæ Henrici V. Ducis Glogoviensis defuncti 1369. & Catharinæ.

Post hanc Genealogiam subdit statim Guillimannus, iterum, sed more tabellariorum enumerans proles Alberti V. loquens de Anna primogenita. Collocanda erat in matrimonium Wilhelmo Duci Saxoniæ; id antecesserunt sponsaliorum pacta, quibus anno 1439. promissum erat à tutoribus, sponsam Annam tradendam esse intra novem annos, numerata biennio post dote centum mille Ducatis. Sponsus, ac Fridericus frater pro donatione nuptiarum rependent centum quinquaginta millia Ducatorum. De gemina summa legitimè cavebitur, ut quatenus res tulerit, eo redeat, unde venit. Duces Regi, Reginæ, hæredibusque pollicentur, persoluturos ducenta Ducatorum millia, si sponsam in conjugalem thorum non accipiet. Eo pacto etiam sponsæ parentes obligantur. Ea renunciabit omnibus prætentionibus in ditiones Austriacas, quamdiu non perijt universa mascula soboles Austriaca. Non recunciat vero centum mille Ducatis, quorum prætentu jure hæreditario nititur in Hungariam, Bohemiam, Dalmatiam, Croatiam, Lucemburgum, Moraviam, ac alia Austriacorum hæreditaria Dominia. Obijt in Hungaria Elisabetha Imperatrix sub anno 1443. ut

Hh affert

pis Friderici Ducis Austriæ consanguinei nostri charissimi cum instantia fuerimus requisiti & rogati, ut dilectissimam primogenitam filiam nostram Radegundem, charissimo consanguineo nostro Sigismundo ejusdem Friderici filio primogenito Duci Austriæ acceptum nobis esset dare in Vxorem & Conjugem nos considerantes quod regnum nostrum Franciæ, & laudabilis Domus Austriæ â longo tempore in vera & bona unitate, singularique amore & naturali amicitia permanserunt, & ut in tali amicitia & dilectioriæ futuris temporibus permaneant attentaque magnificentia prædictæ Domus Austriæ ac sincera affectione dicti consanguinei nostri Friderici erga Majestatem nostram regiam, alijsque varijs rationibus, adhæc animum nostrum moventibus ipsius requestæ favorabiliter inclinari infœdus perpetuæ amicitiæ, regnique nostri & dominiorum suorum æternam pacem & mutuam tranquilitatem, dictam filiam nostram primogenitam Rodegundem consentimus; recognoscimus & promittimus in Vxorem & Conjugem dare prædicto consanguineo nostro Sigismundo, affirmamusque & iuramus sub honore & fide nostris huiusmodi Matrimonium iuxta ritum & sanctiones sacrosanctæ Matris nostræ Ecclesiæ perficere & per nostros compleri facere. Itaque dum ipsa filia nostra Radegundis ad annos nubiles pervenerit dicto Sigismundo in Vxorem Conthoralem dari, & copula matrimoniali cum ipso copulari consentimus, ac nostra, quæ huiusmodi matrimonium concernunt, legitimè perficere; bonaque & sincera voluntate adimpleri, quandocunque à prædicto Consanguineo nostro Friderico deprecati sive requisiti fuerimus. Et adhæc complenda & perficienda ipsam filiam nostram Radegundem inducere, & ex sincero corde informare debemus & volumus omni dolo & fraude penitus semotis ampliusque ob contemplationem dicti Consanguinei nostri Friderici Ducis Austriæ, & ut majori amicitia futuris temporibus astrictus existat nobis & regno nostro concordamus & tenore præsentium consentimus, ut si fortè contingeret, & quod ipse Sigismundus prius, quod DEVS avertat, obiret, quam celebratæ nuptiæ & consumatum matrimonium esset & alius ipsi Duci Friderico legitimus esset filius, eidem filio ipsa filia nostra Radegundis detur in Vxorem, simili modo & forma, veluti dicto Sigismundo. Si verò dictus Consanguineus noster Fridericus nullum legitimum haberet filium cum tres sint ei nepotes, Fridericus, Albertus & Ernestus filij quondam Illustris Principis Domini Ernesti, germani fratris prædicti Consanguinei Friderici Ducis Austriæ, ut in æternum ipsa præclara Domus Austriæ nobis & successoribus nostris Regibus Franciæ affinitate amicitia vera, & sanguinis proximitate conjuncta & confœderata permaneat, & existat, contenti similiter sumus promittimusque dictam filiam nostram primogenitam Radegundem prædicto Friderico ipsius Consanguinei nostri, ut dictum est nepoti Vxorem dare. Quod si fieri quovis modo non posset, Alberto alteri nepoti habendam eam Vxorem consentimus, & si hoc quidem habere locum nequeat, permittimus ut nepoti alteri nubat Ernesto.

Sed hoc ita intelligi volumus, quod nepos, cui nupſerit, eo modo ſuccedat, hæres ſit principalis ipſius Conſanguinei noſtri Friderici, ſicut Sigiſmundus ipſe faceret, ſi in vita maneret. Poſtremò ſi ipſa nata noſtra Radegundis ante diem nuptiarum, quod DEVS prohibeat, moreretur, aliamque nos habere filiam contingeret, qua nulli deſponſata, ſive nupta fuerit, placet, ut dicto Sigiſmundo, quemadmodum Radegundis ita hæc nuptui atque matrimonio detur.

Quod ſi hic à rebus humanis eſſet ereptus, placet ſimiliter, ac eodem promittimus modo eam vel alij filio vel nepotum alteri Vxorem conceſſuros, dumodo ipſius conſanguinei noſtri Friderici Ducis Auſtriæ, ut diximus, hæres ſit Principalis. Et hæc omnia ſupradicta, cum circumſtantiis & pertinentijs omnibus ſubditis noſtris per præſentes mandamus, & præcipimus obſervari, noſque eadem, ut præmiſſum eſt, perficere promittimus. Et in eorum teſtimonium Sigillum noſtrum, in abſentia magni ordinatum his præſentibus litteris fecimus apponi. Datum Senonis die 15. menſis Septembris 1430. per Regem in ſuo magno Conſilio.

Anno 1436. Fridericus Parens Sigiſmundi ſuper Matrimonio iſto filij ſcripſit Lotharingiæ, ac Barenſi Duci. Cui fidem præbet hæc Epiſtola.

Illuſtris Princeps Conſanguinee chariſſime, ambigere minime poſſumus, pleniſſime dilectioni veſtræ conſtare, qualiter Sereniſſimus, ac Chriſtianiſſimus Princeps, Dñs confœderatus noſter chariſſimus Rex Franciæ nobiſcum, ſuper Matrimonio inter ſuam filiam Illuſtriſſimam Dominam Radegundem, Inclitumque filium noſtrum Dom. Sigiſmundum mutuò contractum pepigerit fœderis conjugalis, quo etiam è converſo prætextu talis vinculi adſtricti ſumus.

Et quia jam multis menſibus noſtræ intentionis affectionibus inſidere non deſijt, in Ambaſiatam de noſtris aliquot conſiliarijs præcipuis, ad ejuſdem Domini Regis præſentiam deſtinari, quod tamen teſtimonio altiſſimi quibuſdam non minimis, imò verius arduis, legitimiſque irritum fieri accidit impedimentis, quibus jam multo tempore non à caſu, ſed revera neceſſaria ingruenti opportunitate hucuſque fuimus præpediti. Potiſſimè quidem ex eo, quod graviſſimas à Domino noſtro Imperatore cauſas, imputationes & querelas nobis in hac parte commiſſas, coram Domino Alberto Duce Auſtriæ Conſanguineo noſtro ex ante dicti Domini noſtri Imperatoris mandato decidendas, cui nimirum ut decet, ubilibet obtemperare tenemur, prout ordo popoſcerat juris, hactenus ſumus proſecuti. Tum etiam alijs non paucis negotijs multimodè imminentibus genti, ac terrarum noſtrarum regionibus, quæ ſingula, quemadmodum expediebat confeſtim non valuimus ſuo debito mancipare effectui: quare de veſtra confiſi plurimum charitate inſtantiſſimè rogitamus, quatenus hujuſmodi ſcripta noſtra Domino noſtro Regi placeat enarrare Aalem in ijs adhibendo ſolicitudiem, ut nos in ejuſmodi legatione transmittenda habeat excuſatos, quia tempore

pore apto illam adhuc quantocius studebimus delegare. Cum autem ipsa delegatio nostra difficulter hinc venire possit, nisi fuerit debita salvi conductus promissione fulcita, sicut etiam ante dictus Domini nostri Rex nobis superiori tempore duas salvi conductus literas, suæ Majestatis Sigillo munitas transmisit, quæ tamen ad instans Nativitatis Christi Festum exspirabunt.

Quidquid tamen de ipsius Domini nostri Regis voluntate extiterit, placeat nobis per scripta vestra intimare nobis in eo speciale dilectionis indicium ostensuri, qua ad ejus bene placita conformare nos semper optamus. Datum in oppido nostro Insprugg, 19. Decembris Anno 1436.

SUBSCRIPTIO

Fridericus Senior Dei gratia Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Comes Tyrolis, &c.

De priori Sigismundi Austriaci Uxore Scota. Quæ de conjugio Sigismundi cum priori conjuge desiderari possunt, hæc sunt ex Guillimanno.

ELeonora Iacobo II. Rege Scotiæ genita cum qua nuptias celebravit Anno 1448. Eam, cum per Franciam profecta, in Tyrolim tenderet, Albertus Sigismundi patruus cum quadringentis equitibus eo deduxit. In comitatu erant Helvetiorum, Buchhotnensium, Isnensium, Vangensium, Constantiensium, ac Cumpidonensium legati. Sponsam Carolus Rex Galliæ commendavit Helvetijs ob dominia, quæ apud esset possessura, vocat in litteris suam filiam, ac Sigismundum filium, cum quo ut pacem ineant, hortatur.

In dominationem propter nuptias sponsus ei destinavit decem millia florenorum, cui summæ cavit pignoribus Hertenberg, Caltern, Imbst, Ombras, cum ad nexis, vectigalibus nonnullis, & arce Sigmundsburg. Deinde Anno 1457. ei transcripsit, accessit dominia Helvetica cum potestate ea possidendi, regendi, fruendi. Ex ijs erant comitatus Kiburgiensis, Rapperschvvila, Vitodurum, Fravvenfelda, Disenhofa, Gruninga, aliaque castra & ditiones in Turgovia, item Walgovia, Sarunetium, Veldkirchiæ castrum, oppidum, ejusque adjuncta, Bludenzium, cum Valle Montafon, Arv Nevvenburg, & jura in Brigantino saltu, ac Friburgi Aventicorum, castrum, ac oppidum Reinech, quod tum tenebant Helvetij. Ea demortua, omnia deredeant ad Maritum, ejusque hæredes. Hisce de rebus plenius loquuntur, ac testificantur duo Instrumenta, quæ appono. Donatio propter nuptias.

Sigismundus, &c. Serenissimæ Principissæ Eleonoræ Serenissimi Regis Scotiæ natæ, Serenissimi Scotorum Regis moderni sorori, sponsæque nostræ charissimæ sinceræ dilectionis affectum Serenitati vestræ pro dote,

ſeu donatione propter nuptias tenore præſentis damus, & aſſignamus ſummam decem millium florenorum Rhenenſium annuorum redditŭum de bonis ad nos jure hæreditario, aut alias quocunque juſto titulo ſpectantibus, voſque ſuper eiſdem, cum ad nos perſonaliter applicaveritis, & Matrimonium, Deo annuente, nobiſcum conſummaveritis, litterijs neceſſarijs & optimis in termino, de quo cum noſtris Ambaſſiatoribus concordaveritis, in bonis, caſtris, oppidis, villis, ac Juriſdictionibus, bonis ex ijs competentibus, cum redditibus, proventibus, & obventionibus, ac fructibus ad illa, & ex illis ſpectantibus, & provenientibus, aſſecurabimus. Ita quod nos ejuſmodi redditus nomine & loco dotis, ſeu donationum, prædictarum, ſi & quantum nos vos morte, quod DEVS diu avertat, prævenerimus, ad vitam veſtram tantum tenere, & in uſus veſtros convertere poſſitis, & valeatis, abſque noſtra, aut alterius cuiuſcunque noſtri nomine contradictione, & impedimento, omni dolo & frande ſemotis. In optione veſtra tamen & arbitrio juxta laudabilem conſuetudinem hactenus prædeceſſores noſtros Duces Auſtriæ in talibus redditibus acceptare volueritis. Vobis verò defuncta, quòd ille, qui vitæ & mortis habet Imperium, diù avertat, ſumma prætacta decem millium florenorum Rhenenſium annuorum redditŭum per nos, ut præmittitur aſſignatorum & datorum, ad hæredes & ſucceſſores noſtros, ac Domum Auſtriæ ſine obſtaculo veſtrorum hæredum, & aliorum quorumcunque veſtri nomine revertantur. In cujus rei teſtimonium præſentes literas manu propria ſubſcripſimus & Sigilli noſtri munimine roborari fecimus.

Sigiſmundus Dei gratia Auſtriæ, Carinthiæ & Carniolæ Dux, Comeſque Tyrolis, &c. Notam facimus univerſis præſentes litteras in ſpecturis, quod nos pro nobis hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris Sereniſſimæ Principiſſæ, Dominæ Eleonoræ conthorali & Vxori noſtræ dilectæ, olim Illuſtriſſimi Principis bonæ memoriæ Domini Iacobi Regis Scotorum natæ, Illuſtriſſimi Principis Domini Iacobi filij ſui moderni Scotorum Regis ſorori ob nobilitatem, & virtutum ſuarum mentis excellentiam dedimus, aſſignavimus, & tradidimus, damus, & aſſignamus, & cum affectu harum litterarum ſeriè tradimus caſtra noſtra Hertenberg Calthern Imbſt, & Ombras, ſi obitum dictæ conthoralis noſtræ, quod DEVS de ſua miſericordia diu avertat, præveniremus, per eam quo ad vixerit, pro habitatione ſua tenenda, & poſſidenda. Nec non dotem & donationem propter nuptias decem millium florenorum Rhenenſium pro ſtatu ſuo decenti & laudabili juxta ſuæ nobilitatis magnificentiam, ſimili modo, quo ad vixerit, tenendo, abſque alienatione impignoratione quibuslibet, dedimus, aſſignavimus & tradidimus, damus, aſſignamus, & tradimus per præſentes, ſex videlicet millia, & octingentos florenos Rhenenſes, ex fructibus, redditibus, proventibus, Juribus, obventionibus, & emolumentis univerſis ad officia, ad dicta caſtra ſpectantibus, & exinde provenientia ab officialibus per eandem no-

ſtram

ſtram dilectiſſimam Conjugem ibi poſt noſtrum obitum ponendis & inſtituendis. Et tria alia millia & ducentos florenos ſimiles à teolonario, ſeu muta in anto, vulgariter Lueg nuncupato & Salina noſtra in Hallis vallis Oeni levandi & recipiendi, & ei aſſignandi abſque contradictione, & impedimento, quibuſcunque hæredum & ſucceſſorum noſtrorum omni dolo & fraude ſemotis. Optione tamen nihilominus eidem Eleonoræ Contho-rali noſtræ dilectiſſimæ retenta & reſervata eligendi quotiens ſibi placuerit, recipiendi & acceptandi hujuſmodi decem millium florenorum Rhenenſium dotem, aut aliam dotem conſuetudinariam, juxta morem Domus & ducatus Auſtriæ, damuſque & concedimus dictæ noſtræ Conthorali pro nobis, & dictis hæredibus, ac ſucceſſoribus noſtris in dictis caſtris Caſtellanos pro ipſorum Cuſtodia & officiales, ſeu reddituarios pro colligendis fructibus, redditibus, proventibus, & emolumentis ſupradictis poſt hujuſmodi obitum noſtrum, ut præfertur, ponendi, inſtituendi, & quoad vixerit, ordinandi. Poſt deceſſum verò ipſius noſtræ Conthoralis, caſtra, redditus, proventus, emolumenta, ac officia prædicta ad noſtros hæredes & ſucceſſores libere revertantur, abſque impedimento, ac contradictione hæredum ejuſdem Conthoralis noſtræ. Pro tribus verò millibus & 200. flor. ſupradictis obligamus pro nobis & hæredibus, ac ſucceſſoribus noſtris prædictis theolonium, ſeu mutam, & Salinam prædictas eidem noſtræ Conthorali, ac volumus, quod officiales ipſorum qui pro tempore poſt noſtrum deceſſum, ſingulis annis in feſto S. Michaelis abſque prorogatione & impedimento, quibuslibet eidem, quoad vixerit, ſatisfaciant omni dolo & fraude ſemotis.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras litteras, quas propria manu ſubſcripſimus, fieri, & ſigilli noſtri appenſione muniri, nec non per Notarios publicos, fideles noſtros infra ſcriptos ſubſcribi, & ſignis eorum conſuetis conſignari mandavimus. Datum & actum in oppido Bozani, indictione 12. dieque lunæ 24. menſis Februarij 1449.

Vitam cum morte commutavit 20. Novembris Anno 1480. in Arce Oeniponti, viſceribus ibi reconditis, Corpus in Stambs terræ mandatum fuit. Cognomen tulit, Mater pauperum, viduarum, ac Orphanorum, Vnicam ex ea prolem ſuſcepit Sigiſmundus, Wolfgangum nominavit, qui infans obijt.

Progenitores Paterni, ac Materni Eleonoræ primæ Vxoris, egregijs mariti ſui nomenclaturis inſignitæ.

WAlterus Stevardus. Vxor Maria, filia Roberti Bruſij Regis I. (capto in Anglia Ioanne Baliolo) ſoror Regis Davidis.

Robertus

Robertus II. Stevardus Rex Scotiæ post avunculum Davidem. Vxor Elisabetha, filia Adami Mori, illustris equitis.

Robertus III. Stevardus Rex Scotiæ, Vxor Anna bella.

Iacobus II. Rex Scotiæ. Vxor Ioanna Somersatana, soror Ioannis primi Ducis Somersatani, filiaque Ioannis Comitis Somerti, Marchionisque Donestriæ ex N. Quem cum Catharina de Schvveinfurt Vxore 3. genuerat Ioannes, Lincastri Comes ex I. Conjuge, filius Ædoardi III. Regis Angliæ, & Hiberniæ, cui Vxor Philippa, Wilhelmi Hannoniæ Comitis filia.

Eleonora Regina Scotiæ Sigismundi Archiducis Austriæ I. Conjux, quæ nulla relicta sobole (inquit Roo lib. ij. fol. 399.) nam Wolfgangus ex ea natus in cunis decesserat, obijt anno 1480. De 2. agendum postmodum sub anno 1484.

MATRIMONIVM XIV.

Albertus VI. Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comes Tyrolis, Cognomento Inquietus, & Prodigus. Vxor Methilda Palatina Vidua 1451. sub anno 4. Summi Pontificis Nicolai V. Imperatoris verò Friderici IV. fratris 10.

Lib. 5. fol. 200. Refert Roo conjugium hoc sub anno 1446. his verbis. Circa hæc tempora Albertus Austriacus Vxorem duxit Methildem Ludovici Palatini filiam, Ludovici Wirtemberici Viduam, fœminam divitem, & pecuniosam, quod percommode matrimonium ei cessit, jam enim pecuniam omnem, à Cæsare assignatam in sumptus bellicos, aliosque usus expenderat. At Guillimannus fortè accuratius computat præsentis Conjugij tempus, ita ajens de eo. Methildis filia Ludovici Electoris Palatini ad Rhenũ primo nupta Ludovico Comiti Wirtenbergensi, qui ex ea procreavit Eberhardum primum ibi Ducem, postea Alberto nuptui collocata erat Anno 1451. Erat ipsa, ut jam paulò superius auctor declaraverat, Ruperti Cæsaris neptis, Eberhardi Barbati mater opulenta, & pecuniosa, & ob id maximè dilecta. *Idem M. S. paulo ante.* Nuptias celebravit anno eodem 1451. Dotem Alberto attulit septuaginta tria millia florenorum, cui ad dies vitæ cavit quadraginta tribus mille florenis, quibus ipsa totidem addet, summa inde resultante, ambo utentur, fruentur. *Idem post Genealogiam Methildis.* Mobilia convertet, quorsum volet, dabit

bit liberis alijs, vel pro anima legabit quater mille florenos: à debitis Mariti solvendis libera erit. Doti, ac donationi propter nuptias cavebit pignoribus Rotenburgo, Horbio, Binsdorffio, Schenberga arce, Hoenberg ditione in Harudibus Lanseriana. In compensationem dotis promisit decem millia florenorum (pignori pro ijs assignatis pagis Hirschau, ac Barmlingen) cui ac 43. M. flor. cavit etiam per dicta oppida, quæ post obitum mariti concedent in fidem viduæ, quod jam spondebunt subditi. Anno 1458. Albertus ditionem Hohenbergicam consignavit Sigismundo (quam civitatibus Imperij oppignoratam recepit) dans ei potestatem ab Vxore pignora ibi redimendi, quæ sine ulla redentione retinebit. Ditionem Haigerlochensem (olim pignori concessam pro tredecim mille florenis) ac arcem Hohenbergensem reliquit Vxori, eam enim acquisivit proprio ære.

Obijt Albertus anno 1463. postridie Kalend. Decembris (*Gans quarto nonas Decemb. 1462.*) ætatis 45. ut plerique credidere veneno. Roo explicitius causam interitus Alberti non omnibus illa tempestate eandem retulit. Repudiatis enim ab Alberto pacis conditionibus cum fratre Friderico, animo instaurandi bellum, Deus optimus maximus cum quod humanis consilijs difficile videbatur, sua voluntate affecit. Subito enim quodam morbo correptus obijt quarto nonas Decembris, & quinto die post in D. Stephani majorum sepulchro illatus est. Mortem ejus partim ultioni Divinæ, partim veneno imputarunt, alij ob vitæ incontinentiam apoplexia percussum putavere. Veneni suspicionem faciebant medici, qui signa quædam in ejus corpore depræhensa esse affirmabant, idque apud vulgus semper in deteriorem partem magis pronum obtinuit. Sed quæstione ejus rei instituta, Pharmacopæus quidam, & alij nonnulli ob suspicionem in carcere habiti, pro innocentibus absoluti sunt, &c.

Guill. illi lem ante commemorata. Lib. 7. fol 280. De obitu Alberti variæ causæ.

Præcipuam sui memoriam, & laudem reliquit in Academia, quam Friburgi in Brisiaca condidit, & magnificè locupletavit, privilegijsque eximijs ab Pio II Pontifice impetratis, mirificè decoravit. Cognomenta ex re ei indiderunt, quippè cui ex prodigalitate (Assentatores, quibus ad noxiam indulsit, magnificentiam, & liberalitatem vocabant) nihil unquam superfuit, vitamque in turbis, & dissentionibus fermè omnem peregit. Roo habet. Prodigi cognomen Albertus tulit, quod nulla unquam pecunia ei ad domesticos, & bellicos sumptus satis magna fuerit. Ita enim subditos exactionibus vexabat, ut plerique relictis prædijs & fortunis suis, voluntarium exilium cogitaverint, &c.

Guill. M. S. ex alijs communiter. Assentatores & quando haud noxij Principibus? Loc. cit.

Qui verò ejus ingenium facile magis quam malis artibus affectum interpretabantur, Mansuetum, sive Mitem, uti ad omnia indulgentem, & tractabilem nominabant. Scriptores Tigurini belli qui interfuerunt, tradiderunt, Albertum hunc fuisse primum *Archiducem*, ab fratre Imperatore ita insignitũ, ad quã falsitatem redarguendã in Sigismundo Archiduce,

M. S. ibidem. Titulus Archiducis.

Supra etiam in Ernesto notavimus, eum publico monumento se Archiducem indigitasse. Inscriptio Lapidis quadrati sub quo in medio cryptæ jacent Alberti ossa, est hujusmodi, ut Gans refert, *Albertus Ernestus Dux Austriæ*. Ejus Conjux non peperit. At magnum ejus amorem viginti totos, quibus superfuit, annos servavit, & celeberrimo funere testatum reliquit. Vixit ipsa deinceps plures annos Rotenburgi ad Neccarum, ibique Pietati, & restituendis nobilium virginum ad priscam disciplinam, & religionem monasterijs maximè incubuit. Obijt 1482. Kalendis Octobris Haydelbergæ; translata à Christophoro Duce Tubingam, & in eodem conditorio cum primo marito Ludovico Seniore ædis Georgianæ Choro sepulta. Translatus eò etiam fuerat Ludovicus.

Vide Roo ibidem de hoc funere exactius. Pietas Vxoris, & ejus mors.

Paternum, ac Maternum Methildæ Palatinæ Pijssimæ Fœmiæ Genus.

ADolphus Palatinus Rheni Elector. Vxor Irmingarda Comitissa Oetingensis Ludovici filia.

Rupertus, dictus vulgò Adolphus, & de Brandits Vxor Beatrix Regina Siciliæ, filia Petri Regis Siciliæ ex Aragonijs, & Elisabethæ, Ducissæ Carinthiæ, Othonis filiæ.

Rupertus Cæsar Palatinus Rheni Dux Bavariæ. Vxor Elisabetha Burgravia, filia Friderici Burgravij Norimber. & Elisabethæ Marchionissæ Misniæ, ac filiæ Friderici Marchionis Misniæ, Cæsaris electi contra Carolum IV. & Methildæ, Ludovici IV. Imperatoris Bavari filiæ. At Fridericum Burggravium Norimbergensem ex Elisabetha Comitissa Hennenbergensi Bertholdi filia, Ioannes Burggravius Norimbergensis jam procreaverat.

Ludovicus Barbatus, parens Mathildæ Palatinæ Archiducis Alberti VI. Conjugis, Maritusque Mathildis Sabaudæ Pedemontiæ. Hujus genitor Amedeus, Dux Pedemontis (cui pater ex Margarita Bellijocensi, nata ab Edoardo Domino Bellijocensi, & Maria filia Domini de Thil in Lauxois, Iacobus Princeps Pedemontij, & Moreæ ex Vxore, prognatusque Philippi Ducis Sabudiæ, Pedemontijque Principis, & Isabellæ, Principissæ Athenarum, & Moreæ) Genitrix autem Catharina, Comitissa Genevæ, filiaque Amedei, Genevæ Comitis, filijque ex Agnete Sabauda, edita ab Amedeo IV. cum priori Vxore, Comitis Genevæ Wilhelmi ex Vandeburg. Mater Catharinæ Mathilda, quam Guido Comes S. Pauli, & Mathilda Castiliona genuere.

MATRI.

MATRIMONIVM XV.

Cujus celebratio à Summo Pontifice in Vrbe Roma, Nuptiæ verò in Civitate Neapolis.

Fridericus V. Tyrolensis Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comes Habsburgi V. Hungariæ Rex, Romanorum Imperator IV. Pius, Felix, Pacificus, ac suæ stirpis Propagator cum Conjuge Eleonora Lusitana, ducta 1452. Nicolai V. Summi Pontificis sub anno 5. Imperatoris vero viri sui ij.

EXplicat Roo valdè luculenter sub anno 1452. (nam sub antecedenti 1451. profectum Cæsaris Italiam versus ponit) eventus hujus felicissimi conjugij, unde stemma, & bona omnia ad posteros propagata; & quod dignum fuit, in Italia totius Mundi Regina, nec non & Romæ orbis terrarum capiti Summo Sacerdote, ac Christi Vicario medio celebrari, & acclamari. Incessit libido tande Friderico Regi (loquor cum Cuspiniano) Romam petendi ducendique conjugem. Ad utrumque oratores destinat, qui iter in Italiam, Pontificisque animum pertententent, ac sponsæ formam ætatemque contemplentur. Reliquit tunc Eduardus Portugalliæ Rex tres natas, forma præstantes, & annis nubiles. Quarum major natu annis 16. & circiter Leonora, cæteras, Catharinam scilicet & Ioannam, forma, ac corporis elegantia antecellebat, &c. Inter hæc, inquit, Sponsa Eleonora post longam Maris jactationem ex Hispania advecta, ad Liburnum Hetruriæ portum appulerat, unde Nicolaum Longimanum à Falckensteino Sacerdotem, qui cum Iacobo Mezio legatus ad ipsam venerat, Cæsari obviam mittit. Is in itinere ubi Cæsar esset, percontatus, ad nonas Februarij Florentiam venit. Ad Cæsarem intromissus, quo in loco Reginam reliquisset, narrat, à qua missum se, uti rogaret, quo eam portu navem egredi juberet. Cæsar vehementer eo nuncio gavisus, literas ad sponsam dat, usque Pisas se conferat, jubet. Mox ad excipiendam illam mittuntur Michael Magdeburgi, ac Rudolphus Silesiæ Princeps, Vdalricus Sternbergicus, Albertus Eberstorfius, Comes quidam Schaunburgicus, Ioannes Vnguadius, & Vdalricus Sunpergerus protonotarius cum alijs multis. Prærer illos diverso itinere Pisas profecti sunt Æneas Sylvius Episcopus Senensis (postea Pius II.)

Iter Eleonoræ abs Lusitania in Italiam.

Meziorum illustris familia apud Galatinos meos reperitur.

II.) Albertus Potendorffius, Georgius Volckenstorfius, Bernhardus Tahensteinerus, Balthassar Ratembergerus, Vxores item Potendorffij, & Tahenstineri, aliæque illustres matronæ, ac virgines. His Cæsar ad sponsam missis, Senas ipse perrexit, ubi eam operiri decreverat. Quæ, postquam propius jam adesse, nunciaretur, Senensis Magistratus cum tota nobilitate, ac civibus obviam primi processere. Inde Ladislaus Rex, & Albertus Archidux cum suo uterque comitatu, postquam comitum, nobilium, & ex Imperij Civitatibus missorum ingens multitudo, longo ordine ingrediebantur. Hos secuti sunt viri Ecclesiastici. Cæsar verò cum Cardinale Romani Pontificis legato, ad ingressum Civitatis intra duas portas substitit, ubi exoptatam diu sponsam amplexatus est. Eo loco Senenses, ad rei memoriam, signum ex marmore posuere.

Cæsar sponsam suā Senis operitur.

Cæsar postmodum aliquibus transactis diebus Romanum iter prosequens, ad 16. Cal. Aprilis Pontifex in D. Petri æde sacris operatus, Fridericum Cæsarem, & Leonoram, adhibito sollemni ritu, solitisque cerimonijs, matrimoniali vinculo conjugavit, beneque ipsis, ac ipsorum posteritati ominatus est. Tertio post die (quam Dominicam Lætare vocant) Cæsar de more unctus, & in Romanum Imperatorem consecratus, coronam & alia Romani Imperij insignia accepit, acclamante Populo Romano, Fiderico Pacifico à Deo coronato Imp. vita, & victoria. Coronatur & sponsa solito ritu, fastisque omnium precationibus Augustorum nomine uterque salutatur. Peracto coronationis ritu, & gratulationis hymno decantato, Fridericus Imperator ex veteri majorū instituto in ponte Tyberino ante palatium S. Angeli fratrem primum deinde alios multos, quos trecentos fuisse memorant, equestri dignitate insignivit. Invitatus Cæsar per legatos ab Alphonso Aragonio Rege Neapolis, ac sponsæ avunculo (Manlius vocat Leonoram aviam Alphonsi, mendum certè fœdum) eò cum sponsa Ladislai cūra Æneæ Sylvio commissa, & civitatum equitibus Romæ apud illum relicti, ac reliquo comitatu divertit. Ibi summis cum honoribus exceptus, nuptias ei Alphonsus regali pompa, ac luxu instruxit. Coactus Cæsar redire Romam, ac deindè in Germaniam, reliquit apud avunculum Leonoram conjugem, quæ octavo post die, quam abierat maritus, discessit. Manfredonia navibus Venetias delata est, ubi magnificentissimè accepta, ac tractata post dies decem cum Imperatore viro suo Neapolim Austriæ venit &c. Hactenus Roo, è quo non omnia illius enarrationis, sed tantum necessaria mutuavimus. Itaque præsentis conjugij prærogativæ egregiæ sunt & peregrinæ multis modis, ut videre est. Ex Imperatoribus Austriacis solus Fridericus IV. coronatus est Romæ à Jesu Christi Vicario, nam Carolus V. Bononiæ Imperij Diadema accepit. Item ex Imperatricibus, sive sanguinis, sive connubijs conjunctione Austriacis, Regina Eleonora Lusitana, pia, ac multis præter excellentem pulchritudinem corporis ex-

Cæsaris matrimonium Summus Pontifex celebrat.

Ejus coronatiò. Coronatio sponsæ.

Manl. error loc. cit. in Frid. III. Imperat. de Eleonora.

ornata

ornata virtutibus fœmina adhuc meruit ibidem coronari, ubi etiam copulata est viro suo à Summo Pontifice Nicolao V. cujus auspicatam de tali, ac tanto conjugio felicitatem, opere mirum in modum comprobatam orbis Xp̄nus postmodum contuitus est.

Quæ hic compendiatim de tanto Cæsare afferenda, sunt hujusmodi. Fridericus Imperator natus est 1415. die S. Matthæi. Roo habet ubi de Ernesto parente. Is, ne omnia simul fraternæ ditionis loca ab aliis occuparentur, in Tyrolim venit, ac Oeniponti ordinum conventum agit, ubi nascitur ei ex Cimburga Fridericus Romanorum postea Imperator nono Cal. Octobris anno ejus ætate decimo quinto. Gans II. Calend. Octobr. &c. Lectus est Imperator Francofurti 1440. 3. Calend. Aprilis (Roo idem habet, Gans verò, & fortè longè à vero Calend. Ianuarij, & coronatus 8. idus ejusdem) feria 4 Pascatis, ætatis anno 25. Coronatus Aquisgrani ab Theodorico Coloniensi Archiepiscopo anno 1442. 15. Cal. Iulij, Romæ ab Nicolao V. 1452. 16. Cal. Aprilis. Defunctus est 1493. 13. Cal. Septem. (alij apud Manlium 26. Aug. ipse 24. Naucl. 7. Septemb. Viennæ, cum crus illi rejectum esset. Ferunt, teste Roo, paulò ante obitum quæsivisse Fridericum, quid inter Cæsarem, & quemvis rusticum interesset? mox verò subijcisse, rusticum sanum, ægroto Cæsare, longe esse feliciorem, &c. Fridericus hic interrogatus aliquando quid homini optimum contigere posset, respondisse ferunt, *Bonus in hac vita exitus.* Quod sibi contigisse piè credendum, ipse enim in senectute bona venerabiliter susceptis Sacramentis Dominicis quam devotissimè migrasse dicitur. Vide Naucl. ibidem, ubi etiam ex Ænea Sylvio de præclarissimis ejus rebus gestis breviter, quas suo loco nos explicatius recensebimus. Vixit annos 78. mensem unum, dies 2. Imperavit annos 53. dies 12. (Bellarm. in Chronol. ann. 54. Naucl. ad an. 1593. ann. 53. mens. 15.) Octavianum Augustum vitæ annis duobus, mensibus 10. diebus 26. supergressus, totidem ab eo Imperij superatus est. Corpus Viennæ ad D. Stephani conditum, interiora Lentiæ ad Danubium, &c. Alij meminere, (quibus Gans adscribitur, fuisseque melopepones 8. testatur) nimio melonũ esu ægrotari mortaliter Fridericũ cæpisse deindeq; interijsse. Profert item Gans, Romam, & Hierusalem majorũ exemplo Fridericum visitasse. Quam visitationem istam explicat Guill. Fridericus, ait, Ierosolymam profectus est A. C. 1437. Cuspin. in Friderico expressius. Fridericus igitur ab adolescentia benè educatus in religione Xp̄na usque adeo crevit ut Terram Sanctam nullis territus minis, ac maris tempestatibus, inviseret, & monasteria plurima extruxerat, censibusque annuis, ac redditibus provideret, &c. Dicere solitus, *Rerum irrecuperabilium felix oblivio.* Item A. E. I. O. V. quæ sunt quinque literæ vocales Alphabeti, quarum Interpretatio. *Aquila electa justè omnia vincit.* Symbolo verò usus est mensa, vel tripode, cui liber apertus impositus, & armatum brachium, cujus manus gladium tenet erectum, capulo libro imposito, cum inscriptione;

Auct. Tig. belli antiq. apud Guill. M. S. lib. 20.

Lib. 4. ad ann. 1415.

Loco cit. in liberis Ern. lib. 5. ad ann. 1440.

Vide etiam Roo ibidem fol. 189.

Roo lib. 10. fol. 389.

Apopht.

Symbolum.

Hic regit, ille tuetur. Ex Vxore Eleonora præfata, Eduardi, Ioannis Regis Portugalliæ filij, & Eleonoræ, Ferdinando I. Arragonio genitæ filia quinque proles. *Christophorus* natus 1455. 16. Nov. ante ortum solis in Nova Civitate. Obijt 1456. 21. Martij, sepultus in Monasterio novo Ordinis Cisterciensis in Choro ante altare. *Ioannes* 1466. vigilia S. Laurentij Nova Civitate. Obijt 1457. 15. Febr. & propè fratrem sepultus. *Helena* 1460. 3. Novemb. Viennæ ante ortum solis. Obijt 1461. ultimo Febr. sepulta juxta fratres. Qui infantes extincti, apud quos & ipsa sepulta Neostadij æde S. Crucis, quam splendidè construxerat 1467. 3. Septembris eodem, quo nata erat mense, ætatis anno 30. Nata enim Leonora Vlyssibonæ 1437. mense Septembris, baptizata Cathedrali æde D. Vincentij. De ipsa Menlius, Leonora multum semper adamata Conjux incredibili rerum cœlestium cupiditate incensa mentis optimè compos obijt, &c.

Obitus Leonoræ, sepultura, nativitas.

Liberi superstites *Cunigunda*, nata 1465. 16. Martij Neostadij, quæ Alberto IV. Bavariæ Duci nupsit, & Wilhelmum, Ludovicum, Ernestum Archiepiscopum Saltzburgensem, Sibyllam Ludovici Palatini, & Sabinam Vlrici Ducis Wirtenbergensis Conjugem peperit. Sepulta Monachij æde Deiparæ A. 1520. 12. Viduitatis, cum abjectis Mundi curis, pompisque, Monasterio inclusisset se Sanctimonialium D. Francisci, eadem in Vrbe. Sibyllæ nuptiæ factæ Haydelbergæ magna pompa, præsentibus Cæsareæ Majestatis legatis, & multorum Principum A. 1511. 23. Februarij Dominica Sexagesimæ. Sabinæ nuptiæ celebratæ Stuorgardiæ 2. Martij Dominica Quinquagesimæ A. 1511. octavo die post sororis Palatinæ. Episcopus Constantiensis sollenni zavit. Referunt adfuisse equorum 7000. expensæ tantæ, quantæ unquam vel auditæ, vel visæ sunt. Erat Vlricus annorum 24. Et Maximilianus unica tantæ Domus spes, & Columna, qui natus 22. Martij inter quintam & sextam horam pomeridianam Neostadij, & ab Archiepiscopo Salisburgensi baptizatus A. D. 1459. solus rursum stemmatis propagator superstes mansit. Notat Manlius in Friderico, hunc & filium Maximilianum integrum vivendo superasse sæculum cum pater natus sit 1415. filius autem obierit 1519. Res certè haud parvi momenti, ac propterea isthac advertentia in Cæsaribus condigna. Protrahere enim vitæ curricula annis plusquam 70. & vivere sub ingenti Imperij mole 54. sicut contigit Friderico, filiumque Maximilianũ sexagenarium agere sub regimine Cæsareo ann. 30. facinus non adeo consuetum.

Conjugium filiæ Cunigundæ.

Wide. M. S.

Leonoræ Lusitanæ, Austriæ progeniei VI. Propagatricis, Religione, & formositate isignitæ Progenitores paterni, ac materni subjecto schemate spectantur.

Alphonsus

ALphonſus IV. Ferox Rex Portugalliæ. Vxor Beatrix filia Sanctij IV. Ferocis, Caſtellæ Regis, & Mariæ, filiæ Alphonſi Infantis dicti de Molina.

Petrus Rex Portugalliæ dictus crudelis. Vxor Maria Bannere.

Joannes I Rex Portugalliæ. Vxor Philippa Lancaſtra ducta 1387. Hujus parentes Ioannes Gandavenſis, Dux Lancaſtri ex Vxore (filiusque Edoardi III. Regis Angliæ, cui Vxor Philippa, Wilhelmi Hannoniæ Comitis filia) & Blanca Lancaſtra hæres patris Henrici Comitis Derbij, & Ducis I. Lancaſtri ex regia Anglorum familia, maritique Agnetis filiæ & hæredis Pagini, Domini de Cadurcis.

Eduardus Rex Portugalliæ, ex quo Leonora Luſitana Friderici IV. Imper. Conjux, genita abs Vxore Leonora Aragonia, filia Ferdinandi I. Regis Aragoniæ, & Siciliæ, cujus genitor Ioannes I. Rex Caſtiliæ, & Legionis, filiusque ex Ioanna, progenita à Ioanne Emmanuele de Cerda ex Regia familia Henrici II. Regis Caſtellæ & Legionis; genitrix verò Eleonora Aragonia, filia Petri IV. Regis Aragoniæ 1388. 8. Idus Febr. extincti, & Eleonoræ, Petri Siciliæ Regis filiæ. At Vxor Ferdinandi Eleonora Albuquorica, filia Sanctij, Comitis Albuquercij. Pater Sanctij Alphonſus XI. Rex Caſtiliæ, & Legionis. Mater Eleonora Gutzmanna Petri Martinez, & Mariæ Gritoniæ, & Mariæ Grironiæ filia. Vxor Beatrix, quam cum Agnete à Caſtro filia Petri Ferdinandi à Caſtro, ſanguine ſibi conjuncta Petrus Rex Portugalliæ crudelis nuncupatus ediderat. Ex ſtirpe Guſmanna S. Dominicus.

MATRIMONIVM XVI.

Ladiſlaus I. Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lucemburgi, Marchio Moraviæ, Comes Habsburgi, Teriolis, Ferretæ, Landgravius Alſatiæ Poſthumus. Vxor non ducta Magdalena Caroli VII. Francorum Regis filia 1457. ſub anno 2. Pontificatus Caliſti III. Imperij vero Friderici IV. patruelis.

17.



SVmpſimus præſentis conjugij calculationem ex libro 18. Guillimanni, qui in corpore illius hiſtoriæ, multa cum gravitate & lucubratione enarratæ, hæc pro re noſtra, adſtipulans Roo in pluribus, minimè autem circa ſponſalium tempus,

tempus, quod apud illum anno uno majus est. Et uterque cum Nauclero in Chron.& alijs ad ann.1458.Æneæ Sylvio. Anno,inquit,1457.Ladislaus de consilio ordinum conjugem sibi copulare,ac se tutelæ eximere constituerat. Qui ei retulerunt ex redidititibus Regni annuis superesse tantum bis centum,ac viginti mille florenos, qui tamen vix sufficiant ad aulicum ejus comitatum sustentandum, ac pacem Regni conservandam. Petijt ergo ab ijs mutuo pecuniam, quibus vicissim sat dedit. In Austriam cum rediisset Ladislaus, ad matrimonium animum applicuit. Inter plures, quæ offerebantur, Virgines,ætate, forma, nobilitate, moribus præstare universis visa Magdalena Caroli VII. Galliæ Regis filia. Legati missi,qui poscerent, & desponderent. Mox de nuptiarum loco disceptatum: Hungaris Budam, Viennam Austrijs, Bohemis postremò Pragam ostentantibus, & præferentibus. Interim & nutante perplexque Rege cum octingentis expeditis equitibus in Austriam venit Georgius Podiebratius ille, qui post obitum Ladislai in Regem electus,Paulus II. Pij II. successor consistorio publico eum de hæresi damnavit, privavitque Regno per sententiam. Magna his ad Regem ferre professus, Viennam quasi suspectam, & per privatas inimicitias periculosam venire recusavit. Patefacturum in tentorijs extra menia, si audire, & cognoscere Regi lubeat. Etsi verò id infra Majestatem esse Rex non ignorabat, quia tamen quandoque illudit utilitas honestati, temporique sæpius gerendus mos & magna Gregorij auctoritas apud omnes erat, multum licet contra connitentibus atque pugnantibus plerisque Consiliarijs, qui animum subditorum hoc pacto augeri, & insolescere, decus regium premi,& vilescere clamabant, assumptis tribus equitum millibus, ad Podiebratium proximo ad Danubium campo tendentem transijt. Quatriduum colloquio assumptum, redeunte ad singulas noctes in urbem Rege. Primo colloquij die in publica Regis salutatione, & reverentia impenso, sequentibus duobus singuli tantum à singulis testes sermonum adhibiti. Quartum & postremum intra tabernaculum soli, remotis omnibus arbitris peregere. Neque de summa rerum, quæ in tractationem venerunt,quidquam certi tum aut postea pernotuit. Hæc ferè Sylvius, subdit Roo,& qui eum secuti sunt, Bonfinius, ac Dubravius; etsi manuscripta quædam in conventu publico Neoburgi adfuisse Georgium, & cum Rege præsentem egisse, referant. Instituta Pragæ deinceps nuptiarum celebritate, id maximè actum fama sparsit. Sed neque omnia de voluntate Podiebratij. Vbi enim à Danubio digressi sunt, subito is se versus Moraviam convertit vultu ferociore, neque vocibus, & minis abstinens. Quæ posteaquam Ladislao cognita sunt, nec absuturum periculum, si impacatus, & offensus, tanta auctoritate, & novandi facilitate in regnum revertisset, ex aulæ primoribus, qui revocarent, extemplo dimisit; si nequiret, factum postremo Regem, quæ vellet, pollicerentur. Cum nullis aut rationibus, aut precibus reducere potuissent, in via repertum,quod reliquum erat,

Guill. M. S.

Roo lib. 6. fol. 231. sub anno 1458.

Mittuntur Legati pro sponsa ad Carolum VII.

Podiebratius Gubernator *Bohemiæ*

Equitis privati magna auctoritas semper Principibus nocua.

Rex Ladislaus negociatur cum Podiebratio, uti his petierat,in papilionibus.

Praga locus nuptijs instituitur.

erat, venturum Regem in Bohemiam permisere. Sed posteaquam certus de adventu Bohemiam rumor pervasit, ingenti penè omnium lætitia animi erecti, magnaque in spe erant, fore eum toti Regno, & Christianæ Reipublicæ maximè gloriosum, & salutarem. Neque tamen interea aberant, quibus ista omnia suspecta erant, & ancipitia, ambitionique & lubidini Podiebratij salutem & dignitatem incauti, & creduli adolescentis malè permissam haud obscurè conjectabantur, præcipuè si nullo alio subsidio, nullo milite inermis, & unius fide adventaret. Ex quibus Ioannes Smircheus homo nobilis, facundus, & literarum sciens, ob easque artes inter proceres haud postremus, sed præcipua erga Regem fide, & constantia, super ea re his verbis ad Regem literas composuit. Qualis super his finis & propositum inferius.

Ioannes Smiricheus Ladislao Regi Salutem.

V*Enturum te quamprimum in Regnum tuum, probo, si modo imperaturus veneris, non pariturus. Inermem impotentemque intrare, non laudo, nisi bicipitem mater peperit, ut ex duobus capitibus unum Viennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorum dubiæ credas fidei. Vale.* Servitus fidelis constansque veritati consocia.

Non me latet, Æneam Sylvium tradere, scriptam hanc ab Smircheo Epistolam ante primam Ladislai in Bohemiam profectionem. Alij aliter sentiunt, & hoc tempore transmissam. Quidquid ejus est rei, Smiricheum Podiebratius, re intellecta, capitali supplicio affecit, primusque is actus tam atrocis, & flebilis tragediæ fuit. Cæterum pacatis Austriæ rebus, ingenti Rex apparatu in Bohemiam tetendit. Pragam III. Cal. Octob. ingrediente duo prognostica sibi quam per maximè infelicia, alterum ex syderum circuitu, alterū verò (& hoc tutioribus conjecturis fulcitū, ac proinde peius priore) ex procerum Hussitarum capitali odio. Primum affertur abs Roo, sic ajente. Nicolaus quidam, qui ex Astrorum positu futura divinare solitus erat, malè de Regis adventu ominatus, paucis terrori, plurimis risui, ac ludibrio fuit; nam ejusmodi prædictiones utique plerumque vanæ sunt, ita vix nisi post rei eventum aliquid fidei nanciscuntur. Secundum, quod præviderat Smircheus, narratur ab historicis, scribentibus, quod tunc statim obvius Regi sua cum factione (sacrilego presbiterorum comitatu addit Nauclerus) & pompa Ioannes ex Pragensi Ecclesiæ oppido Rochizana, obscuris parentibus natus, presbiter, & concionator, auditorque Iacobelli, &c. Vide Naucl. ad ann. 1433. His oratione Regis reditu congratulatus, faustum, & felicem præcatus est. At illi Rex egrè tantisper restitans, & nonnisi Podiebratij admonitu & auctoritate verbo gratias egit, hominem hæreticum, ac seditiosum torvis oculis & vultu detestatus. Vbi verò majoris

De tempore harum literarum controvertitur.

Capite plectitur Smiricheus à Podiebratio.

Roo lib. 6. fol. 219.

Guill ibidem ex Sylvio.

LadislausHæreticorum hostis.

ris Ecclesiæ presbiteri sacra ferentes occurrerunt. Hos jam verò, inquit, Dei ministros agnosco, veneror que, exemploque equo desiliens, sacram Crucem deosculatus est. Hæc Ladislai Pietas, ut Catholicis consolationi fuit, ita adversarios, & Rochizanæ vesaniæ addictos vehementer abalienavit. Suppressum tamen, & dissimulatum odium.

Legatio ad Regem Gallum sponsæ deducendæ.

Legatio ad Cæsarem Frider. pro discordia finienda.

Legatio ad Sum Pont. controversiæ de Religione tractandæ.

Inde legationes diversæ institutæ. Prima & potissima fuit in Galliam pompa, numero, spe, & lætitia. Septingenti equi fuere, principe legationis Vlrico Nusdorffio Episcopo Bataviensi, quem octoginta sui comitatus nivei omnes coloris equos habuisse proditum est. Adjuncti partim in equis, partim lecticis, curribus, quadrigis, auro, ebore, purpura conspicuis virgines, & matronæ quadrigentæ sponsæ honos, & comitatus. Altera ad Imperatorem Fridericum discordiam finitura, cujus caput Vlricus Eintzigerus, Regi paulo ante post Ciliensis cædem reconciliatus, & Friderico acceptus. Tertia fuit ad Calistum Pontificem, quæ controversias de Religione tractaret, & Bohemiam Romanæ Ecclesiæ universam restitueret, & conjungeret. Inter has tantas curas haud minima animosum juvenem exercebat comparandi primo quoque tempore ingentis exercitus, quo barbariem Turcicam domaret, & hostem superbissimum Europæ finibus quam longissimis depelleret. Missi quoque ad omnes penè Germaniæ Principes, qui ad nuptias invitarent. Promiseruntque venturos Imperator, & Augusta, pace arbitrio Ludovici Bavariæ Ducis confirmata, & abolita veterum offensionum memoria, Rex præterea Poloniæ, & Dux Saxoniæ cum regijs sororibus. Plerique Galliæ primores etiam spem fecerant non modo celabrandis præsentia sua regalibus nuptijs: sed instituendi etiam adversus Turcas belli. Nihil denique intermittebantur, quod ad summam celebritatem, lætitiam, & spleudorem desiderari posset.

Æn. Syl. ep. 343.

Ingentem nuptiarum apparatum in ingentem luctū mors repentina commutavit.

Cæterum hos tantos apparatus, has spes pulcherrimas, hunc rerum ordinem immatura mors, & repentina Regis interrupit. De ea quæ retulit Æneas Sylvius, & conscripta sibi ab his tradit, qui diligenter cum medicos, tum cubicularios regios audivere, ejusdem Sylvij verbis memorabo. Ladislaus igitur 10. Cal. Decembris feria 4. hora circiter 12. noctis ægrotare cæpit. Sederat in judicio Rex quod de nobilitate inter Prodiebratiū, & Cernhaoram Moravum magnis contentionibus agebatur, ita ut alter alterum ad duellum provocarit. Neque de more suo indutus prodierat, linea tantum indumenta susceperat, & desuper Persicum habitum, quem vocant Schubam. Neque toto auditorio ridere visus, tristem vultum notavere omnes. Id signum præsagientis egritudinis judicatum. Dimisso tribunali, cænavit inter purpuratos, composito, ac gravi sermone usus. Postmultam noctem in cubiculum ductus oblatas rapulas, quæ apud Bohæmos dulcissimæ sunt, avidè comedit, siceramque bibit, sermonesque haud quaquam tristes inter cubicularios miscuit. Priusquam lecto decuberet, orationem

Repentinus Regis morbus.

tionem de more ad superos habuit: qua finita, gravatum se dixit, & stomachum vehementer dolere. Cui unus ex cubicularijs natione Bohemus. Ascende, inquit, stratum, dolorem somnus excludet. Parvit Rex, quietique se tradidit. Cumque ad horam dormivisset, vocato iterum cubiculario, vim doloris, qui sensim cresceret, intolebrabilem esse ait. Ille de se judicium faciens, nihil somno melius affirmare, sic dolorem cessurum dicere. Iam noctis hora 13. fermè affluerat, Regi nulla quies dabatur. Ne tamen cubicularijs molestus esset, dolorem in diem tacitus pertulit.

Anno 1468. 10. Calend. Decem. hora circiter 12. noctis ægrotare cepit. Naucl. sed illud 1468. mendum est typogr.

Tum medici accersiti, quod suarum partium erat, desperata salute, fecerunt. Georgius & ipse vocatus, percunctari ex Rege, cur doleret, quid morbi esset? Spem bonam præbere, ne sibi ipsi deesset, hortari, peteret quæcunque vellet, omnia in arbitrio suo posita, mandaret parere cupientibus. Ad quem Rex. Tua mihi, Georgi, jam pridem cognita fides, spectataque virtus est. Per te Bohemus usque in hanc diem me Regem appellavit. Speravi me potiturum Regno, quod paraveras, nunc contra superi jubent. Mihi moriendum est: Regnum in tua manu erit. Duo ex te peto, alterum, uti provinciales justè regas, pupillis, viduis, imbecillisque rectum judicium, patrociniumque ne subtrahas: alterum ut qui me secuti sunt ex Austria, ceterisque Provincijs, in patriam suam inviolatos remittas. Hoc mihi supremum beneficium ne deneges. Præmaturas esse Regis cogitationes, Georgius respondet. Futurum brevi sospitem, ex suo arbitrio regnaturum. Desineret ea proloqui, quæ & sibi incommoda, & alijs forent molesta. Tum Rex, apprehensa manu, Aje, inquit, promitte quod cupio; nam me mori certum est. Si feceris, quæ jubeo, Deum tibi propitium reddam. Neque enim ita vixi, ut Cœlum mihi denegari putem: pro cœlestibus terrena relinquo: tu cave postulatis adversere. Non potuit tenere lacrimas Podiebratius, deditque fidem, facturum quod Rex imperasset. Finito sermone, intromissis Sacerdotibus, de curatione animæ actum, Christiano more Sacramenta exhibita. Rex ornamenta sua Ecclesiæ Pragensi legavit, jussitque crines, in auri modum fulgentes, ne qua superesset vanitas, amputari. Id ministri causas moræ nectentes neglexere. Vbi anima egra amplius demonari non potuit, sacram candelam petijt, eamque manu prehendit, & intuens Salvatoris imaginem crucifixi, *Orationem Dominicam* dicere orsus, ad finem usque produxit, pronunciatisque ultimis verbis, *Sed libera nos à malo*, nihil amplius locutus, non extrema pati, sed quietem arripere visus, mortalis vitæ lumen reliquit feria 4. die S. Clementis anno 1458. Gans habet 1447. annis undecim minus, cujus notabilis error impressoribus attribuendus. O imbecillem humanæ naturæ conditionem, ò inanem mortalium gloriam, ò cæcas hominum mentes? quid jactamur, quid extollimur? Quid est quod dignitates, opes, potentiam magnopere flagitamus? Perpetuò his frui cui datum? Ladislaus nobilissimus adolescens duodevigiinti natus annos in ipso ætatis flore, in ipso glo-

Salus Regis desperatur à Medicis.

Ladislaus sollicitus de regimine ipsum Podiebratio commendant moriturus.

Arduum dictum Ladisl.

De animæ curatione intentus Rex Ladislaus.

Transitus Ladislai verè pius.

Vanitas vitæ hujus.

riæ culmine, tot regnis, tot gentibus imperans, tot delicijs, atque opibus affluens, inter tot auxiliantium manus, intra sex & triginta horas postquam ægrotare cæpit extinctus est. *Tanto ergo instantius* (Ladislai casu id efficaciter admonente) *necesse est nos æterna quærere, quanto à nobis cognoscimus, temporalia fugisse.*

S. Greg lib. 3. Dialogi.

De causa adeo præproperæ Regis Ladislai Austriaci extinctionis, toti Xp̄næ Reupublicæ, ne dum stirpi Austriacæ cui hæbdomada præterita Imperator defecit, quam maximè præjudicialis.

CAusam mortis Ladislai bifariè in præsentibus usurpari posse (ut altera scilicet remotior sit, altera verò proximior) ex historica Sylviana, qua ferè scriptores omnes usi sunt, liquidò patet. Remotior occasio, sive causa fuit, qua Regis propositum celebrandi nuptias apud Bohemos deliberaverat. Verum ingenua & Catholica ejus mens neque super rem hanc tantummodo postremam ultimamque præfixerat intentionem : Altior, ac generosior finis, nimirum orthodoxa fides pro Hussitarum exterminatione ad illam accessoriam deliberationem virilem adolescentis animum, fortitudine, ac magnanimitate Christiana affectum, potentissimè movit. Propterea quod ubi multa cū probabilitate varijs vijs certior factus (& maximè literis Ioannis Smirichei commemorati) Rex non ignarus conjectavit, magna pericla, ac discrimina etiam vitæ propriæ se subiturū, haudquaquā tamen territus est, ne conceptā voluntatem pro communi bono Ecclesiæ Bohemæ, & Romanæ, unde optimū regimen veræ Politicæ, executioni mandaret. Quæ veritas pendet manifestè ex disquisitione causæ proximioris obitus Regis, cujus enarratio ex Sylvio apud Nauclerum, Roo, Guillimannum, & plures alios isthoc modo peribetur. Mortem Ladislai alij morbo, & cruditati, alij veneno imputavere. Sunt qui ulcere pestifero ad inquen percussum affirmavere: plerique nullum pestilentiæ signum apparuisse. Medici Theutones, quorum potissima corporis cura fuit, in Austriam reversi palam dixere, quamprimum ægrotare Rex cæpisset, se vocatos, manifesta mortis, ac veneni signa comprehendisse; neque ausos in aliena terra manifestare, quæ viderant, timuisse potentiam eorum, quorum scelere Rex perijsset: Regi clam aperuisse omnia, respondisse illum non ignorare toxicum datum; silentium imperasse, ne regiæ morti suam adijcerent. Senatus Viennensis ubi vulgari eam famam animadvertit, medicorum sermonem prohibuit, ne Bohemorum adversus se ferociam provocarent. Qui violentam mortem dicunt, Podiebratium, & Rochezanam criminantur: Podiebratium jam tum fuisse Regi infensum, cum ad Danu-

Vide Naucl. Roo. Guill. & alios locis citatis.

Ladislaus perijt odio, & dolo Hussitarum.

Danubium usque profectus, Viennam noluit ingredi, non sine causa suspectum ei Regem fuisse. Crevit magis in eo & in tanti sceleris comite sacrilega impietas ubi deinde crebri ex Gallis nuncijs Pragæ adfuere, Legatos honestè à Rege exceptos, magna liberalitate tractari, magnam Principum, ac nobilium frequentiam convenisse, qui plerique omnes animo destinassent, Reginam sponsam in Bohemiam usque comitari, ac nuptiarum celebritati interesse. Hac etenim fama perturbatum gubernatorem ferunt, eam hominum multitudinem Regno & oneri & sumptui futuram. Rochezanum verò magis etiam timuisse, ne adventu tot Principum suæ factionis vires infringerentur. Jam enim de fœdere contra Turcos feriundo rumor currebat, cui de extirpandis hæresibus aliquid ferè adjungi sollemne tunc erat. Ladislaus verò lubenti animo hæc audiens, bonæque spei plenus, omnia magno studio parari jussit, quæ ad excipiendam sponsam, ejusque Comitatum requirebantur. Mittuntur Legati qui Imperatorem, qui Regem Poloniæ Casimirum, qui Bavariæ, Saxoniæ, Brandeburgi, Rhenique, ac aliarum Provinciarum Principes ad nuptias convocet. Hæc apud Roo. Roo lib. 6. fol. 230.

Conscias mali mentes metum implere, queis integer est animus, his omnia tuta videri: ab eo tempore Regiæ vitæ paratas insidias. Rochezenam nunquam Regi placuisse, idque palam factum, cum sacra ferentem contempsit. Nec me latet fama, vulgatum esse, idcirco Regem Pragam nuptiarum celebrationem decrevisse, ut concurrentibus eò Catholicis Principibus, potenti manu Hæreticos comprehenderet, finemque tandem Hussitarum insaniæ daret. Id præsensisse Rochezanam, & Podiebratium, necemque Regni pro sua salute machinatos. Hactenus fermè Sylvius, inquit Guillimannus, cui iterum addendum, ut ipsemet supra advertit (& ex relatu aliorum inter epistolas Sylvanas) ne mens lectoris deturbetur. Nam Æneas Sylvius fuit creatus Pontifex anno eodem, quo interijt Ladislaus, & 14. Cal. Septembris antequam Rex obijsset. Hæcque, subdit auctor, de veneno sanè sententia tenuit, vulgata etiam per Germaniam vernacula cantilena. Superest & versiculus Latinus, eodem tempore sparsus & notatus, qui diem exitij quoque IX. Cal. Decembris continet, estque hujusmodi. *Clementis festo cecidisti,* LASLE, *veneno.* Onuphrius & alij.

Postremò inter sæpius memoratas Sylvij epistolas una haud obscurè innuit. Ejus hoc est exemplum. *Calamitatem illam lugubrem, deplorandamque Regis Ladislai mortem aliorum officio tuæ Dignationi innotuisse autumo. Ob quam rem pro tua erga ipsum devotione jam plenè inveterata incredibili te dolore affectum esse certum scio. Nunc autem ut è Praga, ad quam in fausto totius orbis auspicio cum regia Celsitudine concessi, Viennam remigrassem, putavi mihi ad te de hac re aliquid scribendum esse. Conantem tamen* Epist. 338. Relatio de obitu Ladislai, & de ejus causa.

id facere, ſuſpiria, lacrimæ, & ſingultus ita impediunt, ut mihi ex ea morte conceptus dolor non modo revocari, ſed augeri videatur. Quid autem potiſſimum in hac publica clade explicem neſcio. Magna eſt varietas ſermonum, quo genere mortis obierit. Ego vero etſi ſcio nemini prorſus me cedere oportere habitudine notitia hujuſce rei, qui quam creberrimè apud Regem etiam egrotantem ſum verſatus; tamen ſilendum potius eſſe duco hoc tempore, quam loquendum, cum ſciam rem illam indies magis clareſcere. An adoleſcentem Regem robuſtiſſimum, nullum prorſus vel doloris indicium ſentientem, cum quo die Lunæ prætereunte mortem uſque ad noctis horam tertiam ſumma, poſtrema, & facili lætitia fui, triginta ſeptem horarum intervallo, aliquod genus mortis naturalis proſternere potuiſſet; ante quem vel minimus quiſque ex ejus familia, neque poſt eum ullus, etiam eorum, qui ægrotanti quotidie aſtetimus, aut aliorum quiſpiam minimæ ſortis hoc genere mortis interijt. Sed reprimam ego me, ne dolori nimium indulgere videar.

Ex quo manifeſtum tum quoque magis pro certa fraudem habitam quam ob eorum, qui fecerant, potentiam fuiſſe vulgo affirmatam. Illud conſtat, addit Æneas, præter Rochezanam, cui regiam mortem nemo non accettiſſimam judicavit, & Georgium, reliquos Regni proceres, extincto Rege, in magno mærore fuiſſe, & publicum toto regno luctum qui ad 7. Cal. Decemb. continuatus eſt. Tum regia pompa peractis exequijs, defuncti corpus in ſinu proavi ſui divi Caroli IV. Romanorum Imperatoris ſepultum. Circumvectio per urbem more majorum neglecta conſilio, & fraude, ut plerique credidere, ejuſdem Rochezanæ, qui populum veritus, ne viſo funere, & voto, deſiderioque in furorem verſo, veluti veneficum, & parricidam ad ſupplicium raperet, Prodiebratium impulerit quam maturrim è ſopiendæ Regis memoriæ. Longè diverſam ab hac opinionem refert Philippus Commineus eorum vicinus temporum. Aitque ab nobili Bohema, qua per lubidinem utebatur, in balneo toxicatum, cum in pomum, quod porrigebat, ipſa è manubrio cultri venenum infudiſſet, quia promiſſa & fidem advocatâ in nuptias & matrimonium regiâ puellâ fefellerat. Felix Fabri, qui eo quoque tempore vivebat, in vita Ludovici XI. c. 134 dicit, veneno extinctum perfidiâ Hæreticorum, & dolo per Vxorem Georgij, qui ſucceſſit. Ita de vi omnibus conſtitit modum, auctores in incertum abiere. Mortuus eſt In antiqua Civitate Pragenſi domo regia, non in arce, exceptuſque ejus mortis nuncius ingenti omnium Principum, & penè populorum Chriſtianorum orbis mærore, & planctu. Speraverant ex ipſius & Gallorum Regis conjunctione eas vires coalituras, quibus Turcarum impetus à noſtris finibus ſubmoveri poſſet. In Gallia certè non minor quam

Regni luctus, & mæror. Exequiæ. Sepultura.

Phil. Com. ſententia longè diverſa.

Opinio Felicis Fabri.

Locus mortis. Orbis Chriſtiani angor.

in

in Bohemia luctus fuit. Hungari quo minus ereptum sibi Regem dolerent, in causa erat Ladislai Huniadis mors, vulgi animis etiamnum obversans, præter illos, qui Corvinis inimici fuerant, nam ij luctum agitabant. Austriaci verò mesti novos tumultus, bella intestina, agrorum devastationes, rapinas, latrocinia aliaque incommoda sibi patriæque ominabantur, angebatque ipsorum animos, quod ad Fridericum se se iterum devolutos cernerent, quem hostem pauló ante sibi, ac meritò infensum reddiderant. Igitur & Regis fatum & semetipsos miserabantur, omnemque culpam in eos conferebant, quorum impulsu Rex Pragam, eumque locum nuptijs destinasse credebatur. Itaque cum per eosdem dies Eitzingerus â Cæsare Viennam redijsset, multorum convicijs impetitus est, quod Regem Pragam deduxisset, Bohemis uti agnum mactandum objecisset. Has populi voces magistratus inhibuit, non tam in gratiam Eitzingeri, quam ne Bohemi irritarentur, quos pacatos sibi vicinos quam infensos esse malebant. Ladislao vita functo, tres omnino hæredes supererant pari ipsum agnationis jure cõtingentes; Fridericus Imperator, Albertus VI. ejus frater, ac Sigismundus Tyrolensium Princeps utriusque patruelis, quibus idem qui Alberto Ladislai patri proavus fuerat, Albertus sapiens, quem & contractum vocant. Gans item, hoc modo, Pragæ, ait, sepultus (scilicet Ladislaus succedente Elisa ex constituto Patris in Bohemia & Hungaria, Austria verò ad Fridericum III. vel qnartum Maximiliani I. patrem devoluta, &c. Sunt qui hunc titulum usurpasse prodiderunt. *Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Serviæ, Galbitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, Dux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Lucemburgiæ, Marchio Moraviæ, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, ac Portus Naonis, Comesque Habsburg, Tyrolis, & Ferretis, Kiburgi, Tissini, ac Landgravius Elsatiæ.* Vide Guill. ad finem cap. I. illius libri 18. citati.

Itaque cum opinio de intoxicato Rege Ladislao optimis conjecturis fundata sit, ac propterea â majori parte historicorum, & toto vulgo accepta; cumque Rex ea intentione, spreta magnanimiter de evidenti vitæ propriæ pericolo probabilitate, Pragam pro nuptijs celebrandis selegerit, ut hæreseos Bohemorum extirparet, nulli dubium esse potest, eum pro religione occubisse, atque in odium Religionis ab adversarijs veneno necatum. Verum igitur sæpenumerò illud est, *Decus cordis transit in decus oris.* In Ladislao nobilissimo adolescente utrumque, internũ scilicet ut exuberans scaturigo, externumque ceu effectus abs ingenua causa generatus. Sive enim natalium splendorem aliaque fortonæ dona, sive formæ decus, moresque, ac virtutes, cæterasque tam animi quam corporis dotes, sive ætatem rebus gerendis integram consideremus: omnia hæc in illo abundè fuere, quem tamen non diutius superesse placuit illi, cui quidquid placet, nonnisi justa de causa placet. Sed ne longior sim, formam corporis ejus & hæc ipsa latius descripta, qui volet, ex Bonfinio, ac alijs patet, &c. Hæc ex Roo. S. Gaud. pro S. Stephano. Roo ibidem.

Istud

S. Thom. 22. q. 124. ar. 3.

Istud mortis genus num aliquam martyrij speciem præseferat, aliorũ judicio submitto. Mihi sufficit scire pro comperto ex Angelica D. Thomæ doctrina, ipsummet Martyrium in se nudè consideratum haud virtutem extare, quæ salvatorum animarum merito æquiparari possit; facinus siquidem hoc est actus Charitatis, virtutum Reginæ; Martyrium verò ex genere suo in fortitudinem resolvitur. Christiana hæc Charitas salvandi Bohemorum animas, quamplurimis hæresibus Hussitarum perditas, adeo viguit in adolescentis Ladislai pectore, adeo pauco tempore sobolevit, ut pro ea vitam propriam contempserit. Non pavit Rex discrimina, Podebratij, & Rochezanæ, è quorum nutibus tam in rebus politicis, quam Religionis omne regnum ferè pendebat, machinamenta minimè formidavit. Vicit semetipsum pro Catholicæ, ac Romanæ fidei, sanctæque Apostolicæ Sedis Zelo, exposuit periclis vitam, quam dolo, & fraude Hussitarum perdens, summum meritum summa mercede promeritum nactus est, ajente eodem D. Thoma. *Ipsa difficultas*, quæ *Principibus imminet ad benè agendum, eos facit majori præmio dignos.* Felix ergo obitus Ladislai, *idcirco veraciter Regis quia*, aliquo modo, *& Martyris.* De martyrio ergo Ladislai Regis etsi recens admodum disceptatio, compertum tamen apud omnes, eum sanctissimè obijsse, licet de tempore ejus mortis notet Spondanus, nonnullos eam haud in annũ 1457. sed potius deinde referentes, falli eos certissimũ esse. At paulò superius hæc ad nostrum propositum affert. Obdormivit in Domino (*Rex Ladislaus*) ingenti suorum, ac Catholicorum omnium mœrore. In quo suarum miseriarum unicum solamen & Hungari, & Bohemi, & Australes, & Silesitæ, & Moravi ejus subditi posuerant: nec Christianus erat, qui fidelium Reipublicæ non multa, & magna de tanto Rege promitteret. Ait auctor Bohemiæ Piæ se vidisse (edidit autem commentarium suum anno 1607.) corpus Ladislai integrum, & ex omni parte incorruptum, etiam quo ad sacra, quibus indutus erat, caligas item & calceos, atque ungues excrevisse; fuisseque corpus flexibile per singula membra. Hæc Spondanus. Quod miraculum, si verum est, ut scribitur, proculdubio evidens contestatio ex eo alligi potest, quod scilicet Regis Ladislai obitum non solum ad ejus vitæ integritatem, verum etiam & ad animi Christianam fortitudinem quæ Hæreticorum dolos, ipsi necem parantes, minimè expavit, valdè correspondit. Quæ autem, ait idem auctor, de Ladislai Pragam adventu, & obitu dicta sunt, tractant uberius Æneas Bohem. 69. 70. 71. qui olim ad eum scripserat tractatum de Puerorum institutione, & præceptis Grammaticæ, qui extat: Bonfinius, Cochlæus lib. ij. Dubracajus lib. 29. & siqui alij, &c. Subscribo ipse Spondano de obitu Ladislai ann 1457. Sic enim illa adnotatio mea super scripta Sylvij de eodem obitu reijcienda cum antecedenti sententia, post cujus impressionem Spondanum legi. Etenim creatio in Summum Pontificem Æneæ anno sequenti 10. Calend. Augusti contigit.

Lib. 1. de regim. Princip. cap. 12. S. Greg. lib. 3. cap. 31. Dial. ubi de S. Rege Hermenegildo.

Spond. ad ann. 1457.

Æneas de morio. & cond. Germ.

To. Rer. Bohem. lib. 2.

Duo

Duo certè vulnera peracerba accepit Domus Austria intra menses quatuor, desideratis Friderico seniore, & Alberto II. Cæsare. Sed illius mors tolerabilis videri poterat, quando haud procul septuagesimo anno ætatem provexerat, & hæredem ex se marem relinquebat. Hujus casus gravis & flebilis, quod ipso flore juventæ in tanta trium nobilissimorum Regnorum fortuna, & omnium mortalium spe, beatos se & felices ejus imperio augurantium, nulla prole mascula incerto conjugis utero humanis ereptus singulorum vota fefellerat. Secuta fœda dissidia, contentiones, cruenta bella, quæ magis ejus desiderium accenderunt. Hungariæ, ubi supremum diem adesse sensit, præfecerat Albertus Ioannem Corvinum, Huniadem ex natali loco cognominatum, bellica virtute cognitum, & probatum: partem, quæ Vindos continet, & Dalamtis Vlrico Comiti Cilicensi tradiderat. Austriam Friderico Juniori, qui in Imperio successit, commendarat, & unà conjugis uterum, &c. Ast per immaturum celeremque Ladislai illiberi interitum tertium vulnus accepit, non solum stirpi suæ acerbius, verum etiam Christiano Orbi nimis ferum, nimioque dolore exuberans. Hodie (heu dolor) possumus & quartum vulnus addere in Ferdinandi III. Pijssimæ memoriæ Imperatoris, obitu, vix Paschate hujus anni 1657. die prima Aprilis celebrato, altera sollemnitate, Resurrectioni Christi, & D. Francisco de Paulo, quam maximè à Cæsare dilecto consecrata, & dum ipse necem Ladislai conscriberem, contingente. Præsentium temporum tam iniquæ circumstantiæ, sublato Austrio capite ab Imperio, nonnisi innumeras & omnes pessimas consecutiones auspicantur. Iam intestinis bellis tota hinc inde Europa percucitur, ac dilaceratur. Turcus potentissimus ingentibus armatorum manibus, varijs ex partibus effero marte impingens in Venetos, totum Mundũ orthodoxum, Imperiumque territare, invadereq; non desinit. Anglicanus Tyrannus, vilibus, tanquam alter Tamberlanus ortus natalibus, ex parente scilicet cervisiæ venditore, licet militari disciplia haud ignarus, trium regnorum vi, Regi Sueco, Polonicum robur, ac cum eo Germani Sceptri, Italiæ, & Ecclesiæ antemurale eneruanti, alijsque colligatus, maximè Hæreseos, sive publicè, sive tacitè vel profitentibus, vel faventibus, ad totius Catholichismi eradicationem inhiat. Totusque Acatholichismus, cujus vires indies monstrosæ & insuperabiles, licet dogmatibus mortali odio divisus, indivisibiliter tamen conabitur, ut electio Imperatoris in eum tendat, cujus erga se protectio, ad papistas, eorumque Principem, columnasque funditus eruendas, valida sit, ac persistens. Duo valdè sunt pertimescenda in isthac, à Deo, jure merito nostra crimina ulciscente, immissa calamitate. Vnum, nè Regis Romanorum creatio diu differatur; nam mora in presentibus posset facillimè, cum militiam tantam, & tam necessariam, à defuncto Cæsare pro bono Reipublicæ constitutam, & relictam, aut valdè diminuere, aut in factiones, seditiosis quamplurimis mirabili stratagemmate, & arte id validissimè procurantibus, dividere; tum

De obitu Ferdinandi III. Imper.

Scriptura quædam alibi citanda, affert contrarium.

etiam interregnum nonnullum, quod omnium malorum seminarium semper extitit, parere. Alterum ne Imperij regimen alijs stirpibus transferatur, derelicta Austriaca: sine qua omnium Germanorum Principum ditiones, etiam Acatholicorum, quietas esse non posse, praxis ipsa immemorabilis ostendit. Manente Austriaca domo sine Romanorum Imperio, ubi erit Italia, ubi Ecclesia, ubi Roma, ubi divinus Pastor, & ubi Ecclesiastica pascua, utrique Gregi, sive temporali, sive spirituali politica gubernato, pastoque tam necessaria? Vbi demum erunt tot commoditates, divitiæ, redditus, quibus hodie Papalis Monarchia tam ingenti splendore, atque apparatu eminet, & nonnisi Principum Christianorum pietate ditata, & aucta? In postremis vitæ periodis Ferdinandi III. extremarum rerum variabilitas maxima, Deo ita ordinante, ut ejus pia anima in ignem, & aquam probaretur, perpendenda. Ingenti hilaritate & gloria in throno regali Romano Ferdinandum IV. filium evectum inspexit. Ingenti quoque merore, & luctu, anno vix transacto, ab illo p intempestivam morte dejectum, & in tumulum clausum ipsummet amarè fleuit. Item postremò ubi paucis elapsis diebus masculam prolem cum maximo sui pectoris, totiusque Aulæ (quinimò & Catholicorum omnium, & eorum maximè, qui experimento cognoscunt, quantum Austria sobolescens Christianæ Reipublicæ importet) exultatione jam procreaverat; paucæ deinceps ejus valetudini in tam rationabile gaudium crudeliter fatū irrumpere haud satis fuit; usq; dum in Cæsaris vitam prævaleret, & ipsius nece (Christianissima ejus anima carne soluta, & in sinum Abrahæ, ut piè credendum, elocata) immensam tristitiam omnem Christianitatem afficeret. Pridie quam illo suæ requiei felicissimo mane, licet tranquilitati Xpnæ infaustissimo, Spiritum creatori suo redderet Ferdinandus, ignis in domum Legati Regis Catholici fatali prognostico accensus est. Quando verò obijt Cæsar, senior inter alias nonnullas & ipsa quoque Aquila extincta est. De hoc eventu inferius in I. Maximiliani I. matrimonio. Hactenus in præsentibus de obitu Ferdinandi III. Imp. quia de ejus rebus gestis alibi.

Ladislai Progenitores Materni.

Sigismundi res gestæ.

SIgismundus filius Caroli IV. Imp. Marchio Brandeburgensis, & Moraviæ, sponsus Mariæ fil. Ludovici Regis Vngariæ, cum qua Rex Vngarorum XXXI. factus est, coronatus Strigonij, vel in Alba Regali à Strigoniensi Archiepiscopo in æde S. Stephani die Pentecostes 1386. ætatis suæ 21. Croatiam, Dalmatiam, & Bosnam suæ potestati subjecit 1389. Moldaviam recepit 1390. Contra Walachos, qui Turcos in belli societatem evocaverant, & à Regis fide defecerant, pugnans, victoriam obtinet, cæsa magna Turcorum, & Walachorum manu 1392. Domum reversus, Vxorem Mariam mortuam invenit, volenteque Waldislao Iagellone Regè Poloniæ

Poloniæ Regnum Vngaricum prætextu Vxoris occupare, lis inter eos ab Helvvige conjuge Waldislai Cracoviæ composita est. De Horuatho Dano Croatiæ parricida, & alijs 32. conscijs supplicium sumpsit. Cum Bajazete Turcorum tyranno infeliciter Gallorum culpa ad Nicopolim in profesto S. Michaelis pugnat: quamquam enim de Turcis interfecta sint 60000. de Christianis desiderata tantum 20000. tamen victoria fuit penes Bajazetem An. C. 1395. post hunc conflictum parva cymba per Danubium traijciens, fuga elapsus, & inde reformidato Vngarorum impetu ob rem malè gestam in Thraciam Constantinopolim fugit. Hinc Rhodon navigat, & emenso Ægeo, Ionioque pelago, in Dalmatiam, quæ lustrata, in Croatiam venit. Illo itaque absente, Ladislaus Caroli Pacis filius à proceribus Vngaricis in regnum vocatur anno 1400. Et Sigismundus regnum repetens, à magna procerum multitudine die S. Vitalis capitur, & in Sokles oppidum captivus abducitur, ac Nicolai Garæ olim Palatini filijs custodiendus traditur 1401. Liberatus per ejusdem Garæ conjugem ex carcere, in Moraviam, indeque in Bohemiam redit; ubi collecto exercitu, amissa recuperat 1402. cum jam Stephanum Vajuodam Ladislai ultimo supplicio affecisset. Cum Bajazetis filio, Turcisque iterum confligens, victus, & fugatus est 1409. In Imperatorem Romanorum eligitur 1411. Concilium Constantiense celebravit 1415. in quo Ioannes Hus, Hironymus Pragensis usti sunt 1416. Cum Hussitis infeliciter bellum gessit, seditiosos rusticos in Vngaria compescuit, sumptis pœnis de authoribus, ac multitudine agresti. Bohemiæ bellum inferens, ac dedita urbe Pragensi, coronam Regni post obitum fratris Wenceslai à Conrado Westphalo Archiepiscopo Pragensi accepit 1420. Cum Blaskonem Bohemum, humili genere natum, qui coacto facinorosorum exercitu, Tirnaviam intraverat, viribusque militum suorum fretus, cæsa haud parva civium multitudine, urbem in potestatem suam redegerat, regno ejecisset. Concilium Basiliense celebravit 1432. Tredecim oppida Comitatus Scepusiensis pignoris titulo proceribus Regni Polonici inscripsit. Mortuus est in urbe Moraviæ Znoyma Olomucensis diœcesis die 8. Decemb. 1437. Regni Vngarici 51. Romani 27. Bohemici 17 Imperij Rom. 5. ætatis 71. Cadaver regio apparatu Varadinum h. e. in Albam regalem transportatum est, & in Basilica S. Ladislai sepultum. Sambucus de ipso sic cecinit.

Ioann. Hus & Hieron. Prag. cremati.

Mors Sigism.

Sepultura.

Marchio Brandeburgus adest, socrusque perempta
Poenas, & captæ conjugis ipse petit.
Moldavos ursit, Vlacosque & Turcica regna.
Sollicitat, sceptri mox repetitque decus.
Hussitas delens, Romæ diadema recepit
Imperij, lucem deserit ille senex.

Altera ejus Conjux (I. fuit Maria filia Ludovici I. Regis Vngariæ, cum qua Regnum accepit, mortua 1392. alij 1395. 16. Cal. Junij) Barbara, genita ab Hermanno Ciliæ Comite, mulierque profuſiſſimæ libidinis, & inverecundæ procacitatis, adeo ut ſæpius peteret viros, quam ab ipſis peteretur, mortua peſte Grætij Cal. Maij 1439. ſepulta Pragæ. Peperit hæc Cæſari Sigiſmundo Eliſabetham, regnorum paternorum Vngariæ, & Bohemiæ hæredem, nuptam Alberto II. Imperatori Auſtriaco.

Vxores, liberi.

Sponſæ Ladislai Progenitores paterni, ac materni.

IOannes Rex Franciæ Valeſius. Vxor Gutha (alias Bona) Regis Bohemiæ Ioannis filia, Caroli IV. Imp. ſoror.

Carolus V. Rex Franciæ. Vxor Ioanna Borbonia, filia Petri I. Ducis Borbonij, & Iſabellæ Caroli Valeſij genitæ.

Carolus VI. Rex Franciæ. Vxor Iſabella Bavara, quam Stephanus Dux Bavariæ (filius Stephani Ducis Bavariæ ex Eliſa, Regis Siciliæ Friderici filia, mariluſque Thadeæ Mediolanenſis, Barnabæ Vicecomitis Mediol. & Beatricis ſcaligeræ Veronen. filiæ) in lucem ediderat.

Carolus VII. Rex Franciæ. Vxor Maria Franca Andegavenſis Sicula. Hujus parentes Ludovicus Andegavenſis, & Iolanda Aragoniæ Regina. Genitor Ludovici Ludovicus Andegavenſis Rex Neapolitanus, Ioannis Regis Franciæ, & Guthæ Reginæ Bohemiæ, genitæque Ioannis Regis, filius; Mariæque Bleſenſis Conjux, quam Carolus Caſtillioneus Comes Bleſenſis cum Ioanna Britannica, Guidonis Britannici Comitis Ponticure filia pepererat. Genitor verò Iolandiæ Ioannes I. Aragoniæ Rex (filius Petri Regis Aragoniæ ex Leonora Petri Aragoniæ, & Siciliæ Regis filia) mariluſque Violantæ, vel Iolandæ Barrenſis, Roberti Ducis Barrenſis, & Mariæ Ioannis Franciæ Regis filiæ, genitæ.

Magdalena Franca, ſponſa non ducta Ladislai, Alberti Cæſaris filij. De qua Magdalena ait Manlius, poſt cujus exitium (ſcilicet Ladislai) Marchioni Bernardo Badenſi feliciter deſponſata fuit.

In Ladislao fol. 52.

MATRI-

MATRIMONIUM XVII.

Sigismundi commemorati cum 2. Vxore Catharina Saxonica 1484. sub anno I. Summi Pontificis Innocentij VIII. & Friderici IV Imperatoris 43.

ALtera Sigismundi Austriæ Archiducis conjugem Dux Saxoniæ Albertus genuerat. Dos erat viginti millia florenorum, sponso in recompensationem dante in donationem propter nuptias decem mille florenos. Tandem addidit plura & auxit summam, ut conficeret nonaginta millia florenorum. Decem mille florenis cavit per Salinam Hallensem, unde annuatim censum hujus summæ capere posset. Pro octo mille florenis, unde se, ac familiam aleret, pignori obligavit 1484. quo nuptiæ erant celebratæ, arcem, ac ditionem Taur, Omras, Vmbst, Caltram, Sigmundtpurg, Halæ Salinas. Præfectus eorum locorum jussit Vxori jurare, sibi tamen reservavit juramentum hæreditarium, onera expeditionum, ac tributorum, aperturas, appellationes, ac capitalem jurisdictionem. Hisce pactis assensum præbuere Fridericus Cæsar, & filius Maximilianus. Catharina à morte Sigismundi secundis nuptijs copulata fuit Erico Duci Brunsuigæ 1497. cujus opera militari diu Maximilianus I. usus erat. Qui ab Vxore accepit nonaginta millia florenorum, quos prior maritus ei legaverat, qui ab ea nullam sobolem (id etiam testatur Manlius fol. 57.) suscepit. Hæc ex Guill. in Sigismundo ubi de altera ejus conjuge. Forte in duplici errore est Gans, dum ait, cumque è Catharina Saxonis, & Eleonora Scotiæ Regis filiabus unicum sustulisset filium (*Sigismundus*) Tridenti juvenili ætate sepultum, Maximilianum I. adoptavit, eique omnes Provincias tradidit, certa pensione reservata. Nam primo Vxor I. Sigismundi Eleonora Scota fuit, secunda verò Catharina. Deinde filius, quem genuit ex priori, ut cum Roo superius tradidimus, infans obijt.

Donatio propter nuptias.

Loco cit cap. 4. in Leopoldo Probo.

Plurimæ & Heroicæ virtutes in Sigismundo fuere, ut alibi suo proprio loco liquebit. Vnde in præsentibus sufficiet simplex brevisque enarratio de titulo Archiducis, quantum ad ejus postremam institutionem solummodo, quia quantum ad ejus essentiam & antiquitatem, nec non & privilegia tam historice, & juxta Imperialia diplomata, quam etiam apologeticè adversus Hippolytum â Lapide in V. Gentilitio. De obitu Sigismundi item in præsentibus, de progenie tam paterna, quam materna Vxoris Catharinæ, & postremò de ejus prolibus naturalibus. Si de primo loquamur, pauca

pauca ex Guillimanno in illo lib. 21. deprompsimus, suntque isthæc. Varios scriptores sæpè admiratio subijt, ac anxia indagationis cura perplexos tenuit, unde, ac quando Austriacis Archiducum titulus, & dignitas obvenerit. Dubitationem hanc sustulit Fridericus Cæsar, qui amplissimo diplomate id cognomentum honoris usurpandi Sigismundo potestatem fecit anno 1475. hac tamen cautione, ne titulus hic suæ Majestati, hæredibus, ac dominijs, eorumque juribus, & privilegijs quippiam præjudicet, ac deroget. Id ne fieret sollemni ritu Sigismundus stipulatus est, ac de more literis stipulationem firmantibus, Cæsari datis cavit. Alij Austriaci Principes antiquis privilegijs, quæ in primo libro memoravi, concessis à Cæsaribus Suevicis, nixi, nonnunquam, sed rarò, eodem insigni honoris in instrumentis uti solebant. Ne novum, ac insolitum honoris titulum sibi arrogare videretur Sigismundus, magis reor antiqui juris à Cæsare confirmationem, quam novi collationem petijsse. Complures Historici de Archiduce primo & hoc nomine varias fabulas literis mandarunt, quas referre pudet. Nostram sententiam cum fide Austriacorum monumentorum nitatur, certam esse nemo abdubitet, &c. Hinc pauca quæ ipse adnotavi Gent. I. in Alberto I. Imperat. sub excur. XI. quæque forte solidiori probatione indiget, vel probatioribus monumentis parum coherent, retractanda fore adjudico, prout nunc ego in hoc loco retracto.

De Archiducis titulo.

Cæterum, loquendo de interitu Sigismundi, in hac Oeniponti Civitate fermè vitam exegit, ibique varijs morbis acerbè conflictatus, tandem defunctus est 1496. quarto Martij, Guillimannus ibidem. Roo concordat de anno & mense, discrepat tamen de die, inquit enim, Oeniponti in palatio suo diem obijt Sigismundus Archidux, Friderici senioris Austriaci filius, pridie novas Martij. Gans habet. Mortuus 1497. Vtramque supputationem recitat, & amplectitur problematicè Kilianus, sed illa Guillimanni verior juxta monumenta Stambsiana, allata superius, ubi actum de Duce Friderico IV. Transitus ejus verè Christianus, & pius, obijt enim susceptis omnibus Sacramentis, Orthodoxo ritu moribundo ministrari solitis. Quod dum calumniantur Hæretici, quasi de fide nostra malè sensisset Sigismundus, magis ac magis Catholicam ejus constantemque credulitatem Ecclesiæ Romanæ confirmant, & commendant. Multa benignè fecit in monasteria, aliaque loca pia: Sacra statutis diebus, & anniversaria obeunda fundavit in varijs Cœnobijs per Teriolim, Helvetiam, Bavariam, Sueviam, & Brisgoviam. Aliquot egregia donaria destinavit in Eremum B. Virginis vulgò Einsidlen, Ordini Teutonico duas arces in Terioli cessit, Reinfenbergam, & Welffenstein, ob quod donum Commendator ibi Benefactori se, ac successores ad annuum sacrum piaculare obligavit. Cadaver in Parochiam S. Iacobi translatum, hinc in monasterio Stambs tumulatum, visceribus Oeniponti reservatis. Symbolum Eques Catafractus, plumis in capite ornatus, & hastam vexillo insignitam tenens, incitatoque cursu procedens. Inscriptio, *Laudanda est voluntas.*

Lib. ij. ad ann. 1496. de obitu Sigism.

In propria Eicone Sigism.

Proge-

Progenitores paterni, ac materni secundæ Vxoris Catharinæ.

FRidericus Marchio Misniæ, & Landtsbergæ. Vxor Catharina, Comitissa Hennenbergæ, Henrici filia.

Fridericus I. Elector Saxoniæ primus suæ familiæ. Vxor Catharina Brunsuicensis filia Henrici Ducis Brunsuicensis, & Sophiæ Ducissæ Pomeraniæ.

Fridericus II. Elector Saxoniæ. Vxor Margarita Austriaca, cui Pater Ernestus Archidux Austriæ, Leopoldi Ducis Austriæ, Viridæque Mediolanensis Ducissæ filius. Mater Cimburga Massovia, Semoviti Mossoviæ Ducis, & Alexandræ Ducissæ Lithuaniæ genita.

Albertus Dux Saxoniæ; ex quo orta Catharina Saxonica, Vxor Archiducis Sigismundi, per Redenam, rectius Sidoniam, cujus parentes Georgius Rex Bohemiæ, Comes à Custat, filius Victori Comitis à Cunstat, (huic Vxor Anna, Baronissa à Wartenberg, filiaque Ioannis de Wartenberg, & Annæ de Wilharditz Dominæ) Nepos Gothardi Domini Cunstadij, & Podiebradæ, Annæ Dominæ de Leipe elocati, ac demum maritus Cunigundæ de Sternberg. Genuerunt hanc Cunigundam Schundomaz de Sternberg, Vladislai Baronis de Sternberg, & Margaritæ filius, & Anna, vel Barbara de Bardeuitz, filia N. Baronis de Bardeuitz, cujus Conjux Anna, Domina de Wartenberg.

Liberi Naturales

SIgismundi erant perplures. Ex filijs, Clemens à Greiffenstein, Sigismundus liber, cognomine Dux. Ioannes Verrenstein. Ludovicus. Filiæ, Vrsula Vxor Dietrichi à Metri. Elisabetha, Conjux Rudolphi à Griessen. Margarita, nupta Christiano Clamerer, Delphis degenti. Christina, Cecilia; Margarita; Thomæ Pernstetteri Vxor; Margarita elocata Petro Pollingero. Anna Ioannem Weissen Lucernæ nacta est maritum.

Masculi quatuor
Fœminæ, VII.

Excursus

EXCVRSVS VI.

De IV. ac ultimo in hac 3. parte ordine Conjugiorũ, quæ à primo connubio Maximiliani I. Imperatoris usq; ad postrema, quæ sive in Germania, sive in Hispania hujus nostri ævi reliqui Austriæ Principes, Archiduces, Reges, Cæsares, Monarchæ contraxerunt per annos fermè 180.

Eò nobis in præsenti Excursu minus professò laboriosa, atque difficultatibus plena scriptitatio, quò viciniora tempora, ac perinde clariora monumenta Historicorum plurimorum scripta majori & unanimiori fidelitate abundè subministrabunt. In priori parte Colossæam Pietatis, generisque Austriorum Principum molem matrimonijs tam marium, quam fœminarum simul conflavimus, & omnia pariter matrimonia in VI. classes synopticè tantum distribuimus. In hac verò 3. ad quatuor ordines virorum ea, quæ uberiori calamo enucleare decrevimus, collocare, ac reducere, res quidem & mihi, & legentibus gratior, & commodior.

SECTIO I.

De Conjugiis Maximiliani I. Imperatoris.

MATRIMONIVM I. DVPLEX.

Imò triplex, & etiam per promissionem quadruplex, teste Cuspiniano.

Maximilianus I. Archidux Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ. Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgi, Lucemburgi. Comes Habsburgi, I. Flandriæ, Teriolis, Landgravius Elsatiæ, Romanorum Imperator I. P.P.P.F. semper Augustus, Sapiens, Probus, Fortis & Pius, suæque Prosapiæ mirificus Propagator. Prima ejus Vxor nondum Cæsar Maria Burgunda 1477. Pontificatus Xisti IV. anno 6. Imperij vero paterni 36. secunda Blanca Maria Mediolanensis 1493. sub anno 2. Summi Pontificis Alexandri VI. Parentis verò Friderici IV. Imperatoris 53.

Prioris

Prioris Conjugij Maximiliani felicitas, nuptiarumque successus describuntur.

INter plurima ac omnia prosperrima auspicia, quæ ad ingentem, cumulatissimamque presentis Matrimonij ex parte prioris Conjugis fœlicitatem mirum in modum concurrerunt, illud longè omnibus proculdubio anteferendum, cujus ingenuus Horoscopus, haud ab astris mathematicorum, spem omnem humanam vanamque sæpenumero varijs modis illudentium, petendus, sed abs astrorum conditore, qui *in se manens, dat cuncta moveri*: Quique illam Principum Christianorum PIETATEM, quam *Laudant astra matutina, cujus pulchritudinem*, in qua *jubilant filij Dei, Sol & Luna mirantur*, dum benigno, ac paterno contuitu, ab eamet potenti virtute allectus, perspicit, planetæ omnes, orbesque superiores instinctu creatoris etiam per innatam sympathiam ad nutum famulantes, id ipsum fecundissimis influentijs efficiunt. Qualiter *misericors & miserator Dominus*, qui *escam dedit timentibus se*, visa à longe esca Eucharistica superstitem Maxilianum non absque miraculo servaverit, ne cum eo, intra inaccessibiles asperrimorum, atque altissimorum montium pendentes horridasque rupes, & anfractus extinquendo, tota simul ejus progenies extingueretur, jam superius in 2. parte ostensum est cum Pallavicino, sed illam historiam jam conscripserat Pighius, & ex hoc Anton. Davor. c. 3. titul. 37. §. 4. Hæc profectò cœlestis gratia, hæc summa propitijssimi Numinis providentia, omnibus eminentior causa extitit, ut liberato ab evidenti proximoque mortis periculo Maximiliano, nonisi statim primum ejus conjugale fœdus, minimè altero expectato, undique peregrino, ac ingenuo omine auspicaretur. In hoc insuper connubio paritas sanguinis, & divitiarum valdè concinna, conjugum animi & corporis egregiæ dotes, constantiaque præcipua utriusque ad omnium stuporem, atque hæreditaria successio in Austriaca familia plurimum affluens. Demum quanto minor unica solumodo prole mascula superstite in eo fecunditas, tanto major per ejusdem connubium ditionum pari jure acquisitio, illustriorque successio, ut suo loco patebit.

Cæso igitur extinctoque ab Helveticorum manibus illo Martis fulmine Carolo Burgundo, cujus audax strenuitas, visque bellica Ludovico Gallorum Regi quantum vis alijs Principibus magno, ac potenti, semper dum viveret formidolosa, quàm maximè gavisus est idem Rex, & multa cum ratione. Nam propter hostis tam validi internecionem, nunc armis, nunc juris titulo, nunc conjugali vinculo Burgundia, & Belgio potiri, ac Regno Galliæ tot Provincias colligare, penè apud se, & apud optimos politicos pro comperto. Hinc posteaquam Burgundicas ditiones animo invasisset, Vide fusius Roo lib. 9.

nunciari Mariæ quamprimum jussit per Legatos eosdem, quos miserat Maria Regi, ut pacatum, ac benevolū Principatū Flandriæ, reliquarumque ditionū, quæ Gallorum regno obnoxiæ habebantur, confirmari postularent. Velle se duntaxat uti ipsum cognatum, ac Dominum sibi, tutoremque agnoscat, & Carolo filio nubat: is septem annorum puer tunc erat. Illam ne verbo quidem eis respondit, ac tam mirando silentio satis apertè ostendit, neque tutorem sibi cordi esse, neque sponsum: Favens Gallis Hugonetus, cæteris ex consilio digressis, utrumque eam amplecti debere necessarium fore, si vellet statum proprium, & Reipublicæ incolumitatem conservare, monitis suis demonstrabat. Quibus molestia pergravi sagax Virgo affecta, cum Raestino conqueritur, qui ad Gandavensium tribunum rem omnem; uti eam ex Principe audierat, detulit. Cives ad arma concurrunt, Hugonetum; quique alij Gallicas partes fovere putabantur, in vincula deposcunt. Capitur ipse, Prothonarius quidam Pontificis, ac Ioannes Mellius eques auratus. Guido Himbercurtius unus erat ex ijs quam plurimis viris illustribus, quorum principaliores David Burgundus puellæ patruus, Ludovicus Borbonius Antistites, Ioannes Cliviæ Dux &c. qui Gandavium convenerant Coram hijs (audito prius ab eis parentis interitu, consolata pariter, ac de ditionum administratione consiliata) Flandriæ Principatum, quæ regio Gallici juris eo tempore erat, suscepit. Himbercurtius ergo urbe elapsus ex suburbano Carthusianorum fratrum collegio retrahitur. De Hugonetto fama erat literas eum Caroli, quibus ad Nanceium subsidia sibi necessaria mitti jusserat, suppressisse, atque id ipsum quæstioni admotum non negasse. Is igitur, & cum eo Himbercurtius, ac Mellius capite plexi, Prothonotarius in vinculis asservatus est, ubi post annos aliquot perijsse creditur. Hæc à furente populo, reclamante Maria, facta sunt. Ludovicus interim cum filij matrimonium non processurum videret, vi & armis agendum ratus, Eduardum Angliæ Regem in belli, ac prædæ societatem vocavit, quod etsi frustra fuit, alia tamen omnia satis illi prona, ac facilia videbantur, neque ad summam felicitatem quidquam deessevidebatur, quam (ut refert Comminæus) quod negotium non ex æquitate gerebat, & provincias illas, quas amore, ac benevolentia sibi conciliare aliquando decreverat, nunc ex fortunæ accessu mutato consilio armorum violentia aggrederetur. Sed Deus, in cujus manu & Regum animi, & rerum omnium successus, hæc Ludovici cæpta ad optatum finem pervenire vetuit.

Rex Franciæ mittit Legatos ad Mariam de conjugio cum Carolo filio agendo.

Quotidie de nuptijs Mariæ inter proceres consultabatur, duobus propositis punctis, nimirum aut adscito Galli filio pax cum ipso, ac fœdus fieret, aut alius Principi maritus quæreretur, qui vim, injuriasq; Gallorū prohibere posset, & collapsā Rempublicā instaurare. Inter cęteros Tarentinus Princeps Ferdinandi Neapolitani filius in spem venerat; sed magis Cliviensis de filio suo, quem exteris anteferendum putabat. Vtroque præterito, visoque Borbonio, Gallicas nuptias coram Principe urgente, neque de Maximiliano

mentio

mentio ulla, primæ nobilitatis ex Halovinorum familia matrona quædam prudentia prædita, exurgens, locuta est. *Non puero nobis, ò viri, sed viro est opus, videtis enim Principem jam nubilem, eaque ætate, quæ proli gignendæ matura est, quæ una res nobis necessaria, summisque omnium votis expectanda collapsam Rempublicam in pristinum statum reducet.* Ea mulieris vox non tantum ab alijs omnibus, sed ab ipsa Principe, ejusque noverca patris vidua secundis auribus excepta est. Iamque de marito aliquo ejusmodi omnium sententiæ exquirebantur. Clivensis filij sui negocium iterum urgebat, sed ille nimis domesticè notus majori parti non probabatur. Maximilianus verò alijs præferebatur, de cujus præclara indole multus erat hominum sermo. Et quamquam Clivensis, ac Borbonius cum alijs nonnullis reclamarent, pronior tamen in illum erat ipsius puellæ animus, neque ignorabatur, literas ab ea ad illum datas, quibus promissum à patre matrimonium ratum esse debere significaverat, cum literis quoque & magni precij adamantem in fidei pignus miserat. Gnarus harum rerum omnium Imperator Fridericus legatos in Belgas mittit Georgium Badensem Mediomatricum Præsulem, Ludovicum Bavariæ Ducem, & Haslerum Prothonotarium. Hi Bruxellæ, ubi jam pervenerant, jubentur subsistere usque dum Princeps Maria eos Gandavum accerseret. Mora ex hac Clivensis, qui eam moliebatur, aliquid offensionis inde nasciturum sperabat, quo irritati viri illi omissa legatione discederent. Verum Principis familiares, quarum primæ Caroli vidua, & Halovina commemorata, rem Maximiliani promoventes, nuncios ad legatos, Gandavum pergere jubentes, misere. Vti effecerunt, tale consilium secuti, neque diutius expectandum rati. Eorum adventum gravissimè tulit Clivensis, & quotquot adhuc cum eo, aut pro Gallo sentientes, Austriacam affinitatem impeditam cupiebant. Borbonius paulò ante discesserat offenso animo, quod Gallicanum non procederet matrimonium.

Halovinæ in consilio sententia.

Friderici Imper. legatio in Belgium.

Legati ad diem præfixum in consilio procerum, cui Maria præsidebat, dicere jussi, Romanorum Imperatoris nomine, Principi, ac reliquis omnibus salutem precati, ab illo se se missos referunt, uti matrimonium filio suo Maximiliano jam anteà Carolo Principe promissum, & filiæ ejus nuptias confirmari peterent. Quam rem jurè se impetraturos minimè dubitare, quod puella ipsa parentis voluntati jam olim ad sensa sit, neque mutandi consilij sui causam ullam haberet, quo minus patris promissis suæque fidei satisfaceret, cujus argumenta esse literas, adamantem ab ipsa missum. Hæc ubi dixisset Georgius, is enim Gallicè noverat, prolatis signis, puellam rogavit num ea agnosceret? Ibi tum illa, sive privatim ita à fœminis instituta, sive rei tam evidentis conscientia, aut alio quopiam affectu mota, nullo deliberandi petito spacio, & literas sua manu scriptas, & adamantem se misisse respondit, idque jussu patris fecisse, de cujus voluntate nihil mutare decrevisset, quo minus ab eo promissis fides servaretur. Hanc ejus vocem legati lætis, ut par erat, animis excepere, multisque gratiarum actionibus

Legati quæ in mandatis habebant Gandavi Mariæ in consilio procerum exponunt.

Mariæ responsum.

sunt prosequuti. Inter hæc & alia à Roo ibidem recensita, Ludovicus Rex sperans, principijs obstando, posse incepta aut impediri aut turbari, exploratores, ac nuncios in Germaniam miserat, qui quid de Maximiliani itinere, nuptijs, rebusque cæteris ageretur diceretúrque intelligerent. Cumque ex quodam Henrico Hisbuco Agrippinate Francofurti conventum Imperij Principum, ac ordinum à Friderico indictum esse audivisset, Roberto Gaguino, qui Regnum Franciæ historiam conscripsit, illuc misso, in mandatis dedit, uti non ante, quam Principum quorundam animos pertentasset, oratorem se professus, in conventu memoraret; veterem jam inde à constituto Germanorum Imperio inter Cæsares & Gallorum Reges amicitiam & necessitudinem utriusque gentis fuisse, quæ uti in illum usque diem sanctè culta sit, ita nunc quoque Friderico etiam atque etiam esse videndum, ne quid committatur, quo illa violetur, unde nonnisi magni motus, & gravissima Reipublicæ Xp̄næ incommoda essent oritura. Mariam Burgundicam cognationis & fiduciæ nomine Regi obnoxiam esse, neque Gallico aut more, aut instituto, ac legibus licere, uti Princeps aliqua fœmina injussu Regis nubat. Hæc legatio Regis sera fuit, cum enim Gaguinus Argentorati adhuc moram duceret, sub finem Iunij mensis, secundo Rheni flumine, Maximilianus Coloniam Agrippinam descendere nunciabatur.

Comitia Francofurti.

Ludov. Rex conatur nuptias impedire.

In comitatu Maximiliani erant Ioannes Badensis, Trevirorum Elector, Albertus Brandeburgicus, Christophorus Badensis, Wilhelmus Iuliacensis Principes, & ex ordine equestri nobiles quamplurimi, pullis omnes vestibus induti. Coloniæ dies aliquot quieti, & rebus ad iter comparandis dati. Inde pridie Cal. Aug. Aquisgranum, ac in Brabantiam porro accessit, Lovarij & Bruxellæ quæsitissimis honoribus exceptus est. Octingentos circiter equites comitatui ejus tribuit Comminæus, Gaguinus centum supra mille cum eo Coloniam egressos refert. Roo credit numerum in itinere potius actum, quam diminutum. Maria interim Gandavi justis ac exequijs patri sollemni ritu absolutis, ea parari jubet, quæ ad excipiendum pro dignitate Maximilianum, ejusque comites requiri putabantur. Cumque jam Teramunda ipsum adventare nunciatum esset, obviam illi longo ordine processere Burgundicæ aulæ proceres. Senatus quoque universus & cives ad portam Bavonis obvij novo Principi adventum gratulantur, faustaque, ac felicia omnia apprecantur, & tota Civitas mæroris & luctus oblita, in lætitiam effusa, faustisque acclamationibus personabat. Maximilianus verò & ipse postquam Carolo justa persoluta esse audierat, mutato habitu, Germanos suos adducebat eximijs vestibus, & auro cultos, ac proceritate corporum, & equitatu spectabiles. Advenit cum Maximiliano Carolus Croyus Regulus Chymanius, qui ad Nanceium captus in Germaniam adductus fuerat. In aulam ubi venisset, Mariam sponsam obviam salutavit & amplexus est, quæ manantibus ex gaudio lacrymis, desiderium suum testabatur. Inde ad designatum quisque hospitium

Comitatus Maximiliani.

tium divertit. Ad decimum tetium Calendas Septembris eo apparatu, quem rerum præsentium status admittebat, fiunt nuptiæ, sacris operante Tornacensi Antistite, & præsente inter alios Legato Pontificis Iuliano Cardinale Ostiensi. A sacris ad epulas, & choreas itum. Fuere & ludi equestres, quibus egregiè se se venditasse Germanos aliquot ei studio cum ipso Principe insuetos proditum est. Ita Roo, &c.

Illa amorū, spectabilitatum, atque egregiarum ad invicem inter tantos conjuges prærogativarū miranda Symphathia non poterat nisi peregrinos dilectionis nexus utrinq; parturire. Maria filia genuina Caroli artub⁹ corporisq; lineamentis omnibus, testante Manlius, tenerrima matrona fuit. At non adeo, ipse addo, ut masculinū animū unquam perderet. In Austriacis etenim fastis, teste Pallavicino, pudicissimā ipsam extitisse, pariterq; fotissimā compertā esse, perhibetur. Fuit marito suo penè ætate coequalis: ducta scilicet, ut prodit Guill. ab eomet cum esset annorum 19. & ipsa 20. ageret. Maria enim nata 1457. 12. Febr. Patrinus Ludovicus Delphinus, postea Rex XI. maximus ejus inimicus. Venatrix eximia quemadmodum & vir ejus, in quo Heroem Austriacum Maria adinvenit, qui gessit Archiducis titulum, & dignitatem non fortunæ modo amplitudine, qua longè omnes Duces superavit, sed maximè virtute animi propria Principis bona. Maria unica Caroli Ducis Burgundiæ, & Belgij Principis filia. Maximilianus unicus quoque filius Imperatoris Friderici Austriæ, omniumque Austriacarum ditionum hæres, & cum ea aviti generis septimus propagator. Quamplurima laudabilia in Maria conjuge, at in consorte Maximiliano nihil eo amabilius, liberalius, doctius, æquabilius, bellacius quoque & audentius. Addo etiam ex Guillimanno haud minimum in tanta magnitudine formosius, atque elegantius adeo omnes omninò congessisse dotes, & opes sors & natura, & utriusque auctor & moderator Deus est visus plerisque omnibus, raro humanæ felicitatis miraculo. De his magna dicendi copia in penultimo Gentilitio.

Manl. in Maxim.

In Maximil. lib. 22. tom. 2.

Quis fuerit Maximilianus.

Verum illa eadem fortuna, quæ tam abundè votis Mariæ in tanto marito, hostium Burgundiam & Belgium undequaque invadentium, infestantium statim à nuptijs ad arma ad constituendum Reipublicæ statum, transeunte, domitore, avarè quam maximè vitæ suæ, cui lustrum unicum deinceps voluit concedere, profecto se gessit, nè ad optatum tempus, ut eum Regem Romanorum, ac postmodum Imperatorem cerneret, perveniret. Spes Mariæ videndi quamcitius virum suum ad Imperij paterni thronum in ejus utriusque hominis dotibus uti in solidis conjecturis fundabatur. Incredibili nexu in ejus corporis proceritate admirabunda conjux experiebatur elegantem formam, imperio dignam, robur agilissimum, atque insolitum, & ingenium peregrinum. Illum perdulcem majestatis fulgorem è vultu Maximiliani tam venustè erumpentem, indicare in eo summam sæculi dignitatem, Maria haud obdubitabat. Hinc fert Cuspinianus. Fuit

 autem

autem humanissimus Princeps statura quadrata' (Neotericus quidam superstes, *longa*, sed verius Cuspin. Cæsaris medicus) in qua Cæsarea eluxit Majestas ac resplenduit. Nemo non hunc Imperatorem esse etiam externus inter 30. maximos Principes antea non visum agnovit, tanta erat oris probitas, &c. In ejus ergò facie non Romæ imaginem ut in ea Iulij Cæsaris, de quo Vates cecinit, gratia, & natura indidit, sed Majestatis Imperatoriæ ideam, quæ Vxoris cupidinem oculorum, mortali fato præventam, non autem spem elusit.

Nam obijt Maria 1483. quinto Cal. Aprilis (Gans sexto) ætatis 25. sepulta Brugis, ubi perijt, æde Deiparæ. Cor Antuerpiæ Matris Elisabethæ Borboniæ sepulchro, ut petierat, inclusum, ita Guill. qui deinde vel potius ejus continuator in Genealogia posuit una cum causa decessionis annum 1482. Roo de obitu Mariæ hæc explicitius. Annus primus & octogesimus jam exierat, & Maximilianus cum Vxore Brugis eam hyemem egit. Sub cujus finem Maria cum suis egressa, uti animum venando oblectaret, ex equo prolapsa, lumbos, & femur graviter offendit, & dies 20. ex eo casu decumbens, rebus ex ultima voluntate ordinatis, obijt 5. Cal. Aprilis, magnum marito, cujus amantissima vixerat, & subditis omnibus luctum, ac turbulentum rerum statum relinquens. Erant qui uterum gestare putabant. Corpus ejus ad Deiparæ Virginis sepulchrũ illatum, & magno cum apparatu celebratæ exequiæ. Superstites reliquit filios Philippum, & Margaritam. Rex Ludovicus paululum ex diuturna gravissimi morbi molestia recreatus, nuncium de Mariæ obitu lætissimo animo accepit, ac apud suos, ex quibus Comminæus hæc literis prodidit, de rei bene gerendæ occasione sibi multa pollicebatur, dicebatque Maximilianum, amissa Vxore, parum authoritatis apud Belgas, minimum verò apud Gandavenses habiturum, qui cæteris civitatibus potentiores Burgundicæ domui minus ex animo studerent, & novis rebus idonei viderentur. Cumque ij Principum liberos apud se se educarent, ac quasi in sua potestate haberent, per Cordæum animos illorum sollicitare, ac de matrimonio inter Calorum filium suum (Galli Delphinum, cæteri Hispanos secuti, Principem appellant) & Margaritam contrahendo fundamentum jacere cæpit. Cordæus cum uno atque altero scriba notitiam, ac familiaritatem habebat, qui ex plebeis orti, aliquem sibi locum paraverant, per hos ad primores urbis viam sibi quærebat. Quamquam verò Rex matrimonium illud serio urgebat, nihilo tamen minus Eduardum Angliæ Regem vana spe lactabat, qui & ipse & conjux ipsius filiam Carolo dare cupiebant. Vtrorumque intentio (neque animi fallor) ad id proculdubio tendebat, ut Ludovici in Aquilam Imperialem jocus, quem ante proposuerat, pro se tandem staret, terminaretque. Legimus enim eum vix celebratis Maximiliani nuptijs, Cameraco discessurum, vocatos ad se priores urbis, in hæc verba prorupisse. *Defensor ego vestræ civitatis, & Vicecomes, vestris legibus vos vivere, & à Maximiliani consortio immunes*

Roo lib. eodem sub anno 1482. fol. 342.

Mariæ interitus propter lapsum ex equo.

Mariæ obitus Regi Ludovicus valde gratus.

Roo ibidem fol. 331.

immunes jubeo esse. Imperatoria arma, quæ loco movimus, quando ita lubebit, reponite, & avis illa, quæ animi gratia aliquandiu evacata est, postliminio in pristinum hospitium revertatur, id quod hirundines ineunte vere solent, &c.

Ludovici in Aquilam Imperialem jocus.

Ex quo isthæc jocando protulit Rex Gallus sub eo anno 1478. jam spacio annorum 180 mansit ad hæc usq; tempora Aquila Latina, non aberrans, sed veluti in avito nido apud Catholicos Piosque Austriæ Principes. Hodie in Aula Viennensi in interitu Cæsaris Ferdinandi III. & ipsa quoque interijt, non aufugit, ut superius tradidimus. Vnde haud obscurè conjectari posset, Imperialem Majestatem non exire à Domo Austriaca, alijs familijs translatam, sed ibi vitaliter deficere. Alibi enim uti picta maneret, sine decore, sine robore, viribus destituta, & pro Christiano orbe, & Ecclesia Romana esset sine esse, lacera undique, undique deplumata.

Nota,

Igitur Maria ante electionem viri sui in Regem Romanorum vitam cum morte commutavit. Etenim sub anno 1486. de comitijs Francofurti scribit Roo hoc modo. Fridericus cum Septemuiris Imperij Electoribus de filio, in Regem Romanorum eligendo, consilia agitabat. Eam rem impedire pro virili conabantur Gallorum legati, multis & donis, & promissis animos Principum oppugnantes. Maximilianus verò dexteritate quadam, & gratia effecit, uti literæ ad plerosque ea de re jussu Regis perscriptæ, sibi traderentur, quas Virodunensi Præsuli Legationis principi, multa excusanti, ostendit: quare turbatus ille, & attonitus, nihil ulterius movit. Itaque ab omnibus simul Electoribus Maximilianus consors Imperij declaratus, & in æde summa S. Bartholomæi recepto titulo, Romanorum Rex proclamatus est ad decimum tertium Cal. Martij. Gans habet. Concors Imperij patre procurante factus, & in Regem Romanũ electus Aquisgrani 1486. 14. Cal. Martij, ibidemque 7. Calend. ejusdem Mensis coronatus. In Eicone Maximil. apud Kilian. juxta Roo. Anno 1486. 13. Cal. Martij Francofurti Rex Romanorum declaratus, 3. Idus Aprilis Aquisgrani coronatur. Concordat Pallavicinus, inquiens. Hinc à patre Augusto in sortem Imperij adoptatus in gravissimo orbis terræ Concilio à Germanis proceribus meruit Francofurti adoratum à tot populis Regis Romanorum & Aquisgrani Cæsaris nomen. Sed ante hos omnes Cuspin. in Maximil. ubi sic. Egit interea Fridericus Imp. cum Electoribus Imperij, ut Rex Romanorum elegeretur. Cum itaque Principes Imperij Francofurdiam convocasset, anno salutis humanæ 1486. 16. die Februarij unanimi consensu Romanorum Rex eligitur, &c. Afferam demum, & Nauclerum. Anno 1486. die 20. mensis Ianuarij Maximilianus Austriæ Archidux cum genitore Friderico Rom. Imp. Francofordiam urbem ingressus, exin 16. Febr. peracto officio divino in Basilica S. Bartholomæi Electores Rom. Imperij, observato ordine Bullæ aureæ, felici auspicio Maximilianum in Regem Rom. elegerunt. Postea vero idem die 10. mensis Aprilis in Civitate Aquensi cum ingenti pompa corona Caroli Magni ex archi-

Roo. lib. 10. fol. 364. & seq.

Maximil. fit Roman. Rex.

Loco cit. in lib. Frid. 4.

Pallav. in Maximil. I. fol. 94.

Cuspin. in Max.

Naucl Gener. à nato Xpo sub ann. 1486.

vis

vis Norimberg. allata coronatus eſt. Vir ſumma virtute, rei militaris ſcientia inſignis, in quo relucebat juſtitiæ feruor, ac zelus, ſingularis benegnitas, atque clementia cum vitæ ac morum obſervantia, quibus regijs virtutibus ornatus ex regia Domo nulla ex parte majorum ſuorum laudibus inferior evaſit. Electio ergo Maximiliani Francofurti ex communi ſententia, non autem, ut Gans ſcribit, Aquiſgrani, ubi coronatio tantũ fuit executioni demandata. Alia diſcrepantia de die electionis, ſive coronationis, relinquitur uti ab auctoribus affertur.

Tria advertenda in elect. Maxim. I. Imp. Roo ibidem.

Tria adnotanda in Maximiliano electo Rom. Rege: Duo ex Roo, poſtremũ ex Pallavicino. Sunt qui Fridericũ (fert ille) renunciata filij electione, largiter illachrimaſſe, affirment. Id variè pro ſuo quiſq; judicio interpretabantur: crediderim ego, ſubdit, ex gaudio illud factum, niſi quis Imperij molẽ, multaq; in eo adverſa illũ conſideraſſe putet; & ſunt pleriq; viri boni ad fletũ procliviores. Iudæũ item ferunt ariolũ, ſive ſuperſtitioſum, publicè affirmaſſe, ultimũ eo die ex Germanis Cæſarem creari, qui ab Electoribus interrogatus, & hoc ita ſe habere, & ex Maximiliani poſteris ipſi ſucceſſurũ, qui latè per Europam ſit regnaturus, magnamque ſub eo mutationem rerum fore. Hæc poſtea ad Carolum V. pertinere viſa, etſi non uſquequaque omnia conveniant. Sed de vate ipſo, aut vaticinij veritate, ſive ea conjectura fuit, non eſt operæ diſputare.

Loco cit.

Poſtremò addit Pallavicinus ad hiſtoriam Naucleri. Illud autem accedit in ipſa inauguratione auſpicatiſſimũ, quod *Maximiliano* ea impoſita fuit corona, quæ olim Occidentalis Imperij fundatori *Carolo*, & potentia & Sanctitate *Magno*, auſpicijs tum ad ipſum Maximilianum, tum ad *Carolum* nepotem, tum ad magnam Germanorum & Hiſpanorum Auſtriadum poſteritatem propagatis, Auſtria gente jam, & Heroum numero, & potentiæ magnitudine, & ævo felicitatis *Carolingam* longè ſuperante. Nullum aliud præter Maximiliani Auſtriaci caput Caroli Magni coronam implere potuiſſet.

Mariæ Burgundæ, quæ ſola peperit Maximiliano, utrumque genus, & proles.

PHilippus Abavus ex regia familia, frater Caroli V. Regis Francorum, filius Ioannis, nepos Philippi, pronepos Caroli I. Valeſij, & 2. Alenzoni Comitis, abnepos Philippi, atnepos Ludovici 9. Sancti illius Regis Galliæ. Hic Philippus *Audax* cognominatus eſt, quod patrem audaciſſimè contra Eduardum Walliæ Principem pugnando defenderit. Captus tamen cum ipſo eſt, atque liberatus, Burgundiæ Dux & Comes Flandriæ factus eſt, obijtque in Majo 1404. Vxor Margarita, filia & hæres Malani Comitis Flandriæ.

Quare Philippus Audax nuncupatus.

Ioannes

IOANNES Proavus Mariæ unicæ Burgundiæ inferioris hæredis, cognomento *Intrepidus* Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, & Artesiæ. Vxorem duxit Margaritam, filiam ex Margarita Silesia Ducissa Brigensi Alberti Ducis Bavariæ, & Comitis Hollandiæ, Zelandiæque cum qua genuit Philippum filium. Fratres habuit Ioannes hic Antonium Ducem Brabantiæ, & Limburgi; item Philippum Comitem Niversensem, Estampij, Rhetellenumque hic obijt 1415. in conflictu Zuicartiano, quo eodem tempore & loco Antonius ille perijt in prælio. Anno verò quarto post, hoc est 1419. etiam hic Ioannes à sicarijs per insidias 4. Idus Septembrr. obtruncatus interijt in Montereau. Sorores habuit idem Ioannes Mariam, Margaritam, Catharinam, & Bonam.

PHILIPPVS Avus Mariæ (ad quam Burgundiæ ditiones devolutæ sunt) cognomento *Bonus* ac *Pius* Burgundiorum, & Brabantiæ Dux, Comes Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ. Gandavenses rebellionem excitantes cruento prælio fudit, & prostravit ij. Cal. Aug. 1453. Ordinem quoque *Aurei Velleris* equitum instituit 1429. Vxores ei 3. *Micheleta* Caroli VI. Regis Franciæ genita. *Bona* Attrebata, vidua Comitis Niversensis, ac Philippi Artesij filia. *Isabella* Portugalliæ, cujus parentes Ioannes Rex Lusitaniæ, sive Portugalliæ, maritus Philippæ Lancastriæ, (hanc genuerunt Ioannes Dux Lancastri, genitusque Eduardi III. Regis Angliæ, & Blanca filia, & hæres Henrici I. Ducis Lancastri) filiusque Petri Regis Portuglliæ, & Mariæ Banneri. Duxit Philippus Isabellam Brugis 1429. ex eaque genuit *Carolum* cognomento *Audacem*, filios multos habuit præterea, sed nothos, Antonium, Davidem Antistitem Vltrajectensem, Philippum Episcopum Trajectenum, Raphaelem, Ioannem præpositum Collegij S Donatiani Burgis; filias etiam non paucas.

Ordo Aurei Velleris institus.

CAROLVS Pater Mariæ hæredis, Audax, Pugnax, filius Philippi legitimus, natus 12. Novemb. 1433. Divione, Dux Burgundiæ & Brabantiæ, Comes Flandriæ, Hannoniæ, Bononiæ, & Artesiæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, Dominus Frisiæ. Eburones bello superavit, ac Leodias miserabili internecione delevit, immisso in urbem aratro, quo fundamenta subuertit, sale disseminato. Novesium, sive Nussiam per integrum ferè annum obsedit. Ludovico XI. ejus nominis Regi Galliæ fuit formidabilis. Helvetijs bellum inferens, bis victus est, & in tertio prælio à Renato Duce Lotharingiæ superatus, ac multis vulneribus confossus interijt 1477. Habuit Vxores tres. Prima fuit *Catharina* filia Caroli Regis Franciæ, quam duxit in oppido S. Andomari, sed Bruzellæ obijt, ut & sepulta. 2. *Isabella* filia Caroli I. Ducis Borbonij, quam duxit Iusulis prima die Novemb. 1454. Ex qua MARIA Carolo nata. 3. *Margarita* soror Eduardi IV. Regis Angliæ. Carolus I. Dux Borbonius habuit parentes Ioannem, Ducem Borbonium, filiumque ex Anna Delphina Aruerna Ludovici II. Ducis Borbonij, Mariam Biturigam, quam cum Ioanna, Comtitis Armeniaci filia Ioannes Dux Bi-

Caroli Pugnacis facinora bellica.

Vincitur, & occiditur.

Genus maternum Mariæ Burgundæ.

turigus ex regia familia genuerat. Habuit & Vxorem Agnetam Burgundam, filiam Ioannis, Ducis Burgundiæ commemorati, filij, ut dictum est, Philippi Audacis, &c. ex Margarita præfata Comitissa, & hæres Flandriæ, ac mariti Margaritæ Bavaræ, de qua superius. Vtramque hanc Seriem Stematographicam mutuavimus ex continuatore Guill. in illo cap. 1. 2. Ad finem hujus hæc alia

Loco cit. in Genealogijs tom. 2. cap. 30 n. 31.

MARIA

Filia Caroli Audacis unica fuit hæres Ducatus Burgundiæ, & Brabantiæ, nupta *Maximiliano I.* ejus nominis Imperatori Arch. Austriæ anno 1478. *(Sed in Maximiliano uno anno minus cap.) 22.* qui tanquam alter Iaso hoc pacto Aureum Vellus, à Philippo avo Mariæ primũ institutum consecutus est, atque cum Philippo filio totius inferioris Germaniæ, atque Burgundiæ dominus effectus est. Sic ut Maximilianus hic primus per Mariam Belgium, Philippus I. Maximiliani filius per Ioannam Castellam, Carolus V. Imperator per Elisabetham tandem Hispaniam, & Philippus hujus Imp. filius totam Lusitaniam, sive Portugalliam, singulari Dei gratia, & beneficentia consecuti sunt, &c. Hæc de semetipsa optimè cecinit Maria apud Vatem illum

Hæres magnanimi post fata ego sola parentis
Quam thalami sociam sceptrisque armisque potentes
Mille proci optarant, feci nupta Æmiliano.
Ut sequanos cum Pleumosijs regat Austria proles.

Liberi.

Filij Maximiliani ex Maria Burgunda 4. cujus generationis & temporis ordo ex M.S. citato in Maximiliano est hujusmodi. *Philippus I* Rex Hispaniarum natus Brugis urbe Frandriæ 1478. *(*& ex Roo, cujus cætera in conjugio Philippi, nono Cal. Iulij, ex Kiliano verò x. sed ex Gans 8. alios lector videat) *Margarita* nata Bruxellis 1479. *apud Kil. anno uno plus, & ex Roo similiter, nempè 1480.)* 10. Ian. hora horologij antemeridiana undecima. Sacris abluit Fenicus Episcopus Tornacensis fidei jubentibus Philippo à Rauenstein è Ducibus Clivorum, Ioanne Austevaniæ principe, & Margarita materni avi secunda conjuge, quæ ei nomen imposuit. De nuptijs Margaritæ triplicatis paulo post, & fusius in 4. parte sequenti. *Franciscus* in honorem Ducis Britanniæ sic nominatus, & *Georgius* ambo in pueritia mortui, & Bruxellis Brabantiæ sepulti. Nativitas Francisci apud Roo sub anno 1482. 2. die Septembris Bruxellæ fuit infans 17. ejusdem mensis ab Henrico Bergensi, Cameraci Episcopo sacris undis lustratus, spondentibus pro eo Philippo Croyo Cardinali Cluniacensi, & Aurantij principis Vxore. Natalem illius Bruxellani magna cum lætitia celebrarunt, quod Principem

Vide de Margar. M. S. tom. 2. in Maximil.

haberent

haberent apud se natum, sed non diuturnum illis hoc gaudium fuit, nam eodem anno infans obijt Ferijs S. Stephani Protomartyris. De Georgio nihil reperi apud eundem. Advertendum tamen, ordinem hunc qui desumptus est à Cuspiniano, & est etiam apud Gans, additum esse alijs characteribus ad finem cap. 22. illius M. S. Nam in corpore primo & secundo loco positi sunt Franciscus, & Georgius commemorati, deinde Philippus, postremi Margarita, quod non potest rationi temporum convenire. Apud Kil. tres tantum proles cum Roo, sed priori loco Franciscus, qui vixit (inquit Dilucidator in eicone Maximil.) menses quatuor, Philippus, & Margarita. Manlius quoque totidem, eosdemque affert liberos, relicto Georgio, & eodem ordine Kilianico. Pallavicinus item tres, sed vario modo, nam concessa Philippo primogenitura, secundum facit Franciscum, & Margaritam tertiam.

Transit Maximilianus I. Imp. ad II. Nuptias. Sed utrum tertia quoque vice sponsum egerit & etiam quartam per promissionem, ut fert Cuspinianus, examinabitur.

QVam brevissimè de isthoc 2. matrimonio hæc pauca ex continuatore Guill. ubi supra. Secundi Blanca Maria Galeatij Sfortiæ Mediolani Ducis filia, Ioannis Galeatij soror Connubio ascita est Maximil. 1493. quæ non progeneravit. Gans loquens tam de tempore, quam de loco matrimonij hujus, post hanc, inquit, scilicet Mariam, secunda Blanca, filia Galeatij Mariæ, Ducis Mediolanensis ducta Oeniponti 1494. Idipsum asserit Nauclerus, addens quoque diem mensis, qui fuit 16. Martij, aiensque. Eodem anno Blanca Maria virgo illustrissima Galeatij quodam Vicecomitis Mediolanensium Principis filia Serenissimo invictissimoque Rom. Regi Maximiliano jamdudum desponsata, in oppido Insprugg ad sedes nuptiales traducitur, rituque Xpno copulatur. Orationem habuit tum clarissimam Jason Marius eques Romanus jurisconsultus toto orbe celebratus. Itaque M. S. quod secuti sumus, loquitur forte de sponsalibus per promissionem sponsæ anno præterito ante obitum Friderici Imp. sponsi parentis succedentibus, non autem de nuptijs, anno altero defuncto patre celebratis. Sic Roo primum de illis lib. 10. (Sed de his postmodum) lib. sequenti hoc modo.

Initio anni nonagensimi quarti inter medios belli apparatus, celebratis jam magnifico apparatu Cæsaris Friderici exequijs, è vivis abijt Ferdinandus Aragonius, Neapolitanorum Rex, hæredem relinquens Alphunsum filium. Ludovicus verò Sfortia, ut rem suam stabiliret, præter Gallicam expeditionem Cæsaris nuptias, de quibus supra dictum, maximè urgebat. Roo lib. ij. in princip. ad ann. 1494.

Ad ann. 1493.

Non probabantur illæ plerisque Germaniæ Principibus, quod Sfortiarum ac Vicecomitum familia Austriacæ veteri, & tot majorum imaginibus auctæ prosapiæ, impar esset, videreturque Cæsar, dote magis quam genere adductus, eam affinitatem inire. Ludovicus enim præter ornamenta, quæ ad quadraginta aureûm nummûm ducalium millia estimabantur, quadrigenta millia dotis nomine, certis pensionibus daturum se promiserat. Itaque Blanca Maria cum amplissimo Comitatu Oenipontum deducta est, ubi postridie Idus Martias nuptiæ celebratæ sunt. Fuisse Blancam Mariam Philiberti Sabaudiæ Ducis viduam, traditũ est superius in monumentis Monasterij Stambsiani fol. 134. Eas nuptias luculenta oratione, &c. ut supra cũ Nauclero. Pallavicinus commemoratam ornamentorum summam longè derelinquens, adjungensque impretiabilem dotum conjugis thesaurum, quò amplius proculdubio Maximilianus allectus, jure merito majori eam formæ incredibilis prætio, & virtutum omnium muliebri mundo dotatam asseruit.

In Synopsi Genealog. à Maximil. ad Carol. V.

Joannes Cuspinianus agens de numero Vxorum Maximiliani, eas fuisse tres literis protulit in propria historia de eodem Cæsare. Hæc formalis integraque auctoris enarratio. Habuit autem, inquit, Vxores tres (Maximilianus) primam Mariam Caroli bellicosissimi filiam, &c. Mortua ipsa alteram Vxorem accepit Annam, Francisci Ducis Britanniæ filiam, quam per Wolffgangum de Polhaym Austriæ Baronem, & deinceps Austrialium terrarum supremum Capitaneum, suum oratorem condormivit, sed non traduxit. Quandoquidem Carolus VIII. Rex Franciæ violenter illam subripuit, remissa ejus filia Margarita, quam prius sponsam aliquot annis in Francia habuit. Tertiam duxit Vxorem Mariam Blancam, Galeatij Ducis Mediolani filiam, cum qua annis sexdecim tranquillissimè vixit, sed sine sobole in Stambs monasterio sepulta. Hactenus ille. Concedit Pallavicinus hanc eandem conjugum in Maximiliano triplicitatem, sed mutato ordine, adeo ut Anna reperiatur in postremo loco, & nõ Francisci Ducis, sed alterius Principis Britanni filia, nomine & dignitate perdiversi. Ejus verba: Anna deinde Ioannis ultimi Britanniæ citerioris Regis filia unica desponsa tantum fuit Maximiliano, sed à Carolo VIII. &c. ut supra. Promisit insuper, ait, Viennæ in Conventu Regum Bohemiæ, Hungariæ, & Poloniæ se ducturum Annam Vladislai Regis filiam, nisi alter nepotum infra anni spacium illi desponderetur. Quæ Cuspinianus, qui Maximiliano arte medica, oratoria, poetica, & historica inserviens, tradidit, haud dubium quin tanquam comperta ea paginis protulerit. Alij verò scriptores, postea dereliquerunt, eo quia neque secundum, neque quartum matrimonium ad effectum pervenerit. Mirum tamen est, cur Pallavicinus ordinem mutaverit, nisi diceremus, ex inadvertantia id effecisse.

Cuspin. in Max. ubi de ejus Vxor.

Loc. cit. in Synopsi Geneal.

Sciendum insuper præter sobolem legitimam cum alijs etiam Maximilianum proles nothas 8. genuisse. Testatur Guill. loco citato. Fuerunt mares 4. *Georgius* Archiepiscopus Valentinus, & Cardinalis, qui obijt, & sepultus

Liberi nothi Maximil. quos nondum apud alios scriptores reperi.

pultus est Leodij, cujus Episcopatum etiam administrabat, exacta ætate 1557. *Fridericum, Cornelium,* & *Maximilianum.* Totidem fœminæ, quarum 1. Comiti Rochefortio. 2. Francisco Melonioprimo Espinoi Principi. 3. Comiti Emdani fratri 4. Comiti Hillio.

Blancæ Mariæ Genealogia paterna, ac materna, virtutes, obitus, sepultura.

IOannes Attendula di Cotigniola in Lombardia nobili familia: Elisabetha Petracina Comitissa. Hæc Continuator Guillimanni, pro quorum plena intelligentia, nec non sententiæ, maximè quam ipse sequitur, afferã idiomate Italico quæ hoc nostro ævo protulit Comes Foschi ubi agit de statu Mediolanensi, ac ejus dominorum arbore genealogico. Ibi enim post primam Turrianorũ, & post 2. Viscontorum sobolem statim subdit. *Alla Visconti subintrò la Sforza, famiglia, che derivata da vil contadino nello spacio di 100. anni diede alla luce due gran guerrieri Generali d' eserciti, 6. Duchi, 2. Cardinali, una Regina, Bona dicta, ac Poloniæ Regina, e una Imperatrice.* *Hæc fuit Blanca Maria, de qua agimus.* *Muzio, ò Giacomuzzo (com' altri dicono) da Cotignola fù autor della casa.* *Questi mentre con altri compagni si trovava à far legna ne' boschi, entrato in discorso di guerra, girò, che se la di lui scure restava nel lanciarla all' insù, attaccata alla Quercia, che gliera sopra, se n' andava alla guerra, così appunto alla prova successe.* *Partissi e si portò incontinente nelle guerre, oue passato per gli ordini della milizia, arrivò con titolo di Generale à comandar molti eserciti.* *Si disse Sforza, mutato il nome di Muzio, perche trà Saccomanni Sforzava nel divider la preda i compagni.* *Da Papa Giovanni XXIII. gli fù dato Cotignuola sua Padria con titolo di Conte in ricompensa, è pagamento di 14. mila ducati di credito, ch' ei teneva nelle condotte prestate alla chiesa.* *D' età d' anni 54. volendo soccorrere un pagio, si gettò co'l cavallo nel fiume Pescara, dal corrente del quale portato, com' era di tutto ferro grave, e inabile à dimenarsi nel 1424. restò annegato, nè più il di lui corpo si ritrovò.* *Il Sansovio tiene altra opinione, e deduce Mutio nato altramente dalla famiglia Attendola, disceso dall' auò Giovanne, e Lisa Pietrucci, da cui Michelotto marito di Polisena Sanseverina, Padre, e Madre di Muzio, che apparentato anch' esso nobilmente, hebbe Antonia Salimbeni con ricca dote,*

Num. 32. loc. citati.

Opinio I. de Origine familiæ Sfortiæ.

Vnde nomen *Sfortia.*

Moritur Mutius in amne Pescara suffocatus.

Opinio 2.

ricca dote, poi Catella sorella di Pandolfello Aloppo Napolitano gran Camerlengo, e favorito di Giovanna Regina, in terzo tolse voto Maria da Marciano, dalla quale, e altre donne trasse 15. figlioli. Ma io seguitando la commune portata anco dal Giovio nell' Elogio di Sforza, mi regolo alla prima opinione, tanto piu rara in esempio, e gloriosa alla Casa, quanto che in un baleno risorta, hà sormontato le stelle.

Hucusque pro re nostra candidus scriptor. Tabularius autem Guilimannicus alteram amplectitur sententiam; at Ioannem Attendolam non avum, sed parentem Mutij efficit, hoc modo.

Hic Leo etiam in arbore Loschi.

Iacobus Mutius Sfortia, Leonem addidit huic Rupertus Cæsar. Lucia nobilis Trezania concubina.

Franciscus Sfortia Comes Tricaricensis, Dux Mediolani ex Vxore Blanca Maria Vicecomitissa. Hujus genitor Philippus Maria *Visconti* Vicecomes, Dux Mediolani, filiusque ex Catharina Vicecomitissa, Barnabæ patrui filia, Ioannis Galeatij Vicecomitis, primisque Ducis Mediolanensis: Genitrix Agnes Maina concubina, Maini genita.

Galeatius Dux Mediolani, parensque Blancæ Mariæ Conjugis Maximiliani Imp. Vxor Bona Sabaudica, cujus proavus Amædeus Dux Sabaudiæ, conjuxque Bonæ, Ioannis Ducis Biturigum Filiæ. Avus Amædeus VII. Dux Sabaudiæ, Papa Felix, maritus Mariæ Burgundæ, filiæ Ducis Burgundiæ Philippi Audacis, & Margaritæ Flandriæ Comitissæ: Parens Ludovicus, Dux Sabaudiæ, Annæ Reginæ Cypri copulatus. Genuerunt Annam Ianus Rex Cypri, Iacobi Regis Cypri, & Livæ de Iblia, genitæ Ioannis Domini de Baruth, filius; & Caroletta Borbonia, filia Ioannis Borbonij, Comitis Marciani, & Vendomij, sive Vindocini, & Ioannæ, Comitis Vendomij, filiæque, & hæredis Ioannis.

Manlius in Maximil. I.

Virtutes Xpnæ, dotesque singulares Blancæ Mariæ quatuor verbis comprendit Manlius, qui etiam de ejus obitu, & sepultura. Alteram, inquit, uxorem deindè duxit (*Maximilianus*) Blancam Mariam illustrissimi Galeatij Mediolanensium Principis legitimam filiam, modestiæ & silentij observandi studiosissimam Matronam, hæc nullo ex se edito fætu, piè mortua est, & sollenni ritu sepulta Stainæ in Valle Oenana anno, &c. Expressit Roo hunc annum à Manlio relictum, lib. 12. fol. 458. ad ann. 1511. Pridie Calendas Ianuarij dum Maximilianus Friburgi agit, ejus Vxor Blanca Maria diem obijt, nulla relicta prole.

Roo lib. 12.

De

De Maximiliani I. Imp. morbo, ac de memorabili ejus obitu, & sepultura; nec non & de ijs, quæ postmodum contingerunt.

PRodam omnia brevi ex Roo, & ex alijs, sed ex Cuspiniano dumtaxat, qui rerum gestarum MAXIMILIANI testis fuit oculatus. Ætate jam profectum se considerans MAXIMILIANUS, sive mortem haud procul abesse animo presagiens, cum Septemuiris Imperij Electoribus, qui præter Bohemiæ Regem, Augustam omnes venerant, de Carolo nepote in Romanorum Regem eligendo agere cæpit. Cumque novi exempli res esset, Cæsare necdum à Pontifice coronato, Regem eligi, in concilio propositum fuit, eo inducendum esse Leonem, uti coronam, & alia Imperatoriæ dignitatis insignia per legatum conferenda, in Germaniam mittat. Hæc etsi Franciscus Rex & apud Pontificem ipsum, cui tantam Caroli potentiam non minus quam sibi timendam ostendit, & apud plerosque Germaniæ Principes impedire nitebatur, nec Pontifex tamen, nec Electores abnuere videbantur, utque proximis Imperij comitijs ea de re perferatur decretum est. Refert Guicciardinus (nam apud alios id non legi) MAXIMILIANUM prius de Ferdinando cogitasse, sed Purpurati Sedunensis, & aliorum consilijs impulsum, quod firmius Austriacæ Domus, & ipsius Imperij stabilimentum in Carolo, tot regnorum Domino, quam in ejus fratre & unitam potentiam, quam divisam longè firmiorem esse dicerent; illum prætulisse. Soluto Augustano Conventu, MAXIMILIANUS Oeniipontum profectus, audiendis, & mittendis legationibus operam dabat, & nepotis successionem identidem urgebat. Inter has cogitationes invasit eum lenta quædam febris, quæ uti soli cœlique mutatione, aut ipso itinere discuteretur, secundo amne in Austriam descendit. Welsam oppidum cum venisset, intendi morbum videns substitit. MOX Georgium quendam Carthusianum, qui olim ipsi à confessione fuerat, Friburgo acciri jussit virum doctrinæ & Sanctimoniæ commendatione insignem. Qui cum venisset multa cum eo de animæ salute, rebusque divinis commentatus est. Aderant & MEDICI præter domesticos, Wilhelmus Polymnius, & Georgius Collimitius, ex Academia Viennensi accersiti. Hos perhumanè audiebat, ac ne aut morbi violentia, aut mortis metu deijci videretur, consiliarios interdiu, & oratores admittebat, de nocte verò (quia insomnia ad morbum accesserant) Ioannem Stabium res gestas legentem, audiebat. Postquam verò deficere jam vires animumque debilitari sensit, ultimæ voluntatis placita describi jussit, ubi & quomodo sepeliri vellet, Carthusiano præcepit.

Nota.

Maximil. ægrotatur.

Joannes Stab.

Hinc ultimis sacris ritè perceptis, animam Deo reddidit Pridie Idus Ianuarij 1519. cum vixisset annos propè 60. Guill. explicat, hoc est 59.

Naucl.

Nauclerus 63. (Kilian. 60. absolutè) imperasset 32. Kilian. 30. Bell. 26. sed solus) Sunt qui ipsi potionem dejectariam à medicis tempore non satis commodo exhibitam fuisse asserunt. Cuspinianus ventris profluvio mortuum dixisse satis habuit. Corpus ejus, uti ipse jusserat, in lecto collocatum spectatores admissos suæ mortalitatis admovit. Hinc Viennam, deinde Neapolim sive Neostadium deportatum, ubi sub D. Georgij ara conditum est. Multis & cruentissimis cum Gallis, Hungaris, Belgis, Austriacis, Venetis, Helvetijs alijsque confectis bellis annorum, & laborum pleni Principis, Herculi quam simillimi, alteriusque veluti Austriadum conditoris, Imperatorisque optimi obitum tota deploravit Germania, maximis ab eo & meritis affecta, & ornamentis decorata. Ejus Symbola, *Tene mensuram & respice finem.* Item, *Alzeit mit hut*, Quod est Latine.

Nota.

Symbola.

Item rotam molarem, in ejusque parte superiore Imperij globus cum cruce inferiore malum granatum, cujus caule juncta sunt duo folia, inscriptio, *Per tot discrimina.* Item cor humanum lauri folijs circumseptum, inscriptio. *In manu Dei Regis est.* O Felix Pater, Felix Avus, qui, Deo providente, filium nepotumque alterum Carolum, nova hæreditate auctos, Hispanis, Burgundis, Belgis, Indis, magnæ Italiæ, Asiæ, Africæ parti imperare vidit, alteri Ferdinando ad Hungariæ, & Bohemiæ regna potentissima aditum paravit, ne dicam Jmperium Romanum, Germanicum potiorem Orbis Christiani partem sua virtute, & dextera per tot verè discrimina rerum familiæ asseruit, & eodem quo Ottomannici Tyranni oriente subacto per occidentem furere cæperunt, tempore, ipsis (ne ultra pergerent) è sanguine & viscere suo nepotes, pronepotes, abnepotes, Principes fortissimos objecit. Hæc apud Kilianum, cujus omnes Austriæ Principum, à Rudolpho I. imp. usque ad Carolum, Caroli Archiducis filium posthumum, Episcopum Vratislaviensem, eicones revolui sollicitus, atque attentè consideravi. Nulla tamen ex illis imagini Maximiliani similis, neque ex his, qui adhuc supersunt, Principibus, una tantum Archiducis nostri Ferdinandi Caroli excepta. O si eum Imperij proceres Electoresque semel cernerent, parũque cognoscerent, quandoquidem compertũ sic haberent, ejus angustos intra hos montes derelictionem culpabilem pluribus extare. Quid interest, si Austriacus hic Princeps nondum anno 30. expleto Musices nimis indulgeat, ac venationi? Si hæc duo exercitia haud valdè ipse amaret, similitudine, & proprietate alter Maximilianus I. haudquaquam esset. Præterquamquod prior longe in his excessit posteriorem, ut ex Cuspiniano alibi patebit. Excoluit Maximilianus militarem disciplinã, eo quia plurimæ ei occasiones: excoleret eandem proculdubio Ferdinandus Carolus, si patrueles, & consobrini his maximè temporibus, ubi præsens necessitudo fortiter urget, armis applicare tandem resolverint, cum ipsi neque animus, neque ingenium ad Martis opera deficiat. Ingens certè emolumentum Augustissima Domus ex his juvenibus Fratribus, spectabilibus, robustis, in laboribus

Cui similis ex Principibus Austriacis superstitibus Maximilianus I.

bus assuetis, perspicacitate, solum applicatione, & exercitio carente, haud expoliati (taceant æmuli & invidi) posset lucrari, quotiens eis uti vellet, atque exteros non obseque notabili ejus jactura plerũque quæsitos, derelinquere. Prudens quilibet hos adeo solos & derelictos juvenes contuens, imminensque soboli discrimen, & periculum non tantum ipsos commiseratur, quantum ipsorum progeniei, quæ tam in avara masculorum superstitum inter tot hostes formidabilissimos germina, parum de illis curat, quibus, uti plurimum ei juvamen exhiberent, nonnisi sola applicatio, unde juveniles defectus, qui magis, ac magis otio succrescunt, facillimè, ac brevi castigari possent, deficeret.

Quæ autem contingére, defuncto Maximiliano, duo maximè admiranda censet Cuspinianus. Quod scilicet, ait, ut olim pater Fridericus Cæsar, in summa pace obijt, & quod post ejus mortem biennio tanta secuta est mortalitas, qualem ætas nostra non vidit. Nam post Friderici genitoris obitum 1493. pestilitas nonagesimo quarto, & quinto multas civitates, & villas penes desertas reliquit. Post mortem verò Maximiliani tam crudelis, tam sæva, tam stupenda biennio post oritur pestis, quæ oppida integra depascitur, ac deserta facit, adeo ut frumenta in agris non secta maneant, à nemine que colligantur, nullam arcem, nullum castrum, nullum oppidum, villam, vicum absque tabe relinquat. Æstimatur tertia pars hominum Austriaca hac esse peste sublata. Deus Optimus Maximus nostri misereatur, & iram suam jam avertat, qui certè si in obitu Ferdinandi IV. Romanorum Regis superstes esset, ac deinde annis alijs duobus, quibus vix elapsis quam horribilis pestilentia totum penè regnum Neapolitanum desolata est, damnumque plurimum Romæ & alibi per Ecclesiasticas ditiones, nec non & Januæ intulit, alio certè atramento, alijs fletibus admixto adnotaret. Ast nisi Deus iram suam, sceleribus nostris quàm justissimè debitam misericorditer à nobis averteret, peiora utique expectanda Ferdinando III. Cæsare è vivis, jam per totam Europam hostilibus copijs horrenda, ostinataque licentia circumfusis, celeri exitu sublato.

Cuspin. in Maximil.

Auctor in Ferdinando IV.

SECTIO II.

Continens tria Conjugia Philippi I. Regis Hispan. Caroli V. & Ferdinandi I. Imperatorum.

MATRIMONIVM II. ET I. MONARCHICVM.

Philippus I. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgi, Comes Habsburgi, Flandriæ, Teriolis, Hispaniarum Rex I. cognomento Pulcher prior omnibus Austrium avitumque genus Germaniæ & Iberiæ feliciter protulit, ac summa fortuna cumulavit. Vxor propagatrixque Monarchicæ sobolis Ioanna Catholica Aragonia bonorum parentum hæres unica 1496. sub Pontificatus Alexandri VI. anno 4. Imperij verò paterni 2.

Ingenuum ac singulare præsentis conjugij super commemorata, nec non & commemoranda auspicium pluribus ex causis

Roo loc. cit.

Vnde hoc nomen *Philippus* in Austriacis.



Ilium peperit Maria Burgunda, qui sexto post dié ad D. Donati à Tornacensi Præsule sacris aquis lustratus, ex matris voluntate (uti ferebatur) avitum Philippi nomen sortitus est. Fidei jussére pro eo Adolphus Ravensteinius Imperatoris, Petrus Lucemburgus Comes S. Pauli, Eduardi Anglorum Regis nomine, & Margarita Caroli Avi vidua. Ingens jure merito non Brugis tantum, sed in alijs quoque civitatibus gaudium ob natum Principem, multique festi ludi, aliaque publicæ lætitiæ argumenta. In primis verò baptismi apparatus magnificus, & pompa penè regia. In isthoc Austriaco Principe ætates quatuor, & non amplius, nimirũ infantia, pueritia, adolescentia, & juventus, totus enim in eo vitæ decursus annorũ tantũ 28. Et tamen quamplurimæ ejus prerogativæ, dotes, gratiæ, de quibus sicuti & de ejus rebus gestis alibi singillatim. In præsentibus sufficiet brevi afferre, quod

quod etsi cognomento formositatis Fridericum III. Cæsarem adæquarit, majori tamen, ac nobiliori correspondentiæ vinculo exterior in eo corporis forma ei animæ mirum in modum famulata est. Atque exinde quemadmodum nomen Philippi in ipso prius inter sui generis antecessores Principes auditum est, ita pariter & cognomen illud Friderici Pulchri quantum ad interiorem formam, unde illud virtutum mirabile decus erumpit, quod in Tito sæpius admiratus est Orbis, quodque in Christiano, ac Catholico Rege terrestria, Cœlestiaque vi incredibili allexit. Duplici ergo, naturæ scilicet & bonitatis miracolo sub anno ætatis suæ 18. mirandam Sacramentali maritalique ligamini annexam millesimo quadringentesimo 96. ut habeo ex cap. 3. ejusdem lib. 22. M. S. citati, cum conjuge sua contraxit parentelam. Cum omnium, inquam, instar fœminarum IOANNA, Ferdinandi Catholici, & Isabellæ filia, quæ annos 25. habebat, quæque fratre Ioanne Hispaniarum Principe absque sobole, sorore quoque Elisabetha Emmanuelis Portugaliæ Regis Vxore, & quem illi progenuerat, Michaele extinctis, tantarum opum, & regnorum unica hæres Domum Austriacam summo opere illustravit, & stabilivit. Adolescens viginti annorum duorum quatuor admiranda Orbi exhibuit. Primum est rara illa indoles, & habilitas, per quam gubernaculis Belgigarum admoveri dignus repertus. Secundum, quia statim in eo regimine insigni bonitate, clementia, moderatione, affabilitate, mansuetudine, & cognatis virtutibus, quæ Principibus Austrijs ceu gentilitiæ dotes sunt, ita enituit, & eluxit, ut amor ac deliciæ generis humani dictus, omnium vicinorum Regum, & aliorum hominum benevolentiam, & studia mirifice sibi conciliavit. Tertium est ingens illa felicitas, qua ejus peregrina fœcunditas, ea Philippi Macedonis, unde Magnus exortus Alexander, fortunatior, edidit CAROLVM V. qui cunctis suæ ætatis & superiorum ferè sæculorum multis Regibus etiam ipsi Alexandro potentia, & fælicitate Heroica antecelluit. Quartum, nam post annos tres genuit FERDINANDVM I. inter Romanos Cæsares magni nominis Archiducem. Aliud singulare meritum in Philippo I. & in omni quoque ejus progenie per suum matrimonium animadvertendum. Ipse enim hoc conjugio primum generali ordinum consensu Toleti cum Vxore *Princeps Castiliæ* salutatus 10. Calend. Junij 1502. ac postremò exequijs Isabellæ socrus, quæ 1504. 6. Calend. Decembr. obierat, Medinæ Campi & ritè peractis, Bruxellis Castiliæ & cæterorum Regnorum Rex proclamatus est postridie Idus Febr. 1505. Qua de re Philippo I. & per eum posteris deinceps Archiducibus Monarchicè regnantibus venit hæreditariò non solum cum tot tantisque veteris Mundi regionibus totus novus orbis veterem exequans, verum etiam illud cognomentum, quod *Christianissimi* agnomen superans (ut alibi à me Italicè disputatum est) nonnisi immensa Pietatis bona, bona temporalia abundè auspicantia, gaudentibus ipso supponit. Catholici nomenclatura Ferdinando Magno Aragoniæ Regi, & Isabellæ

In adolescentia Philippi 4. animadvertenda.

Galaria Sacta Auct. M.S.

bellæ Conjugi ob ejectos ex Granata Saracenos, qui jam 770. annos Regnum ibi tenuerant,& Chriſtianam Religionem, abolitis in tota Hiſpania Maumeticis ſuperſtitionibus reſtitutam. Hæc eadem cum bonis omnibus Philippo I. quem ſibi in filium adoptaverant,hæreditariò primum tranſivit. Faxit Deus,ne extincto Philippo IV. ſine prole maſcula,alijs familijs transferatur. Cum facillimè contingere poſſet, quod, majorum exemplis derelictis, ab illis turpiter degeneret.

Vt ignis quo clarior fulſit, eò citius extinquitur, & ingenia quæ illuſtriora breviora ſunt: ita de Philippo tot Provinciarum, & Regnorum Principe optimo, & potentiſſimo Virgilianum illud rectè uſurpari potuit

Oſtendunt terris hunc tantum fata, nec ultra
Eſſe ſinent.

Mors Philippi ante Maximil. patris obitum ann. 13. Lib. 12. fol. 432. Kil. Imperij Belgici ann. 12.

Nam 28. ætatis anno, qui fuit à nato Chriſto 1506. 7. Cal. Oct. ante Maximiliani patris exceſſum tredecimo, in Hiſpanis, ſocrui Eliſabethæ in Caſtiliæ regnis ſuccedens, è vivis ſublatus eſt,regnans tantum an. 1. men. 7. dies 10. Gerardus de Roo explicitius de obitu tanti Archiducis. Dum hæc Venetijs aguntur,funeſti ex Hiſpania nuncij afferuntur de Philippi Regis morte, qui Burgis Caſtellæ urbe ardenti febre ad ſeptimum diem Cal. Octobr. ſublatus, non minorem ſuis omnibus luctum reliquit, quam ſpem de ſe excitaverat,cum 25. imperij materni,& 28. vitæ annos expleviſſet Ex ultima ejus voluntate, ut quidam aſſerunt, inteſtina illic ubi obierat,corpus Granatæ Beticæ, cor Bruxellis conditum cum tali epitaphio

Vrbes & populos diverſaque regna tenebam,
Spes dabat Imperium, ſpes dabat Orbis opes.
Si ſpes in quemquam ferat mihi gloria prima,
Heu heu quanto fuit ſpes mea tanta jacet

Etiam fœliciſſimè obijſſe Philippum,feliciſſimaſque ſui conjugij ſex proles, titulis magnis, Imperialibus,& Monarchicis,regibus magniſque connubijs condecoratas, extitiſſe, omnibus compertum. Ipſe primus magno Philippæo nomini, quod in ipſo naſcebatur, Auguſtæ genti & Auſtriæ Imperatrici in Hiſpanica Monarchia ſuis maritalibus federibus ſubdens orbem terrarum, Auſtriadum pulcherrimum pulchra cœlum ſobole beavit. Et licet (cum nihil ex omni parte beatum, & hæc eſt pæna mortalibus impoſita, ut omnis pulchritudo brevi contabeſcat) in flore ipſo regnatricis vitæ Philippus Pulcher defloruerit, in Cœlum tamen tranſcriptus, ut ejus pietas, at tot Xp̄næ virtutes id ſuadent, creditur,ubi ipſum felicitatis Regnum ſub florido Paradiſi nomine vernat. Reliquit Carolum, Ferdinandum, Leonoram,Eliſabetham, Mariam infantes, & Catharinam poſthumam. Ex Continuatore Guillimanni filiorum hic ordo, quem idem poſtea auctor immediatè capite ſequuti ubi de Vxore Philippi mutavit. Eſt enim hujuſmodi. Eleonora, Maria, Eliſabetha,Catharina, Carolus V Imp. Ferdinandus Cæſar. Apud Roo ſeries hoc modo,Carolus, Ferdinandus,Leonora,

Vide eum fol. 432. cit.

Cathatina

Catharina, Isabella, Maria. At in nullo istorum ordo nativitatis servatus, neque in Manlio, ubi post Carolum, & Ferdinandum, fœminæ, quæ tres tantum apud ipsum, Maria, Catharina, Leonora. Kilianus pariter ordinem nativitatis reliquit, in eo siquidem Carolus, Leonora, Elisabetha, Ferdinandus, Maria, Catharina. Ex Gans, & Pallavicino neque hic nativitatis ordo haberi potest, alter enim distinquens inter liberorum sexum, prima vice elocat fœminas, deinde masculos, contra vero alter. Itaque cum adhuc apud præfatos historicos hunc à me valdè optatum, ordinem reperire non potuerim, sufficiet ipsius partem lectori exhibere hoc modo. Leonora nata est Lovanii 1498. Carolus V. Gandavij 1500. Ferdinandus I. Compluti 1503. Catharina posthuma post parentis funus 1506. vel ad plus 1507.

Prosapia paterna, ac materna Ioannæ Aragoniæ Catholicæ, Regnorum, & Monarcharum in Domo Austriaca Seminarij.

Abavus Joannes.

IOannes I. Castiliæ, & Legionis Rex, qui ducta Eleonora, filia Petri IV. Regis Aragoniæ, duo gravissima bella gessit, contra Lusitanos unum, eo quod defuncto Ferdinando socero, eidem ratione Vxoris succedere vellet; illi verò suffecto Ioanne ordinis equestris ex stirpe regia, huic Ioanni restiterunt. Alterum bellum movit Ioannes hic in Anglos, qui eum nitebantur pellere Regno Castellæ, & Legionis. Nam filius Regis Angliæ, qui Vxorem habuit filiam Petri Regis Aragoniæ, jure Vxoris petebat idem Castellæ, & Legionis Regnum. Cæterum bellum illud per superveniens conjugium pacatum est

Tom. 1. M. S. num. 33. Vide etiam Ioan. Nauclerum ad ann. 1410.

Ferdinandus Proavus Rex Aragoniæ, & Siciliæ, factus Rex Aragoniæ posteaquam Martinus Rex ejus Regni sine hærede decessisset. Mater enim ejus fuit Vxor Petri Regis Aragoniæ. Habuit fratrem Henricum, qui patri Ioanni in Regno successit: hic filiam suam Mariam fratris sui filio Alfonso locavit, quæ Regnum Aragoniæ annis 25. administravit interim, dum maritus ejus Alfonsus absens detinebatur in Italia propter Regnum Siciliæ. Post hunc Henricum filius ejus Ioannes II. rerum potitus est in Castella, genuitque ex Vxore Maria filia Ferdinandi supradicti Henricum Regem Castellæ. Fecit quidem negotium socero, aut verius patruo suo propter Regnum Aragoniæ, sed nihil effecit. Persuasit huic Vincentius Cænobita Ordinis Prædicatorum, ut è Regno suo omnes Judæos expelleret, quod & fecit, servatis eorum bonis in Hispania. Tunc vidisses Iudæos multos metu rei amittendæ sacro fonte ablui, cæterum clam paternis legibus invigilare. Marranos hos vulgus hodie appellat, pessimum voraxque

Expulsio Iudeorum.

genus hominum. Henricus hic in regno patri ſuccedens anno 1454. occupavit etiam quaſdam Civitates Saracenorum. Deinde & Regnum Navarræ per Caroli filij Ioannis Aragoniæ Regis mortem aſſecutus eſt. Hujus ſoror Eliſabeth nupſit tandem Ferdinando Regi Aragoniæ, & Siciliæ, cujus Pater (de hoc ſtatim) Ioannes fuit Ioannæ, de qua agimus, Avus. Sed Ferdinandi Proavi Vxor Vraca, poſtea Leonora Albuquercia, quam cum Beatrice Portugalla, Petri Regis filia Sancius Comes Albuquercius ex regia Caſtiliæ familia filiusque Alphonſi 9. procreaverat.

Joannes Avus Rex Navarræ, Aragoniæ, & Siciliæ, qui poſt Alphonſum Siciliæ & Aragoniæ Regna obtinuit Duxit hic Ioannã, Friderici Henriquez, Admiralij ex regia familia, genitiq; ex Ioañâ Mendoza, filia Petri Gonzales Mendozæ, Alphonſi Henriq. Admiralli Caſtiliæ, nepotiſq; Alphonſi 9. filiã, nec non & Marinæ Comitiſſæ Cordubæ, cujus genitor Didacus Ferdinandus Marſcallus Comes Cordubæ Dominus de Vacua; genitrix verò N. Ferdinando illegitimo Siciliæ Rege excluſo. Sorores Joannis fuerunt Maria Regina Caſtellæ, & Ioanna Regina Portugalliæ. Genuit hic Ioannes Ferdinandũ patrem jam dictæ Ioannæ. Qui Princeps Magni, & *Catholici* nomen adeptus eſt, Iulij II. diplomate, nam præterquamquod juvit maximè ſuccurritque Sedi Apoſtolicæ, anno Chriſti 1454. Saracenos quoque omnes ex Hiſpania, præſertim ex Granata ſuis armis, & virtute expulit, quam jam occupaverant pluſquam annis 700. Etſi eandemque nomenclaturam multo ante A. C. 734 Rex Alphonſus I. Chriſtianiſſimus, at pijſſimus Princeps, obtinere meruiſſet. Excluſit quoque Regno ſuo Marranos illos, & regna duo Neapolitanum, & Siciliæ obtinuit.

Ferdinandus Catholicus Parens Rex totius Hiſpaniæ. Vxor Eliſabetha, ſive Eliſabella, Reginæ Caſtiliæ filia ſecunda. Primogenitam enim matris Emanuel Luſitaniæ Rex (nuptam antea Alphonſo VI Ioannis II. Luſitaniæ Regis, patruelis ſui filio, ante patrem mortuo) Vxorem duxerat. Quo ipſo nuptiarum tempore Ioannes, Ioannæ matris Caroli V. frater, Ferdinandi Aragonis filius unicus (in cujus matrimonio Margarita Philippi Archiducis ſoror, Caroli V. amita vivebat) adoleſcens diẽ ſuũ obijt, relicta conjuge gravida, quæ cũ paulo poſt obijſſet, Emanuel cũ conjuge Eliſabeta in Caſtellã ſequenti anno vocati, velut legitimi regnorũ hæredes fidẽ à populis acceperunt. Cæſaraugaſtæ Aragoniæ Metropoli dum commorantur Reges, & de conditionibus fidei à Cæſarauguſtanis dandæ aliquot menſes cum illis diſceptant, Eliſabetha junior filium Michaelem ſumma cum avi Ferdinandi, & parentum lætitia, & totius Hiſpaniæ plauſu peperit, quem infantem univerſa Hiſpania & Luſitania regem ſumma conſenſione, fide ipſi jurata, ſtatim declararunt. Sed Deus æternus, & ſummus Rex, qui Imperia & Regna ipſe conſtituit, & transfert, & cui ipſe vult, tribuit, non *Luſitanicæ* ſed Auſtriacæ ſtirpi, non *Emanueli*, aut *Michaeli*, ſed Philippo,

Dei Providentia Hiſpaniæ regna Auſtriacis obvenerunt.

Philippo, & Carolo amplissima Hispaniarum regna destinarat: matre enim Michaelis in partu extincta, & infante bimo ex his terris migrante, successionis jus omne ad maternam ipsius *Ioannam Philippi Archiducis Austriæ*, & Ducis Burgundiæ conjugem devolutum est.

Ferdinandus unum habuit ex Elisabetha Henrici Regis Castellæ sorore filium Ioannem, cui nupsit Margarita Archiducissa Austriæ, filia Maximiliani I. soror Philippi I. Sed ante patrem mortuus est, nullo hærede regni successore relicto. Quo circa Rex Ferdinandus hic filium sibi adoptavit Philippum Archiducem Austriæ generum suum. Proavus Isabellæ, Joannæ genitricis, Joannes I. Rex Castilliæ, & Legionis ut supra. Avus Henricus Rex Castilliæ, & Legionis, cui Vxor Catharina Ducissa Lincastri, cujus parentes Ioannes Dux Lincastri Anglus, Eduardi III. Angliæ Regis filius, & Constantia, Petri Castilliæ Regis filia. Pater Ioannes II. Rex Castilliæ, & Legionis. Mater Isabella Portugallica, filia Ioannis Ordinis S. Jacobi Magistri, & Carlottæ Reginæ Cypri. Illum genuere Ioannes I Rex Portugalliæ, & Philippa Ducissa Lincastri, Regis Angliæ Henrici III. soror: Hanc vero Joannes Rex Cypri, & Helena Paleologa Andreæ Despotæ Moreæ filia, neptis Imperatoris.


Amor excessimus Ioannæ erga maritum.

Igitur Joanna tanto mariti sui amore flagravit, Manlio teste, ut cum Philippus in flore ætatis immatura morte præventus Burgis in veteri Castillia 1507. obijsset, impatientissimè ferens ejus desiderium, in mentis errorem, & penè in delitium inciderit, &c. Sepultus apud Cartusianos ejusdem urbis monasterio. Janna conjux mariti ex obitu, ut plerique voluere, vitiata mente, longo cum secuta intervallo, denique esse desijt 1555. cum septuagesimum annum excessisset. Granatæ sepulta in patrio monumento.

Sepultura Philippi I Ioannæ obitus, & sepultura.



MATRI-



MATRIMONIVM III.

ET II. MONARCHICVM.

Carolus V. Imperator Romanorum Maximus & Fortiſſimus Rex Germaniæ, Caſtiliæ, Aragoniæ, Legionis, utriuſque Siciliæ, Hieroſolimis, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algieræ, Gibratteris, Inſularum Canariæ, Indiarum, Terræ firmæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgi, Luzemburgi, Geldriæ, Calabriæ, Athenarum, Comes Hennigovviæ, Holandiæ, Selandiæ, Ferretis, Kiburgi, Flandriæ, Habsburgi, Tirolis, Barcinonæ, Artheſiæ, Namurci, Roſſiliæ, Ceretuniæ, Zutphaniæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Burgraviæ, Oriſteiniæ, Princeps Imperij Sueviæ, Cathaloniæ, Aſturiæ, Dominus Friſiæ, Marchæ Schlavonicæ, Portus Naonis, Salinarum, Piſcaiæ, Molinæ, Tripolis, & Mechliniæ, ſtirpiſque Auſtriacæ Hiſpanicæ Monarchicus propagator. Vxor, ac ſibi ſimile in germinanda potenti ſobole adjutorium, Iſabella Portugallica. 1520. ſub Pontificatus Leonis X. anno 8. Imperij initio Mariti ſui I.

Non eſt opus in præſenti conjugio, magna felicitate undequaque affecto, plurimum immorari. Res geſtæ Caroli V. præ manibus omnium, cum eas ſcriptores quamplures luculenter impreſſerint. Quas, nobis, ad ejus enucleanda egregia opera, recenſere, neceſſarium foret, eis peculiarem ſcriptitationem ſeorſim aſſignare. Hoc in loco ſufficiet quidem animadvertere, omnia proſpera eveniſſe Carolo V. gratia, & natura mutuis ac peregrinis favoribus eum aſſiduè, & abundè cumulantibus. Naſcitur ut fortunatus, nam ejus ortus ab aſtris, ab anno, à die & à loco. Primum adventũ Mathematici poſuere ſub pari Syderũ aſpectu cũ Cæſere Auguſto, ſed hoc plenius in proprio Gentilitio. Secundum, & poſtremum notat

tat Surius in appendice ad Nauclerum. Natus est inquit Carolus anno jubilei qui est annus gratiæ & tertia post mediam noctem hora, & Gandavi, quod est maximum ferè totius Europæ oppidũ. De die paulo post. Educatur ut rarum omnium virtutum Christianos inter Heroas speculum,& exemplar. Didicit enim illam sapientiam;ex qua præter linguas multas, quibus perfecte callebat, illam apprehendit allocutionem,per quam nunquam lassus visus est orando Vnde de eo ceu in proverbium prodebatur, *Carolus sæpius cum Deo,quam cum hominibus loquitur.* Idcirco non mirum si de eo fama fuerit semper, *Carolum sapientissimum senatorum, fortissimum centuriorum, Pientissimum Judicum fuisse.* Infans, & Orphanus, magnus parens magnarum prolium jam futurus, ingenti patris regimini succedit. Adolescens tanquam novellus, ac verus Atlas ad substinendam molem Imperij idoneus, in Regem Romanorum absens, & vix defuncto Maximiliano ejus ex parente avo eligitur. Magna in tanto adolescente procerum, & Principum Electorum, & Theuthoniæ expectatio nonnisi amplum magnorum facinorum Heorum orbi aperuit seminarium, cujus unicus rector ipsemet, & ipse totus Numinis ope, & auxilio pendens. Hinc tanta illi in omnibus felicitas, tam insignes victoriæ, adeo ut ob multa fortissimè gesta Galli eũ Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Davidi, Siculi Africano Hispani Alexandro Magno, Turcæ Iulio Cæsari, Afri Anibali compararint. Hæc ex eodẽ Surio ibidem. Statim deinde matrimoniali jugo nuptijs valdè fecundis astringitur. Percurrit vivendi rationem veluti unicũ Cœli miraculũ. Et jam teste Surio citato ad ann. 1559. ut Miraculũ naturæ sui temporis à sapientibus, & bonis quibusdã viris familiaritate interiore fruentibus perhibebatur, tanta erat in Carolo & morum, & sapientiæ, & pietatis præstantia. Tota deinde ejus vita, pietate procreata, lactata, nutrita, educata, ac veluti immobile adversus Lutheranismum tunc principio debaccantem propugnaculum firmata, in tam singularem pietatem ultimis annis erupit, ut in ingentem stuporem totum terrarum orbem, Christianum, religiosum, ethnicum induxerit. Illud epithetum, Carolus Imperator Romanorum, adjectivo Maximus, injunctum tribuit tanto Principi in Brevi quodam Apostolico Paulus III. Pontifex Romanus anno 1547: Videtur sanè veluti à perapta, ac firmissima basi sustentatum, ut omnis laudum Caroli machina recenti, ac ingenua structura inde exurgeret.

Natus igitur Carolus 1500. 24. Februarij Gandavi Flandriæ Metropoli. Eo die, nempe S. Apostoli Matthiæ, sibi in omnes eventus faustissimo, quo Bononiæ à Clemente VII. 1530. coronatus est Imperator. Aquisgrani diadema argenteum Carolinum acceperat 1520 4. Idus Nov. cum prius 1519. in ætate ann. 19. Francofurti renunciatus esset, & ipse in Hispanijs die 28. Iunij. Vnde paucis mutatis in melius & verius oraculum resonare potest illud Maronis ij. Æneі.

Carolus è pulchro nascetur origine Cæsar,
Imperium Oceno, famam qui terminet astris

Altero anno scilicet 1520. die etiam S. Matthiæ nuptijs celebravit cum Isabella filia Emanuelis Regis Portugalliæ,& Mariæ Ferdinando Catholico, & Isabella genitæ. Hæc supputatio apud Gans ubi de liberis Caroli V. M. S cap. 23. affert, Carolum duxisse Vxorem Isabellam Sibiliæ; & paulo ante annum 1526.

Postremo Caroli vita, Christiana, Catholica, admiranda, & omni præconio maximè merita non potest, ut reor, validiori argumento demonstrari; nisi eo dumdaxat, quo mutationes multæ, & insignes imperiorum, quæ in ejus tempora inciderunt, abs scriptoribus veluti memoria posteritatis dignæ proponuntur. Spectantque tam ad Religionem, quam ad dominia, & familias, quæ regna, & principatus universa penè Europa tenuerunt. Quæ haud quaquam ab eo Politicorum axiomate, *Centenarias periodos fatales esse Regnis, rebus publicis, regijs stirpibus historicorum monumenta, sed* à Deo constitui, & aliquantisper servari imperia & progenies Heroicas, & juxta Syracidæ sententiam, *Regnum à gente in gentem propter tyrannidem, injurias, & alia Principum & populorum delicta, transferri ostendunt*. Regum Hispaniæ vetusta stirpe Gothica in Ferdinando Catholico, Caroli V. avo materno extincta: Archiducum Austriæ familiam, à Rudolpho Habsburgense ortam, ad Hispaniæ dominatum Deus evexit. Cui recens Lusitania etiam tota, & latissimè patentes, *Africæ, India*, & insularum maris Eoi ditiones accesserunt, ut novum quoddam Imperium, omnibus cæteris hac ætate toto in orbe florentibus potentia & amplitudine antecellens, ab occasu exoriri videatur. Hispaniæ enim novus terrarum Orbis non tantum duplo tota Europa major, ut placet nounullis, verum etiam qui sub America, quarta hodie Mundi parte, nomine, solus Asiam, Africam, & Europam magnitudine adæquat, ut dictū cum Sciopio in 1. Gentilitio: Lusitaniæ verò, amplissimæ in littoribus Africæ & *India Orientali* regiones, ad Japoniam & *Moluccas* usque hoc nostro sæculo accreverunt. Italiæ etiam pars maxima, excussis per Hispanos prioribus Dominis, in Hispaniæ Regum potestatem, ac ditionem pervenit. Neapolitanum enim Regnum, quod dimidiam Italiæ longitudinem à Lyri flumine ad fretum Siculum occupat, Alphonsi Magni Sapientissimi & optimi Regis, nepotibus per Hispanos, & Gallos ejectis, & mox Gallis per Consalvum oppressis, Ferdinando Hispaniæ Regi, Caroli V. avo materno, illiusque posteris cessit. Mediolanensem autem ditionem opulentissimam Gallis, qui jam 22. annos illam tenuerant trans alpes profligatis, Franciscus Sfortia, & hoc extincto, Carolus V. possedit. Romam ipsam, veterem Imperij Sedem, Potifice capto, & omnes ditionum illius urbes & arces,

[Margin notes: Imperiorum mutationes insignes Caroli V. tempore. — 1516. — 1580. — Vide Seifridum lib. 2. cap. 2. fol. 12. — 1501-1503.]

arces, in Caroli V. potestatem per illius duces redactas, optimus Imperator intra annum vertentem Pontifici restituit.

Florentina, & Senensis Respublica olim liberæ & florentes Caroli V. armis domitæ, Medicæos Duces receperunt. Inter cætera verò Europæ & Orbis Christiani regna Germanicum Imperium solum ferè in una Austriæ Archiducum familia conservatum est. Quæ omnibus in Germania & tota Europa Principum familijs nunc dignitate, potentia, & ditionum latitudine anteit, eodemque penè tempore cum Ottomanica Imperatorum Turcicorum gente circa annum Christi 1300. crescere cæpit & florere. Etsi Electorum SAXONIÆ dignitas & ditiones aliquot, capto Joanne Friderico Saxone, Dominum mutarunt, tamen singulari Cæsaris Caroli Victoris Sapientia, & bonitate in ejusdem Domus Saxoniæ Principem Sobrinum translatæ sunt. Geldriæ Ducum *Egmondanæ* originis series, in Carolo Egmondano prorsus deleta, & ditiones illæ, ad Rheni ostia florentissimæ, ad Burgundicam Domum redierunt: quæ Westfrisios etiam primum sub Saxoniæ Ducibus *Alberto*, & *Georgio*, deinde sub *Carolo Geldrio* tumultuantes subegit, & vicinos Groningenses, qui Trajactensem Episcopũ olim titulotenus agnoscentes, postmodum EZARDO Frisiæ orientalis Comiti novennium, deinde Carolo Geldriæ Duci annos 22. paruerunt, tandem spontè deserto Geldro, Burgundis se degentes, subjugavit. BELGICæ gentes sub Carolo V. florentissimæ & opulentissimæ perpetuò ferè 40. annorum bello intestino afflictæ à Germanis, Gallis, Anglis, ut illi olim ab Ægyptijs & Syris Scipionibus dextras eorum perforantibus, patrocinium & defensionem frustra expectarunt.

Dignitas Domus Austriacæ.

1547.

1538.

1543.

1516.

1506.

1514.

1536.

In his omnia verti cernens Christianissimus, ac Religiossimus Cæsar Carolus Austriacus, atque alia assumere robora gentes, concidereque has. Qua rerum humanarum instabilitate, ac potentium Imperiorum & gentium totarum ruinis, ad monitus, cum omnia, quæ magna, & firma, in Mundo habentur, atque ut ejusmodi tenaci libidine, & cupidine decrepita adhuc ætate, spiritu quoque penè emisso ut plurimum amplectuntur, caduca & flexa videret, majori studio unum, & summum bonum, quod solum solidum & perpetuum est, DEUM ipsum & vitam cum Deo beatam & sempiternam admiratus est, & conquisitus etiam more rituque monastico tanquam novus in Orbe cœnobita, & Cæsar voluntate & presentia ore, corde, & opere illis generosa salutatione, qua generoso bello de seipso totaliter triumphabat, valedicendo. Insonuerat semper cordi Caroli tuba illa tragica.

Non sic Libycis Syrtibus æquor
Furit alternos volvere fluctus:
Non Euxini turget ab imis
Commota vadis unda, nivali vicina prolo,

Sen. tragicus

Vbi caeruleis immunis aquis
Lucida versat plaustra Bootes;
Vt praecipites Regum casus Fortuna rotat.

Propterea haud mirum si vitæ suæ integrè, graviter, probè & præclarè actæ, exitum quoque pium, & placidum fecit respondere. Nam laborum annorumque plenus continua corporis ægritudine penè consumptus Philippum Filium ex Anglia Bruxellam evocat, eique ibidem in pleno Ordinum Conventu eodem adhuc anno 1555. ipso festo Simonis & Judæ, paterna vel recens acquisita, tandem etiam mense Septembr. Ferdinando Fratri Imperium libens, volensque renunciat; & eodem adhuc mense cum Leonora, & Maria sororibus Classem Zeburgi Zelandiæ conscendit, felici navigatione Laredium Biscaiæ Oppidi portum appellit, inde Vallisoletum. Hinc in Extremaduram Provinciam delatus, in Monasterio D. Justi Ordinis Eremitarum D. Hieronymi, loco solitario religiosæ vitæ inflammatus raro ævi nostri exemplo biennio haud integro reliquum (assumptis aliquot pijs viris ut fert Genebr. ad ann. 1555.) sanctissimè transigit. Cum ad lentam tabem aucta febris accessisset, imaginem Christi Crucifixi amore cujus sepenumero flagellis, & disciplinis usque ad sanguinis profusionem nudam carnem percusserat (de ejus sanguinea scutica in Philippo II. filio) aliquot dies ulnis, oculis, & ore complexus, in eo uno, & solo se omnem salutis suæ fiduciam collacare declaravit. Et sumpta denuo Eucharistia *In me manes*, inquit, *dulcissime Servator, ut ego in te maneam*, inter has voces, & veræ pietatis & fidei in Christo acquiescentis significationes illustres, optimus & sempiterna memoria dignus Imperator ex hac vita discessit 1558. die 12. Septembris. Ita M.S. loco citato, quod cum supradicta omnia ferè ex Surio mutuasset debebat advertere quod ibi in textu dicitur die 21. Sept. at credendũ scribam potius errasse, quam ejus continuatorem. In eodem Surio legi Carolum in ea solitudine cum esset in precibus ardentior sæpè & valdè piè pro Ecclesiæ concordia Deum orasse, inquiens, *In manus tuas, Domine, tradidi Ecclesiam tuam.* Septimo à translato Imperio mense præsente Archiepiscopo Toletano omnibus Sacramentis Ecclesiæ imbutus maximam vim lacrymarum effundens expiravit anno ætatis suæ 58. Ante mortem post sacram unctionem licet jam ante corpus Domini accepisset iterum illud ibidem cæpit, dicens *In me manes*, &c. Gans Monasteriũ Vallis Toletanæ ingressus, post semestre 21. Septembr. mortuus. Kilianus 21. Octobr. ipso D. Matthæi animam Deo reddidit. Concordat Theodorus Petreus, sed hallucinatur inadvertenter in nonnullis, præcipuè circa ætatem Caroli, inquit enim. Postquam regnasset annis 37. imperasset verò 26. feliciter tandem ad Dominum undecimo Cal. Octobris migravit, cum vixisset annos sexaginta octo, menses sex, dies viginti septem. At totum imperatorium regimen duravit in Carolo ann. 36. regium verò 40.

Renunciat Carolus Monarchiæ, & Imperio.

Fit Cœnobita.

Morbus Caroli

Ingens pietas erga Crucifixũ.

Allocatio ad Eucharistiam.

Vbi de liberis Caroli V.

In propria Eicone.

anno

anno siquidem 1555. mense eodem Octobri, ut fertur, tam primogenito Philippo Regnum Hispaniarum, quam Ferdinando fratri Imperium Germanicum sponte tradidit. Item Caroli vita solum duravit annis 58. M. S. in additiuncula vixit ait Carolus annos 57. menses 5. dies 25. Regnavit in Hispaniam, & Siciliam regnis hæreditarijs annos 40. imperavit 36. Sepultura Caroli, ut Gans, Granatæ: ita pariter & Kilianus aiens, sepultus Granatæ juxta matrem, avam, & avium maternam. Manlius verò moritur, inquit in Hispania anno 1558. Septem. die 20. sepultus in novo Monasterio, quod *Escurial* vocant. Quod Rex Philippus etiam magis magisque ornare, & instructissima omnis librorum generis Bibliotheca locupletare non cessat. Est enim illò locus propter amænum situm, tranquillumque secessum tam Musis quam sacris hominibus maximè idoneus. Hæc ille: nec perperam id retulit, nam ut animadvertit tom. 2. M. S. in tacta additiuncula ad Carol. V. primò uterque Carolus scilicet, & Isabella Vxor Granatæ sepulti, post ad Escuriale translati. Onuphr. in Paulo IV. ait primò de Caroli abdicatione, quo tempore cum Carolus V. rerum humanarum tedio affectus fratri Ferdinando jam Cæsari creato Imperij, quo se abdicaverat, titulos per manus tradidisset, Pontifex translationem illam tanquam se inconsultò, & præter sacros canones factam improbavit; neque Ferdinandum Imp. suscipere, neque ejus legatum Martinum Gusmanum nobilem Hispanum publice voluit, privatim tamen eum humaniter excepit. Secundò fert de ejus obitu. Carolus V. nobilissimæ memoriæ Imperator, qui post hoc victorias partas, regnorum, maximi post Carolum Magnum Imperij, & rerum denique omnium humanarum cura abdicata, totum se quietiori vitç, & cœlestis meditationis studio dederat in monasterio S. Iusti diœcesis Placentinæ. Castellæ veteris ij. Cal. Octobr 1580. rebus humanis feliciter excessit. Mortuo per eos dies Polo Cardinale, viro moribus integro idem Onuphr. & multorum virtutum opinione vulgò commendato, quem non sine magna omnium admiratione legatione Anglica privaverat Pontifex; & defuncta etiam Maria Anglorum Regina, pro qua re alterius Reginæ Isabellæ fomento Regnum Angliæ denuo ad priores hæreses redijt.

Onuph. in Paulo IV.

Æterno & præpotenti Deo, cujus dona eximia sunt boni, & sapientes Principes, qui imaginem, & vices Dei in regendis Imperijs gerunt, toto pectore gratias agamus, quod ex nobilissima Archiducum Austriæ familia longo ordine bonos, justos & moderatos Imperatores Germaniæ largitus est. Inter quos cum non potentia solum, & aptitudine Regnorum, sed sapientia, & virtute etiam & felicitate Heroica Carolus excelluerit; testimonium bonitatis & præsentiæ Dei in suo Imperio, & tota ejus gubernatione grati agnoscamus, & celebremus. Multi Cæsares olim numismatis suis epigraphen Suorum temporum FELICITAS addi curarant. Id elogium multò verius Carolo tribuemus, cum quo nascente, omnes bonæ artes etiam & literæ, ac linguæ eruditæ renasci in Germania, & florere in

Vide de Carolo V. Alciatum in Emb. de Aquila, & de Quercu.

tota Europa cœperunt. Quarum ope Doctrina cœlestis illustrata, Mathematum, arti medicæ & totius Philosophiæ studia restituta. Floruit enim Caroli ætas viris Heroicis in Ecclesia, Scolis, Reipublica, in toga, bellis, navigationibus; inveniendo novas terra, constituendis novis imperijs. Denique in omnibus non solum, quæ liberales vulgò vocantur, artibus, sed mechanicis etiam præstantissimos, ac excellentes artifices, & nulli veterum cedentes habuit: ut omnia sua dona Deus ad summum perducta, tribuisse Caroli (cujus exempla alij intuentes Deum auctorem, & archetypum agnoscere debet) temporibus felicissimis hoc nomine videatur.

Liberi Caroli V. quos tam ex conjuge Isabella, quam præterea ex alijs mulieribus procreavit.

Legitimi quatuor ex M. S. in additiuncula ad Carolum V. hoc ordine *Philippus II. Ferdinandus* in pueritia mortuus, &c. De hoc Manlius. Ferdinandus Caroli V. in Hispania mortuus, Carolo parente in Belgia commorante. Qui cum fatum filij intellexisset, ingemuisse fertur, atque dixisse. *At vos, proceres Belgæ, lugete amissum jam Dominum, & Regem vestrum.* Statuerat enim Carolus septendecim Belgarum provincias contrahere, filiumque hunc suum Ferdinandum Belgicæ Regem constituere. Post hunc genuit & *Mariam* Maximiliani II. Cæsaris conjugem, quæ obijt 1603. 4. Calend. Martij: & *Joannam*, quæ Joanni Portugalliæ Principi Joannis III. Regis filio nupta *Sebastianum* postumum & penultimum sui stemmatis Portugallie Regem peperit. De omnibus in locis proprijs. Idem ordo, & numerus apud Manlium, sed varius & auctus fœminarum dumtaxat apud Gans, qui tertio loco post Philippum, & Ferdinandum ponit Joannam, quartò Isabellam infantia extinctam, & quintò Mariam. In eicone Kiliani 4. etiam proles sed diversâ serie, quæ Genealogica non est, ut ibi apparet.

Vide etiam Pallavicinum, ex quo idem ipse rescripsi in 1. Gentilitio.

Liberi naturales.

Liberi naturales duo, qui veluti duo clarissima lumina ex umbris illicitæ copulæ, è qua haud pauci veteris, & recentis Ecclesiæ proceres inter Divos relati, neq; legitimi fuere, solem ipsum, splendidiorem è tenebris erūpentem, imitantia, in Orbe Christiano, Ecclesiastico, & politico plurimum emicuere. Fuerunt *Joannes* de Austria multis fortiter gestis Magno parenti haud degener, qui Namurci obijt Belgij gubernator 1578. VI. nonas Octobr. ætatis 32. Et Margarita (huic mater Madama de Plumbes nobilis Belga) quæ primò locata Alexandro Medici I. Florentiæ Duci, filioque Ducis Vrbini Laurentij, & eo interfecto Octavio Farnesio, Alexandrum peperit, Parmæ & Placentiæ Ducem, Decus illud immortale virtutis militaris. Defuncta est vita cum Belgio etiam aliquot annos facta ibidem guberna-

trix

trix 1559. pro fratre, utroque destituta conjuge, præfuisset, & multa cum mascula prudentia, & Xpna pietate (teste Cardinale Bentivolio in sua Flandrica Historia peregrino calamo Italicè exarata) gubernasset, A. C. 1586. in Apulia, ubi donatis sibi à fratre Philippo II. possessionibus fruebatur. Joannes Gans advertit in Joanne Austriaco, eum scilicet peste victum esse 6. nonas Mensis Octobr. in quo die 7. ejusdem illius memorabilis anni 1571. ad Echinadas propè Ithacam celebrem de ingenti Turcarum classe triremibus & militibus longè imparibus mirum in modum obtinuit. Idem auctor inter mulieres Caroli Imp. nothas tertiam quoque, eam priori loco exhibens, recenset, estque *Joanna* Francisco Medicæo nupta. Ad 2. matrimonium Margaritæ addit tempus ejus nuptiarum, videlicet annum 1538. At perperam notham facit Gans Ioannam præfatam, quæ nata est à Cæsare Ferdinando I. ipsaque omninò est, quam inter legitimas ejusdem Cæsaris filias ipsemet enumerat. Neque in Vrbinorum, ac Florentinorum Principum sobole ejus nominis ante Cosmum I. Senarum Ducem primumque Ethruriæ Magnum Ducem alium Franciscum reperio, nisi quem ex Leonora Toletana genuerat idem Cosmus.

Vide in liber Ferdin. 1.

Isabellæ Caroli V. Conjugis utriusque familiæ ordo, & series.

IOannes I. Rex Portugalliæ. Vxor Philippa, filia Ioannis Ducis Lincastri, soror Henrici IV. Regis Angliæ.

Eduardus I. Rex Portugalliæ. Vxor Eleonora Aragonia filia Ferdinandi I. Regis Aragoniæ, ac Siciliæ, cui Vxor Vrraca, quæ & Leonora Albuquercia Comitis Sancij genita.

Radix hujus Genealogiæ ex M. S. desumptæ in I. Philippi II. conjuge.

Ferdinandus Dux de Visco. Vxor Beatrix consobrina, filia Ioannis Ordinis S. Iacobi Magistri, ac Connestabilis Portugalliæ, quem præfati Ioannes Rex, & Philippa genuerant, atque Isabellæ, Alphonsi Comitis Barcellonensis, & I. Ducis Bracantiæ, Aedoandique I. filij nothi, genitæ ex Beatrice filia, & hærede Magni Nonij Alvari Pereiræ, Portugalliæ Connestabilis.

Emanuel Rex Portugalliæ. Vxor Maria Regina Hispaniæ. Cujus proavus Ferdinandus I. Rex Aragoniæ & Siciliæ. Avus IOANNES Rex Aragoniæ, Navarræ, & Siciliæ, cujus Vxor Ioanna Admirallia, filia Friderici, aliter Frideci Henriquez ex regia familia Castellana, cujus consors Maria Cordubensis, Diegi Ferdinandi Comitis Cordubæ filia. Pater Ferdinandus Rex totius Hispaniæ, maritusque Isabellæ Reginæ Castiliæ, & Legionis, de cujus genere tam paterno, quã materno actũ est in Genealogia Ioannæ filiæ, & hæredis, conjugis Philippi Pulchri & Caroli V. filij genitricis.

Isabella Portugalla. Hæc præcessit viri obitum, si vera erit supputatio Gans annis 19 Nam excessisse 1539. ostendit, eique astipulatur M. S. in Genealogijs num. 48. Vbi etiam eam dicit natam 1503.

Ex


Jsabellæ sponsæ ætas, nativitas, & mors.

Ex quo colligitur anno ætatis 17. illam Carolo nuptam esse, 19. cum ipso commorasse prospera non tam numero quam sorte nobilitata prole, & anno ætatis suæ 35. è vivis discessisse.

MATRIMONIUM IV

Ferdinandus I. Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hũgariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Rex, &c. Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchio Moraviæ, Dux Lutzemburgiæ, ac superioris, & inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio S. R. I. Burgoviæ, ac inferioris, & superioris Lusatiæ, Dominus Marchæ Schlavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum, ac stemmatis Austriaci Germani egregius propagator, cognomento Pijssimus. Vxor Anna Jagellonica, nata Vngariæ Regina, 1521. anno ultimo Pontificatus Leonis X. Imperij verò fraterni 2.

Loco citato de liberis Ferdinandi I.



Vjus Connubij felicitas maxima prorsus, fecunditas ingens & miranda, de utraque Gans, Ferdinandus triplo fœcundior fratre suo Carolo fuit (ecce secundum) 15. enim proles ex ANNA filia Ladislai Vngariæ & Bohemiæ Regis, ac Romanorum hæredis (ecce primum) genuit. Sed quo ad illud de fœcunditate, non ter, sed bis in Ferdinando fraternam excessit. Siquidem numerus quinarius dupliciter tantum quindenarium superat. Tanti Archiducis, ac Imperatoris nativitas contigit Compluti (alias Molinæ) 12. Martij anno 1503. Ejus Infantia in Hispania apud Ferdinandum avum educata; ac propterea etiam *Hispaniarum Infans* intitulatus. Gans. 10. Martij hora 9. min. 56. p. m Tempus ejus Conjugij Cæsar Campana Aquilanus in vita Phil. 2. lib. 1. ad ann. 1515. Italicè affert his verbis. *Ardendo tuttavia fiera la guerra in Italia contra Venetiani, l' Imperatore del 1515. passò à Vienna, dove sollennemente fù promessa Anna figlia del Rè Ladislao à Ferdinando suo nipote*

figlio

figlio di Filippo, e à Lodovico fratello di Anna fù promessa Maria, sorella di detto Ferdinando; rinovandosi il patto, che se mancasse Ludovico senza figli maschi, succedesse la sorella Anna, e suoi heredi nè Regni di Bohemia, e di Vngheria: E dichiarandosi, che dopò la morte di Ladislao, che poco appresso seguì, rimanessero tutori del fanciullo Ludovico, ch'era di età di ben diece anni, Massimiliano Imperatore, e Sigismondo di Polonia. Il che poi non vollero osservare i primati del Regno, e diedero buona occasione à Turchi di occupar gran parte di quelle Provincie. At veriorem supputationem habeo ex Manlio, & Kiliano, ille de eo ita. Ferdinandus natus in Hispania, nuptias celebrat Lintzij ad Danubium in Germania anno 1521. mense Majo cum Anna nata Vngariæ Regina, unica Ludovici Vngariæ Regis sorore. Quo eodem anno Ludovicus vicissim nuptias celebrat Budæ in Vngaria cum Maria Ferdinandi, & Caroli V. sorore. Hic subdit. Anno 1521. Annam Iagellonicam, Vladislai Vngariæ, & Bohemiæ Regis filiam unicam Lintzij Austriæ oppido Vxorem duxit, & à fratre Cæsare utramque Austriam cum omnibus alijs ditionibus Austriacis per Germaniam superiorem in partem accepit. Sublato bello Turcico Ludovico affine jam fœdere connubiali, quam majorum suorũ pactis, & conventionibus, utrumque Regnum Vngariæ, & Bohemiæ cum Silesia, Moravia, & Lusatia, &c. adijt. Coronatus autem est in Regem Bohemiæ Pragæ 24. Februarij: inde 28. Octobr. ad Albam regalem Vngaricam Coronam suscepit uno eodemque anno 1527. Sicque utrumque Regnum jure optimo ad familiam redijt, anno à quo post Ladislai Austriaci obitum ab illa divulsa fuerunt 68. Hæc ille.

Quare multa cum ratione loquens Pallavicinus de nuptialibus auspicijs regioque præsentis matrimonij hymeneo, hæc subdit de Conjuge Anna. ANNÆ dulcissimum, & nobilissimum nomen, sicuti semper GRATIAM sonat, fertque secum omnem charitum chorum, ita nunquam sine purpura paludamento, sine sceptris coronisque, aut nascitur, aut peregrinum ingreditur in Austriacam Domum. ANNÆ nomini dotalis debetur. Vnde occiso in bello Turcico ad Mohetium Ludovico ad utriusque Regni solium FERDINANDUS pluribus titulis vocatus fuit, &c. Post Pauca annectit statim electionem ejusdem in Regem Romanorum, procuratam, & obtentam à Carolo fratre, qui sine collega Imperij regimen Germaniæ, eo Monarchiam Hispaniæ edministrante, parum sollicitè genere potuisset. Olympiade, inquit, vix elapsa adjecit veluti impatiens Fortuna tertiam FERDINANDO Romanorum Regi coronam Coloniæ Agrippinæ, ubi Sanctorum Magorum Regum corpora summa veneratione coluntur, pridie illius diei, quam sacram regiæ divinis solis adorationi sub illustrissimæ stellæ ducatu ab ipsis splendoribus EPIPHANIAM vocant: ut & ipse in adoratione trium

Pall. in Cæsare Ferdin. I. Laudes Annæ.

Vide Laurent. Surium in appẽ notata ad ann. 1531.

Regum triplici jam regno coronatus, eodem sidere serenissimo illius diei sole irradiaret illustris, possetque religiosiori titulo Epiphanis cognomentum ab ipsa ad Imperium inauguratione sortiri. Aucta regnis, & vicaria Imperij administratione otiari non debuit tanta felicitas. Concordat Kilianus. Anno 1531. 5. Januarij Coloniæ, protestante Saxoniæ Electore, Rex Romanorum electus. In appendice M. S. 4. Ianuarij. Addens locum coronationis, ait, Aquisgrani ij. ejusdem coronatur. In errore videtur prima facie Petreius, qui ostendere volens ubi talis electio contigerit, post resignationem Caroli, Principes, ait, Francofurti existentes, ac ratum habere volentes, quod is jamdudum de fratre in animo habebat, confirmarunt ejus desiderium, ipsumque Ferdinandum, Hungariæ Regem, Imperatorem acclamarunt, &c. Afferens enim completam historiam de hac re Laurentius Surius in appendice ad Naucleri Chronicon, hæc breviter profert. Post Comitia Augustana Cæsar Saxonem evocat Coloniam, idemque facit Elector Moguntinus, cujus hoc officium est, ut ubi creandus Romanorum Rex, vel Imperator, ipse reliquos Electores convocet. Saxo hoc indignè tulit, & per filium suum Ioannem Fridericum, & quosdam alios docere conatur apud Cæsarem, Moguntinum citandis Electoribus perperam egisse, &c. Et paulo inferius 2. columna Anno 1531. Pridiæ Epiphaniæ Domini Ferdinandus in primario Templo, ubi trium beatissimorum Magorum corpora condita asservantur, Electorum Principum suffragijs creatus est Romanorum Rex, & die ij. mensis Ianuarij Aquisgrani coronatus. Saxo eam electionem per filium suum irritam protestatur, habuitque principes alios, præsertim Lutheranos, qui ei consentirent. Verum Cæsar quod amplissimas haberet ditiones, nec posset semper esse in Germania, consultum omnino putavit, ut in Imperio haberent aliquem loco suo, qui ipso absente rebus præesset, &c. At re vera error non est, ut colligo ex M. S. lib. 25. aiente Anno 1531. Coloniæ Rex Romanorum creatus, ac Cæsareæ potestatis gubernationem (de hac loquitur auctor) suscepit Francofurti 1558. De pluribus ijs quæ commendabiliter gessit Ferdinandus non est hic locus proprius. Id quod ei accidit antequam ab hac vita Pijssimus Cæsar discederet, ab eodem Surio, Theutonas suos religiosè increpante, fideliter rescribens præterire nolo. Porro, inquit, hujus anni Autumno infeliciter à Ferdinandi exercitu ad Exechium pugnatum est. Multum aucta est Turcarum potentia, dum Germania nullis unquam Romanorum Cæsarum annis domita, & cunctis semper nationibus formidolosa, ab avita Majorum pietate, & religione discessit, & in portentosas easque valdè inter se diversas & pugnantes hæreses se abduci passa est. Nam antea verissimè dici de ea potuit

Legibus antiquis stat res Germana virisque.

Et nisi pijssimos Principes atque Monarchas Carolum & Ferdinandum Imperatores habuissemus, quorum PIETATE potius quam viribus, licet quoque

Theodorus Petreius in Ferd. I.

Sur. ibidem ad ann. 1537.

Plurimorum Germanorum ingratitudinem in Principes Austriæ malè affectorum redarguit Surius.

que eæ minimè contemnendæ fuerint, sæpè fracti sunt immanes Turcarum impetus, & conatus; profectò jam pridem actum esset de Germania: tametsi id nolunt agnoscere homines ingrati, qui gravissima pereuntis patriæ suæ pericula aut non vident, aut effusè etiam irrident, scilicet nondum experti grave jugum Turcicæ captivitatis, sub quo jam tot amplissimæ Christianorum ditiones miserabiliter suspirant, nec minus tamen velint nolint illud præferre coguntur magno suo malo, quod utinam vel serò nos sapere doceret. Sed hoc quoque est divinæ animadversionis genus quoddam vel maximè formidandum, cum sic excæcantur hominum pectora, ut in præsentissimo positi discrimine, illud tamen vel non videant, vel parvipendendum putent, &c.

Hinc factum puto (addam ipse) quare prudentiores, ac boni publici amatiores Germani proceres, Patresque, tantam ingratitudinem, lapideo Hippoliti calamo à malevolis, parum de præsenti Imperij statu consulentibus, petulanter in dies, adversus eosdem evomitam, contemnentes (prout etiã hodie in novi Imperatoris electione contemnere haudquaqã, ut creditur, renuent) per plures annos non alia ex familia, quam ex Austriaca, armis potente, sed omnipotente Pietate, liberè eligere magna cura intenderint. Accidat (quod absit) nunc aliter, & videbimus, ubi erit Germania, ubi Italia, ubi Ecclesia Romana, omnisque Christianitatis defensio. Aliorum temporum exempla nos docent, quomodo imperiale regimen extra Domum Austriacam, sive quæ Dei sunt, sive quæ Romani Pontificis, sive quæ Xp̃næ Politicæ, rationi status nunquam Macchiavellicè addictæ, sursum deorsum omnia ire parum curaverit, ne dicam, procuraverit. Verum rem aliter quancitius, velint nolint istius generis homines, eventuram politicis rationibus probant nonnulla capita, quæ manuscripta circumferuntur. Obitum igitur tam egregij Cæsaris Ferdinandi I. paucis verbis idem Surius complectitur. Inquit enim, mense Julii ipsis ferijs D. Jacobi Apostoli, ut constans habet fama, diem suum obijt Sanctissimus & omnibus modis Catholicus Princeps Ferdinandus Romanorum, de cujus integritate, pietate, & in Catholica fide Constantia multa dici possent. Etsi verò turbulentissima fuit nostra ætas, tamen non immerito gratulari sibi potest de duobus Sanctissimis & religiosissimis, & Catholicæ religionis observantissimis Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando ejus germano fratre, quorum ad omnem posteritatem Sacrosancta, & celeberrima erit memoria. At Joannes Paulus Windeck. Guill. continuator meminit distinctè egritudinis aliorumque successuum mortis Ferdinandi. Sunt certè digna scitu, ac propterea hic ea exarare, congrua res videbitur. Mensis Julij 25. die quæ erant feriæ D. Jacobi Apostoli diem extremum Viennæ Austriæ clausit Vigilantissimus, liberalitate, lenitate, justitia, & prudentia singulari Clarissimus, pacis amantissimus, ac omnibus desideratissimus Ferdinandus, obscura primum febri ac variè arreptus, mox per sex menses ea palam vehementius, ac inte-

In politicos Machiavellicos.

Surius ibidem in fine ad ann. 1564.

Virtutes Ferdinandi.

Cæsaris egritudo, & morbus

ſtina advrente: pituita quoque tenui ſocia per fauces acriter & tabidè pectus jam repetente, ſanguinis etiam probitate, habitudineque univerſa extremo tumore indice in aquam penè converſa, diem hanc obitus ante aliquot menſes ſibi definiſſe ſcribitur. Nam cum 21. Aprilis hujus anni 1564. proximo ante Palmarum feſtum die, manè pedes ablutarus, in vertiginem, ac animi turbationem incidiſſet, Zithardo concionatore aulico vix ipſum ſuſtinente, atque ſe collegiſſet, ait, *Vos putabatis me prorſus non rediturum? non tam cito id fiet: certum habeo me ante Pentecoſten è vita non migraturum.* Cumque eum diem & octavum poſt attigiſſet, repetijt. *Spiritus ſanctus noluit, ut morerer ante feſtum D. Jacobi, ut quomodo is peregrinus apud nos, ita ego infans Hiſpaniarum extra ſolum natale cum ipſo peregriner.* Ex eo tempore gravius habere cæpit, medicoſque ſibi aliquid exhibere ferè coegit, non facturos ipſos officium ſi naturæ cuncta permittantur. Sæpè repetebat ſe ad vitam, & mortem paratum, nihil abhorrere, cujus malum, aut periculum ſanguine Chriſti exhauſtum eſſet, ac ſublatum. Imò jucundiſſimè animi promptitudinem, ac voluntatem declaravit cum adjecit, *Se morti alligatum, eamque non recuſare, quodſi majores ipſius mortui non eſſent, per numerum tot ſuperſtitum ſucceſſorum ſe ruriculam aut paſtorem fortè, cum Imperator ſit, futurum fuiſſe: idcirco ſe ſuis loco ceſſurum, ut dignitatem obtineant æquam, dum per Deum Auſtriæ Domui liceat.* Sæpè Deum præcatus eſt ut ſi quos offenderit, ſe ſe patefaciant: vitamque dum errorem deprecetur, ac illis detrimentum compenſet, produci oravit. Miniſtrorum indicem & nomina, quibus debeat, quos dignè locupletarit, quibus immerentibus ſpe liberorum quid largius indulſerit repetebat. Defectis paulatim viribus, die à ſe definitio D. Jacobi, facillimè vi morbi, nullo gravi mortiſque præſentis indicio ceſſit hora poſt prandiolum, etiam ovo jure ſoluto cumulatum, inſpectantibus ſuis, vix digreſſo filio Maximiliano; tum ejuſmodi quicquam cogitante, & ad ſubitum nuncium etiam addubitante. Cujus ultima vox alto temtari ſomno, ac de hora quærentis (cujus machinationis ſemper fuit amantiſſimus) ad Cratonem medicum fuit, alijs abſentibus omnibus adhuc: *Quomodo habeo?* Aperto corpore viſceribuſque vacuo, in ſiniſtro rene plurimi lapilli, atque etiam in veſica, de quibus tamen nunquam fuerat conqueſtus, reperti fuere. Cineres ex ejus voluntate ad dulciſſimæ conjugis Annæ Reginæ Hungariæ oſſa Pragam tranſlati, atque apparatiſſimè funeſtiſſimeque depoſiti. Vixit annos 60. menſes 9. & aliquot dies. Imperium ſolus adminiſtravit annos 7. Suſtulit ex Anna prædicta liberos 15. nempè Maſculos 4. fœminas undecim. Hæc ex M. S. in Ferd. lib. 25. ubi in additiuncula ad finem. Obijt 1564. 8. Calend. Aug. ætatis 61. Ordo nativitatis cunctorum ex Manlio, quem ſequitur Gans, *Eliſabetha* Poloniæ Regina, *Maximilianus II.* Romanorum Imp. *Anna* Archiducifſa Auſtriæ Duciſſa Bavariæ. *Ferdinandus II.* Archidux Tyrolenſis. *Maria* Archid. Auſtr.

Diei ſui obitus præſcius.

Rara Humilitas.

Vltima vox Cæſaris.

Liberi num. 15. Manl. loco cit.

Austriæ, Ducissa Juliæ & Cliviæ. *Magdalena* Xp̃i desponsa. *Catharina* Regina Poloniæ. *Leonora* Archid. Austr. Ducissa Mantuæ. *Margaritha* Halæ sepulta. *Ioannes* infans extinctus. *Barbara* Archiducissa Austr. Ducissa Ferrariæ. *Carolus* Archidux Austriæ. *Vrsula* obijt infans. *Helena* Halæ ubi perijt sepulta. *Ioanna* Archid. Austr. & Magna Ducissa Ethruriæ. De nuptarum conjugijs suo loco.

Virtutes Ferdinandi Cæsaris post mortem non solum à doctis Germaniæ, sed & Italiæ prædicatæ fuere, inter quos Ioannes Baptista Adrianus Florentinus in præsentia suorum Ducum ejus funus orationibus elegantissimis exornavit. Inter Hungaros verò Franciscus Fortgatz Episcopus Varadiensis, Ioannes Sambucus Medicinæ doctor, & Martinus Bertzevicæus. Porro Ferdinando rebus humanis exempto Maximilianus Cæsar in Imperio, Bohemiæ Regno, & Austriæ principatu successit. Tyrolis Comitatu, cum Briscovia & Alsatia, &c. Ferdinando, Provinciæ Styria, Carniola, Carinth a Carolo cessere. Hæreditas.

Joannæ Reginæ generationis ordo, sive Progenitores paterni, ac materni, ubi etiam & ejusdem preconia.

OLgerdus Dux Lithuaniæ. Vxor Maria filia, & hæres Ducis Pussiæ de Vitenusko.

Jagello Vladislaus magnus Dux Lithuaniæ. Vxor Sophia Kioviensis, filia Andreæ Ducis Kioviensis Ruthani, cui consors Ducissa Lithuaniæ, Vitoldi soror. M. S. num. 95.

Casimirus Rex Poloniæ & Bohemiæ. Vxor Elisabetha Austriaca, filia Alberti II. Regis Hungariæ, & Bohemiæ, quem genuit ex Ioanna Comitissa Hollandiæ Bavara Albertus IV. Dux Austriæ, maritique Elisabethæ Sigismundi Imp. Regis Hungariæ, & Bohemiæ filiæ, & Barbara Comitissæ Ciliæ.

Vladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ. Vxor Anna Comitissa Candalæ obijt 1506. Genitor Annæ Ioannes Comes Candalæ, filius Gastonis Captalis de Buthsio, vel Bojorum ex Comitissa Candalæ, filia Comitis Candalæ, & N. Nepos Arcembaldi Captalis Buchsij Comitis Berangiæ, conjugisque Isabellæ Foixiæ, Bearniæ, Bigorræ hæredis; nec non & maritus Catharinæ Foicensis, à Ioanne Comite Fojcensi & Ioanna Albertrana geniti; & Eleonoræ Aragoniæ, Ioannis Regis Aragoniæ, & Navarræ procreatæ ex Blanca Eboracensi Comitissa ex regia familia, Caroli filia.

Anna conjux Ferdinandi I. quæ ante virum jam fatis piè concesserat 1547. Ianuarij die 27. dolore partus extincta Pragæ in arce regia atque ibi-


dem sepulta. Ita Maffius fol. 71. M. S. etiam in appendice ponit obitum Annæ sub anno 1548. De ea Ioannis Ludovici Brassicani I. C. carmen luculentum, quod Phænicem inscripsit, & Friderici Nauseæ, Episcopi Viennensis oratio funebris, cum epitaphio extat, quod adscribo.

Laudes Annæ.

Conjugij specimen casti, sanctique pudoris,
Dimidiumque animæ, Rex generose, tuæ.
Filia quæ Regis, Regis quæ nupta, parensque
Hæc eadem Regum, Regis & ipsa soror.
Usque abavis, atavisque genus de sanguine Regum
Et divum Numen nunc quoque & ipsa novum.
Delitiæ Anna *hominum, miserorum portus, & aura*
Secli infelicis unica gemma *sui.*
Bis duo quæ pueros, bis quinque enixa puellas
Æterna Austriacæ fulcra futura Domus
Postremo heu rapta est fæcunda puerpura partu,
Lenior, hoc salvo, mors sibi dura fuit.
Quas vicit candore, rosæ hinc & lilia vernent
Semper & huic tumulo pax sit; & alma quies.

SECTIO III.

De Conjugijs Monarcharum Hispanorum, ac Philipporum II. III. & IV. Superstitis.


Ogor Austriacæ Prosapiæ Hispanias versus sequi Majoratum, posterosque masculos Vxoribus jugatos antequam alteram lineam Germanam persequerer. Alias maximam lectori afferrem incommoditatem, si nimis subtiliter, & pertinaciter rationi temporum insistens, turbida mixtione Iberica cum Theutonicis & è converso matrimonia confunderem. Cum utrimque eam tantum seorsim observare, ac facili negocio percurrere, & invenire posset ei sufficere.

Matrimo-

MATRIMONIVM V.

Et tertio loco Monarchichum quadruplex.

Philippus II. Rex *Catholicus*, Hispaniarum, Siciliæ, Indiæ, & *novi Orbis* potentissimus Monarcha. Oceani Dominus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Habsburgi, stirpisque suæ Austriacæ Ibericus propagator, Cognomento Iustus, & Fidei Catholicæ defensor. Vxor ei IV. *Maria* Lusitana 1545. sub anno ij. Pontificatus Pauli III. Imperij verò Caroli parentis 25. *Anna Maria* Anglicana 1554. anno 4. Pontificis Iulij III. & ejusdem Imperatoris 34. *Elisabetha* Valesia 1559. Paulo IV. Pontifice anno 4. Imperatore verò Ferdinando patruo 1. Postremò *Anna* Austriaca 1570. sub anno Pij V. 4. Maximiliani verò junioris patruelis 6.



QVem prodiderit mirabilis Isabellæ alvus, à novo inter prisci recentisque ævi Cæsares Semydeo gravidatus Mundo, & Ecclesiæ Romanæ, terræ cœloque Heroem anno illo humanæ salutis 1527. Mensisque, Majoribus dicati, nempè Maij 21. die hora 2. min. 48. post meridiem; omnes quidem Mundi partes, omnes, inquam, terrarum Orbis regiones, ut eruditè scribit Pallavicinus, eloquentur, quæ toti orbis regendo parem admiratæ sunt, & omnibus suis regnis majorem. Vt maximum Monarcham supra veteres novosque terrarum, mariumque Regnatores crearet, Oriens, Occidensque in unum conspirarunt, omnibusque ventis thesauros ferentibus. Dictus est sui sæculi *Christianus Cyrus* prudentia, magnanimitate *Hispanus Augustus*, ostenditque quantum virtutum ferat CATHOLICI nomen. Si quid defuit Philippo II. mortalitati ipsi nostræ deesse puta, cum absolutissima fuerit Maximi, Iustissimi, & Pijssimi Monarchæ imago, &c. Gesta ejus peregrina, virtutes perinsignes, & admirandæ alibi transferendæ, ac radicitus ad exemplares Principum instructiones enucleandæ. In præsentibus tantum loquendum de quadruplici ejus conjugio, de obitu, & vitæ laudatissimæ fine, quo, si Xpno, omne opus bonum optimè coronatur, ac postremo de sobole, & conjugum stirpibus, viam hucusque calcatam firmiter retinentes. Igitur Philippus Vxorem primam duxit *Mariam* (*Manlius perperam vocat Ioannam*)

Pallavicin. in Synops. Geneal. à Carol. V. ad Ferd. I.

In Philippo fol. 76.

Ioannam) Ioannis III. Regis Portugalliæ filiam, eodem anno 1545. in quo ipsa obijt ut fertur in puerperio, fortè ductam. Dico fortè, quia nondum id tempus apud auctores inveni, cum solummodo ex eo collegerim, quia tunc Philippus in primæ conjugis interitu erat annorum 18. quæ ætas conjugali talami capax est, ac etiã si aliquantò minor esset. Post annos quatuor à tantæ ab eo maximæ dilectæ consortis immaturũ inaspectatumque obitum, hoc est anno 1549. 1. Aprilis ex Hispania Bruxellam ad Cæsarem patrem venit, & 5 Iulij Lonanij in Brabantiæ Principem, indeque per reliquum Belgium, inauguratur. Anno dein 1551 quo Turcæ Tripolim sub vexillis Frãcis occupaverunt, in Hispaniam reversus est. Postmodum tribus annis elapsis nimirum 1554. alteram *Mariam* Anglicanam (*Henrici VIII. Regis Angliæ filiam, & Eduardi VI. sororem*) duxit. Hæc ex Kiliani dilucidatore. Quibus autem conditionibus celebratum sit hoc matrimonium, dicam ex num. 50. ubi Guillimanni continuator postquam Mariæ Genesim ritu, & more tabulariorum conscripserit nūmero antecedenti, statim attulit, *Ius successionis Philippi II. in regno Angliæ, si ex Maria Vxore masculam prolem suscepisset*; & his verbis propositum argumentum probavit Anno 1554. matrimonium inter MARIAM Angliæ Reginam, & Philippum Caroli V. filium his conditionibus constitutum est: Vt Philippus titulo Angliæ, & Franciæ Regis, Hyberniæque Principis, quoad vixerit Regina, utatur. Privilegia, jura, & consuetudines Regnorum, & provinciarum Mariæ subditarum servet, & tueatur. Officia publica, & præfecturas non exteris hominibus, sed indigenis commendet. Mariam jure matrimonij in societatem præsentium Regnorum, & futurorum admittat, unde Reginæ, si superstes marito vixerit, sexaginta millia nummûm in annuos sumptos quatannis assignentur. Si qui filij nascentur, ad eos jure hæreditario Regnum Angliæ perveniat, & omnia quæ sunt materni juris. Carolo infanti Hispaniarum, ejusque tam fœminis, quam maribus successoribus maneat successio in omnibus Regnis; ea tamen conditione, ut, si Carolus decesserit sine filijs, qui natus erit primogenitus ex hoc matrimonio, in ejus locum subrogetur. Vt Princeps vel ante matrimonium ad rerum domesticarum gubernationem Britannos admittat, nec Insulanis hominibus ulla fiat ab exteris injuria. Ne Regina cogatur exire à Britannia, nec filij si qui nascentur, nisi summa necessitate compulsi, idque assentientibus Britannis. Si Regina sine filijs decesserit, ne Princeps illum jus habeat in Britanniam, sed pro legibus succedatur. Nec thesaurum, aut gemmas, aut tormenta bellica efferat, nec bellis, quæ Cæsar adversus Gallos gerit, Angli implicentur. Hæc M. S. citatũ. Magis fortunatæ proculdubio Anglia, Hibernia, Scotiaque extitissent, si leve suaveque Austriacorum Principum jugum hæreditario per hoc conjugium expertæ essent. Enimuero neque præsentem tyrannidem sufferre miserabiliter cogerentur, neque totalem fidei Romanæ eradicationem suis oculis, nemine adjuvante, ita ultore Deo ordinante, conspicerent, &c. Verum

Vide M. S. in appendice ad finem lib. 24. Kil. & alios.

Vide ipsum in proprio ære Philippi II.

M. S. tom. 2. lib. 30. num. 51.

Hunc Carolum de quo inferius genuerat 1. Conjux.

Verum ut clarius latiusque tota hæc historia tam ad matrimonij celebritatem, quam etiam ad jus prædictum succedendi spectans, pateat, sciaturque, afferam brevi Latinitate quæ de ea etruscho, ac dulci calamo anno 1652. Comes Loschi protulit. Posteaquam Edoardus Henrici VIII. filius, hæresque, qui obijt anno ætatis suæ 16. regni verò 7. suasu Ducis Nortumberland, qui erat caput supremusque Concilij præses, ambiebatque Domui suæ regnum trahere, testamento anni 1553. nothas sorores suas declaraverit, nominaveritque hæredem Ioannam, statim vir ille hanc Duci suo primogenito elocavit. Erat Ioanna commemorata Franciscæ illius genita, quæ ortum habuit ex Maria Henrici VIII. sorore, & ex ejus 2. marito (prior ejus conjux Rex Galliarum Ludovicus) Carolo Brandino, Suffolc Duce. Ambitu enim nimium effrenato stulta, ac cæca mente Nortumberland, eidem Ioannæ (excludebat siquidem abs sua idea Mariam tanquam ex repudiata Catharina Aragonia, Caroli V. Imp. matertera, progenita, atque Elisabetham quoque, quam Bolena genuerat, jam illegitimam declaratam) legitimæ Angliæ rationes cecidisse conceperat. Peracto connubio, illico nurum suam ad Turrim, sivæ arcem Londræ solitam Regum mansionem perduxit. Nec tamen levia minimaque lætitiæ signa pro tali ac tanta novitate populus demonstrare ausus est, eo quia eodem puncto Mariæ literas Concilium, datas è Norfolc, accepit, quibus ut ei fidelitatem proceres jurarent, petiebatur. Certior factus super hac re Nortumberland, cautissima callidaque usus est præventione, ac proinde longa, sed inconsultissima sanè acclamatione Angliæ Reginam Ioannam suam declarare effecit, aperuitque simul latissimam viam ad suæ Domus irreparabile excidium, ut postea contigit. Nam Londrenses communi jubilio Mariam ceu legitimam Reginam acclamantes, in eadem Civitate ingenti lætitia, sollemni ritu, ac splendida magnificentia coronata est. Quæ in crastino illius diei suæ coronationis convocans sagax Regina parlamentum, in eo nullum extitisse Catharinæ genitricis repudium, cæteras verò, quas sibi conjunxerat mulieres Henricus parens, concubinas, harumque proles nothas declaratum fuit. Sicque hæc sancta prudensque Virgo impia patris dogmata, ac facinora funditus evertere studens, cultum Dei Catholicum pietatemque Xpnam in toto Regno quam diligentissimè restituit. Consiliata ut nuberet, pluriesque reluctans reperta, ceu pudoris virginei amatrix, & quia ejus ad annum 40. ætas pervenerat, ac de paritate subjecti quam maximè diffidebat; tandem se velle subditorum cupidini ad plenum satisfacere ultrò se prodijt. Hinc magni hac de re concurrerunt Principes, qui istud matrimonium veluti in toto orbe non solum propter dotis immensitatem, sed etiam propter natalium, & gratiarum Reginæ pretium, majus, & egregius, vehementer optabant. Inter omnes Principes Hispaniarum Philippus jam Mariæ Portugalliæ viduus maximè prævaluit. Commotiones deinde nonnullæ in Regno subortæ, & ab ijs, quibus hoc connubium displicuerat, suscitatæ;

Chronica Anglicana. Ex Alphonso Loschi in arbore stirpium Angliæ, & Scotiæ regnantium.

atque in tragicos luctuosque eventus morte capitali (hanc eandem antea luerat Nortumberland) Ducis Suffolc patris Ioannæ, eodem interitu damnatæ, atque aliorum eruptæ, demum omnia serenavit, omniumque animos exhilaravit sponsi Philippi ex Hispania in Angliam adventus, pro quo jucundissimi apparatus totum regnum pompa mirabili, atque incredibili utriusque sexus optimatum, procerumque nobilitati occursu disposuerat. Peractis in templo de more ab Antistite illius Cathedræ cerimonijs, lectaque renunciatione, sponsis sub baldachino adhuc manentibus, quam Carolus Imperator de Regno Neapolitano Philippo filio efficiebat, celebratisque deinde splendidissimè nuptijs, consumptoque matrimonio illo eodem anno 1554. interim Regina, jam regno composito, bellum Gallis indidit, ut vi armorum Calem etiam, quem paulo ante Henricus II. cæperat, recuperaret. Verum dum Angli antiquas prætensiones super regnum Franciæ remittunt, moritur eodem tempore, uti dictum est, anno scilicet 1556. Regina Maria, socerque Carolus Imperator. Duplici meroris jaculo trafictum Philippi cor, eo quia simul & semel tantum parentem, tantamque Vxorem perdiderit, cum eo quamplurimas directiones salutares amisit, optimaque consilia, cum isthac Angliæ Regnum, quod iterum ad hæresim reversum, reliquit fidem Catholicam quæ morte pariter Cardinalis Poli ex stirpe regali Diorti integgerrimè Catholici, sanctæque vitæ Prælati, magnique nominis & auctoritatis apud omnes illis in partibus, deplorabilia excidia peperit, atque in abominandum, ac Satanicum Calvinismum semetipsam perhorrendè transformavit.

Eodem anno obijt Maria Regina, & Carolus V.

Mors Cardinalis Poli.

Manlius ibidem.

Paulo post ex quo Philippus, cum jam Carolus pater, imperandi molestias declinans, in Hispania quieti se dare in animo haberet, eo vivo in omnia Regna paterna (excepto Romano Imperio, quod Ferdinando fratri obvenit) anno 1557. succederet, tertium innijt matrimonium cum Elisabetha Valesia Regis Franciæ Henrici II. filia natu maximè. Contigit hoc matrimonium (per quod Europa omnis orthodoxa ingenti hilaritate perfusa ab ingenti quoque merore fuit subtracta, & in optata lætitia confirmata) vix duobus transactis annis, nempè 2559. 7. nonas Aprilis ita Genebra lib. 4. fol. 738. Ejus motiva, quæ nunc meminere oportet, pacem illam ad Cambresiam constitutam inter Philippum & Henricum Regem Gallum. per bellè indigitant. Philippiniana & Francica castra exercitusque utrimque ingentes tum maximè terrefaciebant vexabantque Christianũ orbem.

M. S. in Phil. II. ad ann. 1559.

Interea Reges imaginem rei totius considerando, si omnibus viribus concurrissent, ex eo conflictu Rempublicam Xp̃nam tanquam fulmine conflagaturam providebant, & quoniam sui exercitus robur ex peregrinis bellicosissimis gentibus constaret, Civitates suas exteris prædæ futuras divinabant. Itaque ad communem salutem respicientes (ad quam hodie utinam ab utraque parte eodem modo respiceretur) confirmatis tandem rationibus ad pacificationes rem deducere constituerunt, legatique ea de re primò

insulam

insulam, deinde Cercecampum, tertiò ab Dorleote miliario missi sunt. Anno 1559. ad Cambresiam arcem, quæ sexto à Cameraco miliari distat, *Henrici* & *Philippi* controversiæ disceptatæ, atque compositæ sunt: sed unus tantum modus super Caletum statum restabat, quos Philippus Britannis restitui omni ratione petierat. Quæ disputatio cum resolli sine iracundia vix posse videtur, & qua concessa, nulla forsitan fuerat secutura composito, à Regina Angliæ Elisabetha nuncius interuenit, qui afferebat, Reginam cum Gallo pacem hac lege inijsse, ut exacto octennio Britannos in possessionem veterem Rex restitueret, aut 500000. aureorum penderet, & ejus rei quos Regina optasset, quatuor ex nobilitate Gallica obsides daret. Ea ratione accepta cum cætera satis inter Reges convenirent, ad Cambresiam optatissimā PACEM 3. Non. Apr. inter se legati fecerunt; ex quibus pro Philippo erant Albanus, Auraicus, Antonius Perenotus Attrebatum Antistes, Melitæus & Vigilius Zuichemus, vir equestri dignitate, idemque à privatis consilijs. Pro Gallo Cardinalis Lotharingus, Connestablius, Marescallus, Andreas, Aurelianus Episcopus, & Laubespina à secretis. Interventu quoque suo in eo negocio *Christierna* Lotharingica cum filio adolescente eam operam, diligentiamque cùm affinitatis tum communi salutis causa præstitit, ut & gratiam apud utrumque Regem, atque partis alterutrius studiosos singularem inveniret, & conciliatrix amicitiæ fautrixque tranquillitatis, ac salutaris civis Reip. meritò haberetur: Animis ergo Regum ad mutuam pacem, & fœdus indissolubiliter se faciendum inclinatis. Legati, quos diximus, has pacis conditiones (ipse eas sub aliquot capitibus redactas subijcio) tulere, ac recepere.

De pace Cambreia inter Philippum II. & Henricum II. Reges.

NunciusReginæ Angliæ Elisabethæ in favorem pacis.

Christierna Lotharingica egregia tantæ pacis, atque amicitiæ reconciliatrix.

Pacis conditiones.

I. Primum omnium, ne acta conventaque majorum ulla ex parte tantillum rescindantur, sicuti Reges ipsi biennio ante illa ipsa fœdere Vacculano corroborassent, nisi nova hac pactione secus, speciatimque statuissent.

II. Vt inter Reges, & Regios liberos, atque omnem posteritatem fraternus sit amor, mutuum studium, benevolentia, officium, Charitas, dilectio, societas, itaque in universa generatim Repub. pax una, constans, ac perpetua, quæ nihil habeat insidiarum, sive domesticarum, sive peregrinarum: sicuti nulla in re se se mutuò deinceps per conventicula, aut sodalitates Europeas, Christianorumve, vel Asiaticas Turcarum aut Barbarorum defraudent.

III. Fidem, autoritatemque suam Reges interponent quam primum convocando, habendoque cum in honorem Dei optimi Maximi, tum ad salutem Reipub. Christianæ, ac tranquillitatem Civitatum œcumenico Concilio.

IV. Vtriusque subjectis populis, ac clientibus quocunque illi tandem

 ordine,

ordine, ac conditione essent, sive sacris initiati, sive profani, & quamlibet abacti vel proscripti, aut adversum dominos religione intentata consurrexissent, aut contra patronos bellum armaque gessissent, desertam liceat adire hæreditatem, & possessionem statutorum bonorum cernere; quæ aut fiscus Regius sustulerat, aut hasta in foro posita, acerbæ voci præconis prætor subjecta vendiderat, exceptis ab hac liberalitate Regia illis qui ex Sicilia, Neapoli, atque ab Insubribus exulabant.

Philippus recipit dominia à Gallo.

V. Ut velut alterna damna præstando toto octennio bello, aut alio quovis modo usurpatas civitates invicem reddant. Particulatim verò Franciæ Rex Divodorum, Marianum, Iuosium, Danovillarium, Momendium, Belgica municipia, & Valentium Insubribus una cum castris, oppidis, arcibus, locisque omnibus; quæ ille eis transve Alpeis occupasset (eaque omnia salva, atque integra, præter unum Iuosium, quod mœnibus nudet ad compensationem eversæ Teravanæ) Philippo restituat.

VI. Contra Philippus cedat Augustam Veromanduorum, castellum, Hanensem arcem cum ditione universa, deinde solum Teravanæ diœcesis, dum ne olim aliquando exædificata, instauratione communiatur. Philippus possessum erat Comitatum Carolatem cum Hesdino, & toto ejus gentis statu. Nobilis Rex delphinus eo ipso temporis puncto, quo promulgatio hujusce pacis fieret; usu capiat Crepacorium, Toparca qui præsumpta opinione id juris sibi arrogare videtur.

Conditio de matrimonio ineundo tanquam de solidiori, ac perenni totius pacis fundamento.

VII. Cum ad corroborationem, fundamentum, stabilmentumque æternæ pacis, tum ad veram synceramque amicitiam, reconciliationem, injuriarum superiorum oblivionem, simultatum obliterationem, discordiæ expirationem ceu indissolubile affinitatis vinculum, Philippus Isabellam, *filiarum Franciæ Regis majorem natu (quantumvis licet ea puella undecennis esset) dicta dote 400000. aureorum, Uxorem ducat.*

Sabaudus restituitur.

VIII. Franciæ Rex Allobrogum Regulo, ex quo deturbatus jam pridem bello fuerat, statum, citra utrave Alpes de integro restituat præter Taurinum Civitatem, Pænariolum, Charium, Cevation, & Neapolim Astensem oppida, quæ triennio sibi reservaret; pignori cautionis loco, interea dum lege in eam rem cognosceretur, jureque municipali, ac justis judiciis definerentur, ad utrum litigatorum ex æquo & bono controversa jam pridem attineret hæreditas, ea conditione, ut Philippus contra ex nepotis ditione Astam Coloniam retineat & Vercellas, quosque Pentapolim

illam

illam modo jam commemoratam Franciæ Rex habeat. Alterutrius partis ne sit Allobrox, ei nubat Margarita soror Regia, quæ præter dotem 300000. aureorum, Ducatu Barrensi, dum superesset, utatur, fruatur.

IX. Excedat Franciæ Rex locis omnibus, quæ ipse Senensis ditionis in Etruria usurpasset: itidem præsidia, stationes, custodias, vigiliasque educeret, ea lege atque conditione tamen, ut cum Monte Alcinoi & patricijs ejus civitatis, Magistratu Senensi obtemperaturis universum crimen condonetur. Restituat itidem Franciæ Rex Liguribus quidquid ipse Corsicæ Insulæ invasisset, modò Ligures civibus rebellionis pœnam remittat, qui contra patriam sub Gallis militaverant. Reddat arcem Bullanam, & si quid aliud ejus ditionis obtineret, Eburonum Antistiti, reservato nihilominus negocio Sedanensi. Galli cedunt Italia.

X. Maternæ dotis debitione Maria Lusitana Infans ne deinceps torqueatur, Philippus Heræ Totivillanæ ditionem Paulinarem restituat, excepto tamen jure clientelari, quod ab Regibus ambobus super ea ditione multis nationum involucris, & quasi velis quibusdam obtenditur, aut cum honoris cupiditate prætexitur.

XI. Mantuanorum Regulo juxta restituat uterque quidquid municipiorum ipsi Monferratensium subtraxissent: sic tamen ut in arbitrio amborum esset, atque in voluntate liberum relinqueretur, sive moles, sive munitiones abs se illic exædificatas, extructasque demoliri, necne. Franciæ Rex prior conventa exequatur, trimestrique restitutionem universam expleat, judicatumque faciat, quo præstito, Philippus uno mense fidem suam liberet, promissis faciat satis, obsides det quatuor, quos Franciæ Rex arbitratu suo optasset, nominatimque delegisset, puta Albanum, Darocum, Arausinum, & Egmodensem.

XII. In hujusce fœderis atque societatis partem veniant Romanus Pontifex Maximus, Imperator, VII. Viri Principes, & Civitates Germaniæ, Romano præcise subditæ Imperio. Complectatur Pax eadem Reges hosce. Sarmatam, Dacum, Suecum, Scotum, unà cum Regina Britanniæ. Respublica item cum Venetum, tum Helvetiorum, ac Rhetiorum superiorum honestam ac fortem sodalitatem. Duces hosce, Florentinum, Lotharingicum, Allobrogem, Ferrarium, Parmæ, ac Placentiæ, Urbinatem, Ligures, ac Lucenses, Democratias, denique potentatum omnem ac Civitatem, quæ amica, socia, propinqua, cliensve est alterutri Regum Qui venerint in hujus societatis partem.

XIII. *Eaque ratione non Hispaniæ tantum ac Galliæ toti, sed universæ Reipublicæ Xpnæ tranquillitas quædam, pace orbi reconciliata, atque ociosa securitas terra marique esto. Par vicissim reddentibus Regibus de institutis majorum se nihil immutaturos reponitant Principes, Delphinus & Carolus, ac illud fœdus præscripto tempore ratum, certum, fixumque jurejurando corroborent, quod itidem ex sententia, decretis, interdictisque Principum comprehensum, preceptum, ac in acta relatum, trinundinoque rogatum Francia, tum Belgium omne excipiant: eo lato receptoque vicissim stipulantur.*

Hæc pacificatio eo majore cum voluntate duorum illorum Principum coibat, quod jam per omnem ferè Hispaniam & Galliam atroces de Religione Christiana contentiones exarserant, quæ non obscuro argumento plærisque Civitatibus ansam præbebant, ut in officijs vacillarent, claudicarentque. Et ipse Henricus jam antea edicta à patre Francisco contra quædam dogmata nova promulgata sub incudem revocaverat, & ad vetera de suis etiam quædam adjecerat, verum tanta moles curarum ex regni statu, & bellicis tumultibus tum incumbebat, ut ea quæ proposuisset, pro sua voluntate, & arbitrio exequi non potuerit. Hactenus M. S. Ex quo studiosè omnia Pacis commemoratæ capita ad numerum 13. reduximus, ut Symbolo quodam, haud contemnendo, in eo unicum Deum Verbum caro factum, duodecim quoque Apostolos, quibus ipse sancto ac immobili fœdere ingentem suorum fidelium Ecclesiam super Populorum aquas Mundique mare unitam ne in profundum iret fundaverat, unusquisque Princeps percipiendo, simul certo sciat, veram esse illam Plinij similitudinem, ac non secus Spiritualibus quam politicis regiminibus congruentem, *Tyrrhenus lapis quamvis grandis innatat, comminutus sidit. Ita concordia sustinemur, discordia pessum imus.*

Plin. lib. 2. c. 106 & Arist. de natur. cap. 12.

Hujus ergo Matrimonij conclusio ingentem omni Orthodoxo orbi attulit hilaritatem, at secus celebratio nuptiarum, quæ magnum luctum Regno Franciæ peperit vigesimo secundo Junij (refert Genebr.) loco citato dum celebrantur nuptiæ Philippi Regis, & Elisabethæ Henrici Regis Franciæ filiæ, simulque Philiberti Sabaudiæ Ducis & Margaritæ sororis ejusdem Henrici, ipse Henricus hastæ fragmento per galeam adacto à Montgomerio Comite in cranium, occubvit ex vulnere, natus anno 40. mens. 3. die ij. & Regni an. 12. mens. 3. die ij. Ejus obitus in Gallia locum dedit crebris rerum novarum machinationibus, & hæreticorum imprimis audaciæ.

De summa felicitate, qua hoc tertium Philippi II. cum Elisabetha Valesia conjugium propter Pacem commemoratam, ab eo radicitus stabilitam, Christi Vicarij Pauli IV. Pontificatum illustravit, cujus obitus in Philippo eodem dierum plenus.

IN maximo Pontifice Paulo IV. ejus inter adversa prospera, ac felicia quamplurima. In eo præcipuè, antequam ad divinum apicem, atque monarchichum totius orbis terrarum munus ascenderet, gemina nobilitas, pura sobolis & morum, altera, atque altera sibi invicem valdè concinnè mutuò correspondentibus, mirũ in modũ conclaruit. Didicerat enim ab ipsa infantia vir tantus, claritudine generis, & ingenij egregius, illud Senecæ sibimet etiam pronuntiatũ. *Est quippè aliquid magnis clarisque à longo tempore censeri Majorũ imaginibus, sed ita talibus te semper ostendens virtutibus qualibus isti claritatẽ partã ad posteros transmiserũt: ne Nobilitas, à Majoribus cœpta, in te desinat.* Ac proptereà constanti perseverantia repertus est, ait Genebrardus, usque ad extremũ vitæ, Pietate & virtute insignis. Priorem (illâ patriæ, quæ Neapolis Campaniæ fuit, quatuor Romanorum Pontificum natalibus antea celebris, prçteritâ) è parentũ visceribus splendidissimè traxerat Paulus. Fertur enim, teste fama apud Onuphrium (qui utramque Pauli nobilitatem brevi, & solide perstringit) Caraforum majores ex Germania clarissimo sanguine (ex hujus posteris fortè quispiam Austriæ stirpi affinibus conjunctus) ortos, Pisisque primum deinde Neapoli consedisse. Hinc non mirum si eorum posteri ad digna munia evecti hic in Germania, ingenuè sobolescant, & ad illa facinora propensi videantur, patrio generi adjuncti, quæ eorum avitæ claritudinis fomenta sunt, & argumenta. Sic Dominus Comes Carolus Carafa (de eo, ac ejus unigenito, nunc consiliario Archiducali, ac simul Cubiculario Principis, indole, doctrina, forma, ac moribus Juveni spectabili valdè pariter & amabili, Cardinalis Carafa Legatus Bononiæ, in conclavi, ubi in summũ Pontificẽ fortè proximè eligendus, extinctus, tanquam de suis gratissimis consanguineis mihi, eò cum hac aula Archiducali reperto mentio expressa) se gessit, tam Viennæ, quam hic Oeniponti, ubi adhuc superstes, nec tanta ætate longevus S. Iobi patientiam arthritidis morbo per plures annos affectus, ac eo penè consumptus, non sine magna totius Civitatis ædificatione mirum in modum multa pietate communitus, imitatur. In aula Imperatoris Ferdinandi II. sub equitis deaurati, sive intimi Cæsarei cubicularij officio illi Majestati primò, postmodum verò Imperiali militiæ ceu unius equestri cohortis dux adeo laudabiliter, prudenterque inservivit, ut Archidux Austriæ Leopoldus, prædicti Cæsaris frater germanus, parensque nostri Serenissimi Principis, eidem frati cum esset

Seneca apud Bucel.

De stirpe Caraforum.

Viennæ

Viennæ pro aula sua eum petierit, obtinueritque, ibidemque vicem præfectum Serenissimæ conjugi, filiabus verò Archiducibus absolutum constituerit. In utroque munere omnibus gratum, officiosum, ac commendabilem se prebuit, uti apud cunctos satis compertum. Ex nobili conjuge Germana præter tres feminas (harum duæ inter nobiles hujus Civitatis moniales cælibem vitam agunt, prior autem è numero virginum, quas Damicellas vocant, Serenissimæ Claudiæ Mediceæ, Baroni cuidam effectiuo Aulæ cubiculario nupsit) genuit, & Comitem Ferdinandum filium commemoratũ, Imperatricis Leopoldinæ olim ephebũ, nũc verò Serenissimi nostri etiam equitem deauratum, cui sponsa mensibus præteritis ducta secunda genita (major nata elocata fuit Comiti de stirpe Welchenstain familia, per Teutoniam nobilissima) Domini Antonij ex illustri familia Ghirardorum, cubicularij aulici, Baronis de petra alba, magni, ac supremi totius curiæ Cancellarij, nec non & gubernatoris, seu Capitanei, ut aiunt, Tyrolis, in quo multi momenti regimine secunda post Archiducem persona in tota ditione reprehensentatur. Regnantibus Serenissimis Archiducibus præfatis Leopoldo, & Claudia prædicta, rexit quoque munus ejusdem Cancellariæ; Iterum deinde, ea extincta, vocatus, omnem principalium negociorum directionem tanquam Ministro bene cognito, practico, & idoneo, plurimumque rebus pietatis addicto, Principes tradidere.

Itaque Summus Pontifex Paulus IV. Carafa Neapolitanus claritate natalium decoratus, fælix ex hac parte adjudicandus. Verum Christi Vicarius postea effectus, tria illi præter cætera prosperrima, ac gloriosa. Primũ est, in quo laudem magnam omnium testimonio promeruit, cum rarò justitiæ & æquitatis exemplo cognitis, quæ sibi de fratris filijs (hi Ecclesiasticæ ditioni præpositi erant) delata fuerant, quidquid ea fuerint, frequenti patrum senatu Cardinalem Carafam à rerum cura, & Bononiæ legatione submovit. Paliani ducem principis totius Ecclesiastici Exercitus loci dignitate, & Triremium præfectura: Marchionem verò Montisbelli custodia palatij Apostolici privavit. In eos adeò vehementi oratione frequenti senatu invectus, qua nimiam eorum licentiam arguens (hæc quidem hostis domestica, ac proindè nocentior patruis, Vrbi, & Ecclesiæ Romanæ plerumque, ut recentiora probant experimenta, canente Poeta, *Pessima turba nepotum* (*intellige malorum*) sevissimè eosdem accusabat, ut Cardinales quosdam, animum ejus commotum sedare, atque illos excusare conantes, atroci vultu adversatus, longè graviora, ni quam primum omnes urbe cederent, minaretur, & Cardinalem quidem urbe exactum apud Lanuvium, reliquos verò in sua castella relegavit. Quam resolutionem, ut ostenderet, in eo sicuti plerasque alias magni momenti constantem esse & effectui demandandam, non autem levis animi, subdolam, & apparentem, omnibus demum ijs, quibus ipsi aliquos magistratus mandaverant, loco & dignitate pulsis, quibusdam etiam victis, novos provinciarum præsides in eorum locum

Ex Onuphrio in Paulo IV.

Iustissimus Iudex in nepotes, & consanguineos.

De horum nepotum infelici obitu vide histo. in Pio IV.

cum sufficit. Omnibus Christianorum Principum, in his Reginæ Angliæ, & Rerumpublicarum oratoribus, qui gratulatum, & ad ejus venerationem Christiano more Romam venerant, publicis in concistorijs admissis, ingeniũ rursus secutus, ad ea quæ depravata sibi videbantur, emendanda conversus, totus ad tollendos ausus, quos superiorum temporum negligentia pepererat, incubuit, ut hac saltem ratione Lutheranorum voces contra Romanam curiam, & primatum Ecclesiæ, illo Antichristi ab eis malignè comparatum, obloquentium retunderet. Sed tunc maximè istud sanè intentum facilius haud consequendum obdubitavit, cum ea in consanguineos ingratos, scelestosque exercuit justitiæ facinora, de quibus supra diximus; & quæ haud operæ demandare coactus esset, si ipsos penitus à se longè priusquam immutata voluntate consultius eliminare deliberasset, quemadmodum alij Pontifices ingenti cum laude id effecerunt, ut pleniori libertate, ac potentiori vi tam negocia in bonum Christianæ Reipublicæ cum Principibus agitata, secundus eventus sortirentur, quam Ecclesiæ hostes (hi immenso hodie Acatholichismo tota in Europa formidolosi) confusi obmutescerent, ac tam egregio exemplo territi mitiori petulantia in Sedem Apostolicam inveherentur. Quidam vir doctus, Sacrorum Bibliorum valdè gnarus, sed parum Catholicus sæpè sæpius intolerabiles Romæ abusus in sui defensionem mihi, suis impijs argumentis passim satisfacienti, petulanter (ut hoc genus hominum assolet) objiciens, quadam die historiam S. Vrbani Pontificis & Martyris in Breviario Romano conscriptá attulit ab illis verbis. *Hic de bonis Ecclesiæ attributis scripsit his verbis. Ipsa res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus quam Ecclesiasticos, & Christianorũ fratrum, vel indigentium converti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* Argumentum, quod super his verbis ille nequam doctor fabricavit, commune est moderno Hæresismo, estque & ejus Achilles quo insuperabili vi populos vincit, subjectat, cuique tot nationes se se, majores in dies factæ liberè tradunt, applaudent, armis, thesauris, sanguine, vita ipsa custodiunt, defendunt. Mea responsio imitata est B. nostri Capistrani morem, in quibusdam literis ad Papam Nicolaum V. alibi meliori occasione enarrandis emissis. Derisit quodam risu Sardonico homo ille responsiones meas, debitasque excusationes: sed dum ad alias materias mutato discursu postmodum transiret, haud obscurè percepi, ipsum confratem esse *Fraternitatis Rosæ Crucis* quæ, teste Spondano ad ann. 1623. ab aliquot annis in Germania orta clanculum cohibat, adeo ut & ejus sectatores se invisibiles dicerent, & incognitos, quantumvis ab aliquot sæculis originem duxisse jactarent. Putatur autem esse surculus Lutheranorum, ac mixtio quædam Empirismi, ad sanandos morbos, & Magiæ ad invisibilitatem ostendendam. Hæc ille. **Nota.**

Alter prosperitatis successus tempora Divini Monarchæ Carrafæ feliciis reddidit ratione præsentis Conjugij Philippi II. cum Elisabetha Valesia

Onuphr. loco citato.

memorata propter eandem Pacem, de qua egimus. Ita testatur Onuphrius, qui proindè hæc habet specialius. Pauli Pontificatum divina providentia illustravit, & insignem fecit nobili illa, & memorabili pace, Dei beneficio inter duos summos orbis Christiani Principes, post affinitatē contractā facta, Philippum Hispaniæ, & Henricum Francorum Reges. Cujus causa Romæ à Pontifice more majorum insignes supplicationes habitæ, lætitiæ signa edita.

Obitus Pauli.

Mors denique Pauli Christiana, & exemplaris quemadmodum & tota vita: hilaris etiam & dierum plena propter Philippū II. Catholicum. Audiamus iterū Onuphrium, ut qui huic capiti motiva dedit, det pariter & conclusionem. Cum, inquit, Bartholomæus Cueva Hispanus Cardinalis vir bonus, & pius, Iacobo Sabello Cardinale adstante, patrio sermone consolaretur, diceretque inter cætera, admodum ægrè ferendum esse, tantæ pietatis Pontificem eo potissimum tempore Reipublicæ Christianæ eripi, quo cunctis dissidijs pacatis, in Ecclesiæ restitutione ejus opera maximè necessaria videbatur: Ipse illicò eadem lingua Hispana se ita vitæ suæ cursum instituisse respondit, ut quoties ex hac mortali vita ei abeundum esset, Dei vocationem propenso, & jucundo animo susciperet. Proinde alacriter admodum se hinc emigrare, cùm quod hanc Dei voluntatem esse prospiceret, tum quod eum *Catholicæ fidei defensorem à Deo Optimo Maximo delectum relinqueret, Philippum scilicet Hispaniarum optimum Regem; cujus Pietate, & virtute Rempublicam Christianam afflictam proculdubio recreari, & restitui posse non dubitabat.* Quam sententiam corde adeo gaudienti Pontifex, cum morte confligens, protulit, ut ejus suprema verba extarint, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, &c.* Hæc profectò summorum Patrum & Pastorum Ecclesiæ summa quoque hilaritas jucundaque demonstratio esse debet, nimirum Christianorum, ac Catholicorum Principum regimen. Idcircò Pontifices Romani sancti nomine & opere & omni probitate, & bonitate præditi, tanti olim faciebant Principum amicitiam, & correspondentiam, eos paternali amore amplexando, eorum justis petitionibus quam gratiosissimè satisfaciendo, quia sciebant, totam ditionem, ac potentiam Ecclesiasticam, adeò hodie pernecessariam, ut tyrannidi multorum obstaretur, eos Christi & Petri fidei maxima pietate famulantes, prodiga manu Magnis Constantino & Carolo ducibus elargitos fuisse. Ac experimento didicerant, Principum Catholicorum juvamina, hostium incursionibus non sine magna eorum bonorum temporalium detrimento, ac jactura, instar æneì muri opppsita, non solum fidem, & Divinum cultum, verum etiam Ecclesiasticum splendorem; tam liberè atque abundè pluribus Europæ regionibus, & maximè Roma, ac per totam Italiam quotidie commonstratum (quo etiam consanguinei Gazicè ditati, & ab imis ad summa evecti magnam apud Principes, Reges, Cæsares sortiuntur existimationem) defendere, conservare, augere. Et nihilominus propter scelera

nostra

nostra, & præsentia tempora tam iniqua, & maligna, ambitio in monstruosam sobolem erumpens, cupiditatem acquirendi effrenata & insatiabili avaritia parturit. Hæc porrò immensos theauros per fas nefasque collectos, receptosve cum alienis substantijs populorum crimina absorbens, immensos quoque honores, ad quos inhiat, quosque haud rarò super imaginaria spatia, quorũ ubi ultra EmpireũCælũ constituunt Philosohpi chimericè, collocat, lucrari cupiens, indigna bella, fidei propagatione oblita, sæpenumero excitat, nutrit. Hinc despecta multoties (heu dolor) Principum Christianorum amicitia, Stygiæ Zizaniæ superseminator fomentis Pseupoliticorum perspicaci arte supervenientibus, triticum Evangelicum, ac bonum semen pietatis, & exempli in rebus plurimis suffocat, deturpatue. Et eo magis seculares fidei Romanæ proceres plerumque indignantur, quo experiuntur, haud rarò personæ privatæ, vel quia Pontificis affines, vel quia ab his dilectæ etsi ut plurimum infimæ, vilesque multa à sancta sede quam facillimè obtinent, absque eo ut debito examine personæ quibus conferuntur, requiratur; quæ nullo modo magni Principes rogando, instando, sudjecta conspicua proponendo, obtinere possent. Faxit Deus, ut hæc absolutissima independentia, quam ita studiosè atque incredibili sollicitudine Ecclesiastici Primates nancisci satagunt, ne illa discrimina in Ecclesia pariat, quæ ut deinceps cum damnis ab eis exortis recidantur, vilibus dependentijs exterminatis, & in fumum redactis, vanus sit sudor quicunque, & frustranea omnis industria. Illud decantatum, *Est modus in rebus, certique denique fines*, valdè in similibus perpendendum. Providentia præcipua Dei nobis hodierno die pernecessaria. Vsque dum prædictæ corruptelæ, Paulo IV. Duce ab Ecclesiastico regimine non amputentur, Vinea Patris familias, nimirum Ecclesia in nova germania, ut uberiores vuas, vinumque produceret, erumpere ne utique amplius poterit, neque Orbis Xpnus generali Principum fædere secundis eventibus, supremo Romanorum præsule cooperante tranquillari.

Sequuntur tam matrimonium 4. Philippi II. cum Anna Austriaca, quam Vxorum obitus, ejus exemplarissima mors, proles, ac postremo conjugum stemmatographica.

PRimogenituræ titulum inter 15. liberos (quorum masculi 9. fæminæ sex tantum) Maximiliani II. Imperatoris Manlius, Gans, Kilianus, & alij recensiores ANNÆ Philipp. II. Vxori 4. ascribunt, excepto uno Pallavicino, qui Rudolphum II. Cæsarem primo loco ponit, alios sequuto, ut ipse testatur, qui forte nativitatis ordinem dereliquére. Manlius ipse hæc mihi de Anna eadem subministrat Nata est Anna Maxi- Manl. append. Maximil. II. fol. 100. & seq.

Maximiliani II. Rom. Regis primogenita filia Zigaliæ in Castilia Hispaniæ Regno anno 1549. mensis Novembris 2. die Saturni (Gans 1. die) nocturno tempore uno horæ quadrante ante primam in signo Arietis. Baptizata die 3. ejusdem mensis à Reverendissimo Episcopo Lugensi. Compatres fuerunt Marchio de Tobara, Comitissa de Farro, & Polyxena Lassa, ejusdem Regiæ infantis Annæ suprema Aulæ præfecta. Nupta est Potentissimo Hispaniarum Regi Philippo anno 1570. Kilianus specialius Segoviæ sub initium Novem. 1570. Hæc cum multos annos in Austria apud parentes omni virtutum genere, & honestissimis artibus, tantorum Monarcharum filiam decentibus, esset instituta, jamque quodammodo adolevisset, Carolo IX. Gallorum Regi fuit in matrimonium destinata, quemadmodum ejus soror Elisabetha Caroli Principi, Philippi II. filio fuit promissa. Quare operam dederunt parentes, ut Anna Gallicam, Elisabetha Hispanicam linguam addisceret. Superveniente paulo post præfati Caroli morte, res utrimque in diversum est mutata. Mox namque conversis consilijs Anna Regi Hispaniarum Philippo, ut dictum est, Elisabetha Carolo IX. Gallorum Regi est desponsata. Quare hæc quæ Hispanicam jam hauserat, illa vicissim, quæ Gallicam callebat, Hispanicæ studere debuit, sic effectum est, ut utraque tres calleret linguas, Germanicam, Gallicam, & Hispanicam.

Profectura ad sponsum suum Anna 10. Augusti anno 1570. Vienna discessit. Nuptiæ in Hispania 14. Novembris eodem anno celebratæ. Ita Manlius.

Obitus conjugum Philipp II. Harum quatuor conjugum nulla viduitatem gessit; quælibet enim viri sui ab hac mortalitate transitum antecessit. Prior Maria obijt in Hispania, & ante ipsum maritum ann. 53. siquidem ejus excessio contigit 1545. 4. Idus Julij. Posterior Maria Anglicana quæ defuncta est 1558. mense Novembri (Manlius 1554. non adeò multum post contractum matrimonium, sed fallitur) ann. 40. Altera deinde Isabella Valesia, cujus interitus non multo post Carolum Principem, inquit Manlius, & Carolus obijt ex M. S. 1568. ann. 30. Postrema Anna Austriaca, quæ vitam deseruit 1580. 8. Cal. Novemb. ætatis 32. (Kilianus 27. Oct. ex febri Pax-Augustæ cum vix ipse ibidem ex periculoso quodam convaluisset morbo) præcessit viri sui excessum ann. 18.

Terminus, extremaque Philippi vitæ periodus illud sapientis, *Qualis est strepitus stipularum ardentium sub olla, talis est risus stultorum*, quam verissimum esse indigitavit. Inquit enim D. Bernardus, *Deficiente ignis materia etiam ipse deficiet, & ubi videris illam prorsus exustam, hunc quoque nihilominus extinctum esse comperies. Sicut ergo flammæ illius novissima fumus occupat, & caligo, sic lætitia in tristitiam commutatur.* Anno igitur 1598. dum in ipso nuptiarum apparatu hinc Principem Hispaniarum, & Albertum Austriacum lætis omnibus cives prosequuntur; illinc Regijs exercitus ad Rhenum fulminantis metu consternantur hostes, præmuntur innoxij, Rex Philippus

Eccles. c. 7. S. Bern. ser. 1. de diversis.

post

post gravissimos exantlatos labores fatis concedit, paulo enim ante obitum Infanti filio, & hæredi Margaritam Gallicanam, Infantem verò Elisabetham filiam dilectissimam Belgis Principem Alberto nepori conjugem dedit. Itaque sicuti vita Christianissimi Regis ad mortem usque continua velut cum familiæ & potentiæ suæ hostibus & æmulis luctatio fuit, ita pariter ultimis ejus annis pro hymenæo vicinissimum sibi auspicante interitum luctus tota passim Hispania auditur. Fusè Cæsar Campana scripsit Italico idiomate in Deca 7. lib. 12. omnia quæ contingerunt in ægritudine, & transitu hujus Catholici Regis. Ipse autem sequens M. S. hæc de utraque brevi afferam. Ad senectutis imbecillitatem arthritidis, sed Chiragra inprimis accesserat, cujus dolore totum corpus confectum febris invasit. Vim morbi sentiens, etsi ita fractis erat artubus, ut gestationem vix ferre posset, Madrito tamen ad fanum D. Laurentij, quod incredibili sumptu extruxerat, lecticariorum humeris transferri voluit. Ingravescente morbo cura finem vitæ haud procul esse animadverteret, peccata de more Catholicæ Ecclesiæ confessus, Eucharistiam incredibili humilitate, ac religiosa pietate sumit. Mortui Cranium juxtaque auream coronam abaco junctim super imponi, capulum etiam cupreum cubiculo inferri jubet, ut eo signo humanæ mortalitatis admoneretur. Inde vocato ad se filio, filiaque corpus penè jam tabidum demonstrans *En tibi* inquit, *ò fili specimen gloriæ mundanæ. Aspice miserabile hoc corpus. Nullus locus ultra est humanæ Opi, nec de morbi remedijs; sed de sepultura jam nobis cogitandum.*

Philip. II. ægritudo.

Morti se religiosissimè parat.

Alloquitur Principem heredem.

Hæc locutus non sine magna omnium, qui adstabant, commiseratione, multisque lacrymis, è cubicularijs ministris uni vidulum afferre mandat, è quo aperto monile præciosissimum auro & gemmis confectum desumit, filiæque traditum, his verbis commendat. *Matris hoc quondam tuæ id jam habeto, & asservato, memoriæ monumentum.* Ex eadem deinde chartam acceptam filio porrigit, in ea, dicens, descriptam esse omnem imperij administrandi rationem, eamque ut omninò sequatur monet. Totam hanc scripturam in Philippo III. dabimus. SCUTICAM inde multicolorem omnibus conspiciendam proponit, cujus extrema cruoris vestigia quædam præseferebant. Eam cum in altum tolli jussisset, *Hic*, inquit, *Sanguis est de meo sanguine, non meus ille quidem ipsius, sed patris mei, qui hoc flagello corpus suum castigare solitus fuit. Id ego, ut avitæ vos pietatis, & devotionis commonefacerem, hucusque inter præciosissima asservari jussi.* Funeris denique pompam cæremoniasque, quibus sepeliri vellet, scripto consignatas recitari jubet hanc fere in Sententiam. *Se post imperium quadraginta jam annos, & eo amplius administratum Deo reposcenti animam reddere, ut de ea statuat, quod ipsi visum fuerit: corpus exanime unctum, & conditum regio cultu ornatum urnæ ferali imponeretur, finito tempore luctui præstituto, decantatisque precibus sepulchro majorum inferretur.*

Filiæ tradit monile.

Principi porrigit cartam reginimis, & scuticam Caroli V.

Vltima mandata edit.

Interea Infans cum amita in D. Claræ, filius verò Princeps in S. Hieronymi, quod est Madriti cænobium se se abierent, ibique sacris, quæ pro mortuo fierent, interessent. Cubiculum ubi decubabat continuis religiosorum votis, & supplicationibus frequentabatur; & quo magis omnium deprecationibus adjuvari posset, mortem suam post animæ excessum quamprimum voluit divulgari. Legato Pontificis liberos suos, liberis Romanæ Ecclesiæ obedientiam commendat: filiumque successorem seorsim alloquutus, *Tu inquit, sororem tuam qua par est benevolentia, & favore prosequere, paci, & tranquillitati stude. Bonos premijs excita, malos pœnis coerce.* Tandem ultimum eos complexus, tristes à se dimittit. Princeps cubiculo egressus, Christophorum Moram, quo Rex omnium secretorum conscio usus fuerat, de clavi, quam vocant, *Magistrali*, percunctatur, num ea penes se esset. Atenti, eam mihi cedò, inquit. Respondet Mora, fidei hoc signum à patre sibi concreditum, nonnisi de ejus voluntate, & jussu cuiquam tradere se posse; utque id bonam in partem accipere velit, summissè orat: simul egredientem officij causa comitatur, & adducit. Non multò post reversus, Regi, morbo paululum intermittente, exponit, quid à se quæsierit Princeps, & quid ipse responderet. Ibi nolle hoc factum, Rex dicere, ac urgente jam vi morbi extremam unctionem petere. Ea ab Archiepiscopo Tolerano ritè administrata, Princeps, sorore comitante, ingreditur. Venienti Mora occurrit, & flexo in teram altero genu, clavim tradit: de eo, quod à se prius factum fuerat, excusans. Eam acceptam Princeps Marchioni Deniano reddit. Lectulum circumsistentibus Principi, & Infanti ministros morti vicinus commendat, & in his præcipuè Christophorum Moram, cujus fideli opera, & consilio maximis in rebus usus esset. Post ultimum vale dictum vox eum deficere cæpit, eoque in statu biduum permansit. Non multò ante cum mortis mentio fieret, Rex eo die moriturum se negavit, horamque ab homine religioso præsignificatam sibi dixit. Nec dicto fides adfuit. Die enim 13. Septembris circiter horam tertiam matutinam excedit, cum vixisset annum unum, & septuaginta, & menses quatuor. Hucusque ex M. S. citato ad calcem illius lib. 24. Kilianista, tandem anno ætatis 72. Salutis 1598. 13. Septemb. vitam mortalem exuit. Cui idem M. S. vix unica pagina completa mutando sententiam, concordat. Inquit enim post conjugum enarrationem in fine, ubi etiam de ejus cognomento. Rex Philippus II. à Stephano Vintoniensi sacro Præsule in Britannia Jvsтvs cognominatus anno 1557. (sed ab ore summi Pontificis Pauli IV. ut proditum est Fidei Catholici defensor *ann. 1559.*) finijt 1598. Vixit annos 72. menses tres, dies 23. sepultus cum Vxoribus in Escuriali à se condito. Princeps, atque Monarcha toto orbe fama, & rebus gestis satis notus. De quo cum regnaret, illud cani poterat citra adulationis poeticæ notam

Erat hic Patriarcha Caetanus à quo petens nomine Summi Pontificis benedictionem, statim ei data fuit.

Extremam unctionem sum.

Commendat Principi Christophorum Moram.

Exit è vita anno ætatis 71. & men. 4.

In eicone Phil. 2.

Similem quæ pertulit ætas

Consi-

Consilio vel Marte virum? nunc Brutus amares
Vivere sub Regno, talis succumberet Aulæ
Fabricius, cuperent ipsi servire Catones.

Mors ejus (redeo ad idem M. S. cui inseram & alios historicos) variè mentes hominum affecit, prout cum quisque amabat, aut metuebat. Tam prospera usus est corporis valetudine, ut qui primus ei, & postremus fuerit morbus. Similis valdè in re hac proavo suo Maximiliano I. de quo Cuspinianus. Erat alioqui par victus frugalitas, licet quotidie vesceretur splendidè, adeoque mundè, ut nemo non ipsum videret non sine magna animi voluptate aut cœnantem, aut prandentem. Inter prandia raró bibebat, in mensa ut plurimum ter, atque ideo valetudo illi usque ad periodum vitæ prospera semper fuit, &c. Erat ei dum viveret facies & compositio membrorum decora, statura mediocris, ingenium acre, incredibilis patientia laboris adeo ut sæpè scribendo aliaque maxima momenti negotia tractando, integras noctes diebus continuaret. Hanc quoque egregiam dotem, ingentis pretij, & unà cum gravitate haud multo labore inter Hispanos acquisitionis, sed magnis Principibus pernecessariam, didicit quoque exemplo proavi memorati, cum de eo quoque afferat idem auctor, corpus erat laborum patientissimum adeo ut in multam noctem crebrò scriberet, consuleret, res magnas ageret, sæpè etiam arma tractaret, hastis concurret cum Principibus in ludis, & serie cum hostibus: æstum ac frigus, inediam & commeatus penuriam juxta ferret, &c. At omne robur Philippi in regendam ampliandamque Monarchiam, quo illud ensis Maximiliani superavit, parentis verò adæquavit calamo. Patientia verò Xp̄na in eo omnimodè peregrina, & nonnisi egregijs animis, Christo Apostolico spiritu adhærendi assuetis comparanda. Id quod tempore obitus duobus exemplis valde admirandis, incredibili experimento comprobavit. Vt intensissimos, acerbosque dolores, quibus intimiora Regis viscera in eo morbo (nullo tamen ostenso, & hoc quidem maximo astantium stupore, alteratitionis signo) torquebantur, medijs suspirijs, & clamoribus interdum temperaret pluries suaserant medici. Quibus ipse, habitu Xp̄næ tolerantiæ jam sui ipsius dominus effectus, respondit. *Et quare rerum earum nobis dolendum, quas pro nostro bono complacet Deus nobis concedere?* Insuper volens Chirurgus alterius Regis genu apostemā incidere, cogitansq; quis cubiculariorū illam partem, ne sinistra aliqua agitatione vim ferri sentiens moveretur, firmam tenere deberet; *Num* (statim intrepidè dixit) *corpus mihi, poplitem sustinendi, deerit?* Reliqua de hac virtute in tanto Monarcha alibi.

Cuspin. in Maximil. I.
Eius statura.
Magna Christianæ patientiæ exempla.

Vultus ejus Belgam magis quam Hispanum referebat. Labris erat prominentioribus, ut plerique omnes ex Austriaca familia (horum quoque plurimi, inter quos maximè Maximilianus I. Princepsque noster, ei simillimus, ut dictum est, nasi Aquilini imagine innatam majestatem repræsentant) Aspectus eius.

capillo

capillo flavo, barba subrufa; quibus senectus venerabilem caniciem adjecit. Ingenio quieto fuit, si suis ei moribus uti licuisset: injuriarum tamen non facile oblivisscebatur. Qui iniquiores ei sunt, & aliquantò acerbius in vitam ejus mores inquirunt, ambitionis eum,& affectatæ Monarchiæ insimulant, idque unum egisse dicunt, ut cæteros Principes inter se committeret, & multis cladibus attritos, vel suis armis oppressos, sibi uni faceret obnoxios. Certè non defuerunt Principes, qui his ipsis eum artibus peterent. Non mediocrem etiam invidiam ei confovit formidabilis omnibus potentia. Nom enim Hispaniam tantùm universam, Lusitaniam, magnam Italiæ partem, Insulas penè innumeras imperio tenebat: verum etiam infinitis spacijs in utraque India ad Orientem, & Occidentem extensis terris moderabatur: quarum tamen omnium opes Civile bellum in Germania inferiori excitatum restinguere non valuere. Bella variâ fortunâ gessit, sed prosperrimè ea, quibus ipse interfuit primis imperij annis. Religionis patriæ tam fuit tenax, ut ditiones suas præsertim quæ in Belgio sunt omni bellorum clade deformatas videre mallet, quam pullulantibus in ijs novis opinionibus crescendi dare copiam. Vnde non semel tantum, sed pluries in hanc sententiam prorupere auditus est, *se mallem potius totum Belgium, quin & universas suo amplo regimini subiectas ditiones perdere, quam eas hæresi possidere.* Imo tanto ardore pro Catholica fide *fidelis servus, & prudens, quam constituit Dominus super familiam suam* Xpnam excanduit; ut protestatus sit, ceu alibi scripsimus, se proprijs humeris ligna, ubi conburendus esset Princeps hæres, si hic in hæresim laberetur, plateæ in medium deferre paratum, ipsumque tanquam Ecclesiæ reum igni tradendum, ut à flammis in cinerem resolveretur, intrepido corde proijceret.

Mors.

Calumiatores, & malavoli.

Res gestæ.

Patria Religio.

Ex Scola Veritatis.

Obijt Heros Austriacus Hispanusque annis sex antequam excederet Clemens VIII. Sæculi nostri omnium Pontificum decus & norma, qui tanta animi ægritudine ac tristitia affectam propterea fuisse ejus vitam, quanta lætitia & hilaritate perfusa visa est mors Pauli IV. commemorati, Philippum filium in Christiana Republica relinquentis. Habuit enim urgentem collacrimandi Christi Vicarius Aldobrandinus causam non secus ac Gregorius X qui audito S. Bonaventuræ ex meo ordine Cardinalis Seraphici interitu, publicè, & fortè flentibus etiam oculis testatus est, *Ecclesiam Dei illius morte magnam incurrisse jacturam.* Hinc scriptor ille Italicus commemoratus ostendit primò Philippum Regem nuptijs hæredi, ac successori perfectè complentem gubernij Monarchici renunciatione (Belgicum Infantæ Dominiũ Isabellæ dereliquerat) pro qua illud paucum vitæ residuum Escuriali cænobio, summis expensis constructo, dicatoque D. Laurentio, cujus die victoriam illam de Gallis apud S. Quintinum obtinuerat, cum descalceatis Religiosis, eidem domui inservientibus, assidua Sacramentorum & orationum frequentatione quieto & tranquillo statu peragere, ac perfi-

In off. S. Bon. apud minores.

cere

cere instituit. Deinde fert tam Christianissimè paratum se ad extremum transitum apparuisse, ut plumbeam urnam cedreo ligno contectam, ac sui cadaveris loculum cernere prius optaverit, & coram se usque ab finem habere. Subditque, petijsse instanter è suo Confessario, qui tribus simul religiosis alijs extremæ unctioni interfuit, ut quidquid pro suæ conscientiæ exoneratione necessarium videbatur, ei recordaretur, dum tam gravi morbo oppressus neque omnia advertere, neque de omnibus recordari poterat: ipsumque rationem Deo redditurum protestatus est, si rem aliquam humano respectu submotus taceret. Scribit insuper quomodo tribus diebus ante 12. suæ ægritudinis mensem pacem jam inter ipsum, & Regem Gallum conclusam Madrito, ut tanto valentius cum mortis tristitia illa hausta lætitia luctari posset, palam fieri jusserit. Et quomodo etiam postrema filijs elargita benedictione, cum amplius loqui haud posset, nunquam crucifixum, quem semper pijssimè contuens, emisit animam, reliquerit. Tandem ita meritò concludit.

Spirò sù la quint' hora di quel giorno il maggiore, e più potente Rè non solo della Christianità, mà che forsi dir si può senza audacia dell' Vniverso. Poiche la parte del Mondo, ch' ei possedeva, come disse un valent' huomo, non havea trovato ancor Matematico, ò Geometra veruno, che potuta l' havesse cò suoi veri termini conscrivere. Ad hæc Comes Lolchi fol. 60. Hebbe Philippo Imperio, testa, e concetti benche piccilo di statura, tanto maggiori, sopra di che lessi, che un Principe d'alto lignagio Inglese due anni continui navigò, peregrinò per la terra d'orto all'occasò, ne altro maj scorse, vide, ò udi, che ditione di mare, e di terra del Rè di Spagna, onde giunto alla corte, introdotto che fù come suggetto conspicuo, à riverire Filippo, nell' inchinarsi, e baciarli la mano, sopra fatto da meraviglia, e confusione, cadendo suenne, sopra di che à chi ne lo richiese, rispose poi, *Et non deficiam dum compendium terrarum orbis aspicio?* Et quidem ingens beneficium generis humani esset tam ex parte Numinis, quam ipsius temporalis regiminis, si uni Philippo universus Mundus Monarchicè subjectus esset. Quæstio est, & Bellarmini resolutio lib. 1. de Rom. Pont. cap. 9. Vtrum autem, ait, expediret, omnes provincias Mundi ab uno Summo Rege gubernari in rebus politicis, quamvis id non sit necessè, posset esse quæstio. Mihi tamen omninò expedire videtur, si possit eò perveniri sine injustitia, & bellicis claudibus. Præsertim si summus Monarcha sub se haberet non Vicarios, & Proreges, sed veros Principes, quomodo Summus Pontifex sub se habet Episcepos. Hæc ille. Nihil enim melius desiderari posset, quam duo tantum capita, & utrũque primum, & vicem Christi non eodem modo gerens, sed alterum divinum pro Ecclesia ubique diffusa, alterum Catholicum, & pro humano regimine hinc inde & per orbem totum undique constitutum. *Puosse anche piamente affirmare* (Sequitur Campana) Nota.

Tt che

che moncasse à S. Chiesa quel giorno il piu potente braccio della sua difesa, *come chiara fede ne fanno l'infinite azzioni, per questo solo esseguite, gl'inestimabili tesori, per ciò solo consumati, gli huomini innumerabili d'ogni sorte, per tal cagione fatti esporre à gloriosa morte: e l'invincibile fermezza di animo dimostrata nel continuo corso di tanti anni, ch'egli havea regnato, sempre esercitando l'armi contra infedeli, nè mai volutosi piegare in un minimo punto à favor de gl'Heretici suoi rebelli; tutto che, rimosso il particolar della Religione, potesse havergli divotissimi, e anche utilissimi sudditi. Onde ben si approva per infallibile l'argomẽto di coloro, che dimostrano tanta prosperità nella Casa Imperial d'Austria, nõ si esser altronde cagionata, che dall'alto fondamento della somma sua Religione, e che si vede in questa progenie del Re il Signor Iddio essersi compiaciuto di più fare apparire il cumulo delle sue grazie, dove hà scorto fermezza maggiore di vera pietà, ò sia ne gli antenati paterni, ò materni. Chiara cosa è che tutto ciò ben conoscendo il Rè D. Filippo, non solo tante cose operò in vita per grandezza, e mantenimento della fede, quante raccantate habbiamo, ma morendo ancora per ultimo ricordo, ed espresso comandamento disse al figliolo, che trè cose principalmente guardasse di conservare hereditarie di suoi maggiori. La Obedienza, à Santa Chiesa con la difesa della Xp̃na Religione. Il non tolerar heresia veruna giammai ne gli stati suoi per alcun interesse mondano. E proveder di ministri tali suoi popoli, che con esatta giustizia venissero governati.*

Brachium in defendenda Eccles. potentius Phil. Rex.

Multoties ab Autore probatum est argumentum istud.

Tria præcipuè commendavit Principi, obiens parens Philippus.

Et hæc est ratio valdè urgens, quare tanta cum vigilantia & promptitudine Summus Xp̃i Vicarius Alexandre VII. statim hac interitum Cæsaris Ferdinandi III. intimo cordis merore audierit, post luctuosam demonstrationem de eligendo Principe Austriaco in Regem Romanorum triumviris Ecclesiasticis efficacibus literis scripserit. Prescius quidem Petræ Petri firmitatem, ablato Imperio Germanico abs Domo Austriaca, magnæ formidini, & commotioni necessariò exponi debere.

Ex tribus Vxoribus, Maria Lusitana, Elisabetha Valesia, & Anna VI. Austriaca sex proles edidit Philippus II.

EX priori genuit Carolum III. Hispaniarum Principem 8. Iulij 1545. Vixit tantum Austriacus iste annos 23. eo quia excessit Madriti die 24. Iulij ipsa S. Iacobi Apostoli vigilia anno 1568. Sepultusque fuit in regio Monasterio D. Dominici ejusdem urbis. Emmanuel

à Mettern

à Mettero lib. 19. p. 813. refert in illius epitaphio hæc inscriptio Hispanicè incisa reperiri.

A Qui jaze, Qui en para
Dezir Verdad, Morio
Sin Enfermidad.

CVm altera verò Elisabetha Valesia procreavit primò Elisabetham Claram Eugeniam hoc nomine apud Austriacas XI. Hispaniarum Infantem, Burgundiorum, & Belgarum Principem. Nata in nemore Segobiensi ipsa vigilia D. Claræ, Minoricæ fœminarum normæ institutricis, unde & ejus concinna denominatio, anno eodem 1566. quo Belgici intestini motus (adventu suo aliquando componendi) initia habuere. Eugeniæ vocabulum additum pietate adversus D. Eugenium, primum Toleti Episcopum, quem anno præcedenti ex oppido D. Dionysij propè Lutetiam, cujus Divi primi Galliæ Apostoli fuerat discipulus, magna pompa, & omnium lætitia, annuente Carolo IX. Rege Galliæ, in Hispaniam transportandum curaverant. A Rudolpho II. Augusto expetita, Ernesto Maximiliani II. Imp. filio à patre Rege destinata, cælitus Alberto reservata, nupsit Valentiæ 25. Aprilis 1599. eidemque imperium Belgicum dotale attulit. Deinde CATHARINAM IX. Hispaniarum Infantem edidit Madriti 10. Octobr. anno 1567. nupta Carolo Emanueli, Emanuelis Philiberti ex Margarita Francica filio, Sabaudiæ Duci, Cæsar-Augustæ I. Martij 1585. Tertio Hæredem & successorem *Philippum III* de quo infra.

Vide Kil. in Philippo II.

M. S. ad finem vitæ Philippi.

Ex 3. denique conjuge duas proles luci dedit ambasque masculas, sed celeri vita functas, alteram post 4. alteram vero post annum 9. Nam Ferdinandus V. Austriacus natus 4. Decembris ipsa S. Barbaræ anno 1571. Obijt 18. Octobris 1575. ætatis 4. sepultus. Iacobus I. alias *Didacus* anno Christi 1582. ætatis 9. extinctus est. Fuit hic primus, cui ab obtenta Portugallia Regni Ordines Principi suo, & futuro Regi Tomarij juramentum præstiterunt.

Genus I. Conjugis Philippi II. Joannis III. Portugalliæ Regis genitæ.

ARctissima conjunctio inter Austriacam Domum, ac Reges Lusitaniæ. Ex Portugalliæ enim Regum stirpe prodiere Vxores duæ, una Caroli V. Cæsaris, altera ejus filij Philippi II. Vxor fuit Joannis Portugalliæ Regis. Item sorores ejus duæ, Leonora, ac Catharina Conjuges Joannis III. ac Emmanuelis ibi Regum, ut ex subjecta familiæ serie quæ paulo altius

M. S. ubi de Genealogijs. num. 48.

tius, & quasi radicitus (quod in Genealogia Vxoris Caroli V. M. S. secuti haudquaquam efficimus) brevi enarrabitur, demonstratur.

Henricus Comes Portugalliæ Ruperti Capeti nepos 1094.

Alfonsus Princeps electus Rex 1139. Hic primus Rex primum arma quinque scutorum in forma crucis assumpsit. Ipsemetque explicavit causam, addito hoc juramento.

Iuramentum R. Alf. de Visione habita.

Ego Alphonsus Portugalliæ Rex filius illustris Comitis Henrici, nepos magni Regis Alphonsi, coram vobis bonis viris, Episcopo Bracarensi, & Episcopo Colibriensi, & Teutonio, reliquisque magnatibus, officialibus, vassallis Regni mei in hac Cruce area, & in hoc libro Sanctissimorum Evangeliorum juro cum tactu manuum mearum, Quod ego miser peccator vidi hisce oculis indignis verum Dominum nostrum Jesum Christum in Cruce extensum in hac forma. Ego eram vltra Tagum in agro antiquo, ut pugnarem cū Ismaele, & aliis quatuor Regibus maurorum habentibus secum infinita millia, & gens mea timorata propter multitudinem erat fatigata, & multum tristis, in tantum ut multi dicerent esse temeritatem inire bellū, & ego tristis de eo quod audiebam cæpi mecum cogitare quid agerem, & habebam unum librum in meo papilione, in quo erat inscriptum testamentum antiquum, & testamentum Jesu Christi: aperui illum, & legi victoriam Gedeonis, & dixi intra me. Tu scis Domine Jesu Christe, quia pro tuo amore suscepi bellum istud contra tuos inimicos, & in manu tua est dare mihi, & meis fortitudinem ut vincam illos blasfemantes tuum nomen, & sic dicens dormivi supra librum, & videbam virum senem ad me venientem dicentemque. Adefonse confide, vinces enim, debellabisque Reges istos infideles, conteresque potentiam illorum, & Dominus noster ostendet se tibi. Dum hæc video accedit Ioannes Ferdinandus de Iousa Vassallus de meo Cubiculo, dixitque surge domine mi, adest homo senex vultque te loqui. Ingrediatur dixi si fidelis est; Ingressus ad me agnovi esse illum, quem in visionem videram, qui dixit mihi, domine bono animo esto, vinces, & non vinceris, dilectus es domino, posuit enim super semen tuum post te oculos misericordiæ suæ, usque in sextam decimam generationem in qua attenuabitur proles, sed in ipsa attenuata ipse respiciet, & videbit; ipsemet iubet indicare tibi, quod dum audieris sequenti nocte tintinnabulum romitorij mei, in quo vixi sexaginta sex annis, inter infideles servatus favore altissimi egrediaris extra castra solus sine arbitris, ut ostendat tib pietatem suam mul-

multam, parvi & reverenter in terra positus, & nuntium, & mittentem veneratus sum, & dum in oratione positus sonitum expectarem secunda noctis vigilia, & tintinnabulum audivi, & ense, & scuto armatus egressus sum extra castra; vidique subito à parte dextra orientem versus micantem radium, paulatim splendor crescebat in maius, & dum oculos in illam partem efficaciter pono, ecce in ipso radio, clarius sole, signum crucis aspicio, & Jesum Christum in eo crucifixum, & ex una, & ex altera parte multitudinem juvenum candidissimorum, quos Angelos fuisse credo, quam visionem dum video deposito ense, & scuto relictisque vestibus, & calceamentis, pronus in terram me projicio, lacrymisque abunde missis cœpi rogare pro conservatione vassallorum meorum, dixique turbatus. Quid tu à me domine? credenti enim fidem vis augere; melius est, ut te videant infideles, & credant, quam ego qui à fonte babtismatis te Deum verum Filium Virginis, & Patris æterni agnovi, & cognosco, erat autem Crux miræ magnitudinis, & elevata à terra quasi decem cubitos. Dominus suavi vocis sono, quam indignæ aures meæ perceperunt, dixit mihi. Non ut fidem tuam augeam hoc modo apparui tibi, sed ut corroborem cor tuum in hoc conflictu, & initio regni tui supra firmam petram stabilirem. Confide Alphonse, non enim solum hoc certamen vinces, sed omnes alios in quibus contra inimicos Crucis pugnaveris, gentem tuam invenies alacrem ad bellum, & fortem petentem, ut sub regis nomine in hac pugna ingrediaris nec dubites, sed quidquid petierint libere concede, ego enim edificator, & dissipator Imperiorum, & Regnorum sum, volo enim in te, & in semine tuo imperium mihi stabilire, ut deferatur nomen tuum in exteras gentes, & ut agnoscant successores tui datorem Regni. Insigne tuum ex pretio quo ego humanum genus emi, & ex eo quo ego à Judæis emptus sum compones, & erit mihi Regnum sanctificatum fide purum, & pietate dilectum. Ego ut hæc audivi humi prostratus adoravi dicens. Quibus meritis Domine tantam mihi annuntias pietatem? quidquid jubes faciam, & tu in mea prole quam promittis oculos benignos pone, gentemque Portugallensem salvam custodi, & si contra eos aliquod paraveris malum, verte illud potius in me, & successores meos, & populum, quem tamquam unicum filium diligo absolve. Annuens dominus, inquit, non recedet ab eis, neque à te unquam misericordia mea; per illos enim paravi mihi messem multam, & legi eos in messores meos in terris longinquis. Hæc dicens disparuit, & ego fi-

Visio cœlestis.

Arma Gentilitia Regni Portugal.

fiducia plenus, & dulcedine, redij in castra; & quod taliter fuerit, juro ego Alphonsus Rex per sanctissima Jesu Christi Evangelia hisce manibus tacta, idcirco pracipio successoribus meis in perpetuum futuris, vt scuta quinque in crucem partita propter crucem, & quinque vulnera Christi in insigne ferant, & in unoquoque triginta argenteos, & super serpentem Moysis ob Christi figuram, & hoc sit memorabile monstrum in generatione nostra, & si quis aliud tentaverit à Domino sit maledictus, & cum Iuda traditore in infernum maceratus. Facta carta Colim. III Kal. Novembris æra: 1152. Ego Aldephonsus Rex Portugalliæ I. Colim. Episcopus I. Bracarensis Metropolis T. prior, Ferdinandus Petri Curiæ signifer, Velasius Sancij, &c. Vide Cronicam Fratris Ant.nij Branclarij pag. 5. libro 10. cap. 5.

Simulque considera quæso, mi lector, in illo Auctore maximam calami libertatem, suæ Professioni, nusquam ei bilem tantam adversus Castilianos, etsi ipse Lusitanus sit, concedenti, imò id neque viro cuilibet seculari, mediocri prudentia decorato, turpiter repugnantem. Ex ejus enim immoderata dicendi licentia, qua putans digna Apologia intrusum Regem Bragantinum defendere, nonnisi naturali antipatiæ nova fovendi odij argumeta administrat, haud levi conjectura colligere poteris, sinceritatem juramenti, & monumenti Regis Alphonsi (si vera fuerit tota historia adducta) in aliqu bus deturbasse; maximè ubi agitur de Dei mediata, vel immediata promissione facta eidem Regi, ac precipuè de ejus semine usq; in 16. generationem, in qua attenuanda erat ejus proles, & in ipsammet respiciendum Numen. Ut sic via quoque Prophetica violentam exaltationem Ionnis, Brigantiæ Ducis probasse jactitaret. Concessa tamen ut vera, et infallibili allata Prophetia, non idcirco solida ratione demonstrare poterimus, in prole illa ita attenuata Alphonsi Regis intelligi debere ut contenditur stirpem de Bragantia, quæ lateralite r erumpens, nō secus attenuata visa est in D. Infanta Catharina, Infatis D. Eduardi filia (propter quam alij recentiores aduersarij Italicè multa congerut) ac in Elisabetha Caroli V. Conjuge, ac Philippi II. Matre. Posteritas sobolis quemadmodum per mares crescit, pari etiam modo per mulieres decrescit. Vbi vero illi in aliqua familia totaliter deficiunt, non autem hæc; non propterea dici potest, quod & familia etiam omnimodam patiatur defectionem. Quamobrem in fæminis proles attenuari pro comperto tenendum. Sic Genebrardus candidissimæ integritatis Auctor ostendens genus Regum Francorum Merouæorum & Carolingorū extinctum sobole mascula, illud in Childerico VI. istud vero in Ludouico V. vtitur hoc loquendi modo. *Nec in eo defecit penitus genus Regum Francorum.* Non primum propter Blatildem Clotarij I. filiam. Non secundum, de quo idem Auctor, *Nec tamen penitus defecit genus Carolingorum,* & hoc ratione

Vide Excurs. 4. Sect. 1.

tione

tione Hacuidæ, de qua uti & de priori sufficienter dictum est superius fol. 127. et 131. Itaque promissio divina à Sene illo ex mandato Dei Regi Alphonso effecta referri quam commodè poterit ad Isabellam Imperatricem Emanuelis Portugalliæ Regis XIV. filiam, quæ soboles prolesque fuit eiusdem Alphonsi, cuius sanguinem attenuatum ad Philippum II. filium cum Austriaco mixtum transfudit, ac Domino Deo largiter benedicente tam gloriosam effecit, ut supra totius orbis terrarum progenies potentia, & regimine elevarit. Quod non dum vidimus in Bragantina posteritate, per quam in dies Regnum Portugalliæ à malo in peius abire cernimus, neque huculque ausa est Apostolica Sedes, licet viderit Religionem ibi, fidem Ecclesiamqua magnum incurrisse detrimentum, aliquid super hoc decernere, eo quia jus Regibus Castiliarum hæreditarium robore fortassis insuperabili munitum adiudicetur.

Sancius I. Rex. 1189.

Alphonsus II. Rex 1212.

Alphonsus III. Rex repudiata Mathilde Boloniæ, duxit Beatricem Algarvensem 1247. Frater Alphonsi Sancius II. Rex.

Dionisius Rex, ortus ex Beatrice: ejus Frater paternus, quem Methil. genuerat, Henricus.

Alphonsus IV. 1325.

Petrus crudelis Rex 1357. Primogenitus

FERDINANDUS, secundò verò

Joannes I. Rex, cui filium dicunt post Eduardum natu maximum Alphonsum Bragantiæ Ducem, ex quo Ferdinandus, & ex hoc Ferdinandus alter, parens Gemi, Avus Theodosij, Proavus Joannis (hi omnes Duces Bragantiæ) Abavus Theodosi de Bragantia, ac demum Atavus Joannis, in Regem 1640. injustè acclamati, & hoc anno extincti. Joannes I. commemoratus (nunc utor M. S. supra citato) Ordinē Cisterciensem de Avis militantē apud Hispanos instituit, quem ipse quoque ingressus est. Verum opera Nonij Alvari Pereiræ vocatur ad Regni administrationem, & Rex Portugalliæ X. proclamatur cognominaturque Mirabilis, & bonæ memoriæ, quod multa præclare gessit. Joannem I. Castiliæ Regem pellit: primus fretum Herculeum transgressus, Suram munitissimam Africæ urbem vi cœpit, Septensem urbem à Saracenis vindicavit. Insulas dispersas, vel Baleares, Majoricam, & Minoricam Regno adjecit. Symbolo usus est Scorpione asseri imposito, & super eum cultello, dissecare quasi eum volente cum inscripione *Tutissima jures*. Obijt 1433 sepultus Bataghæ in Monasterio D. Virginis, à se condito. Uxor Isabella (alij Philippa) filia Joannis Magni Gandavensis in Anglia. Proles semptem, ex quibus quatuor masculæ, & tres fæminæ. Prior EDVARDVS Rex Portugalliæ XI. Tingim, & Arcillam cœpit, mortuus 1438.

Stirps de Bragantia

Primus fretum Herculeum transijt.

Ejus Symbolum

Symbolum R. Eduardi primogeniti.

1438. Symbolum ejus Haſta quadrato impoſita cum vexillo, in quo Struthius ore tenens ungulam equi ferream cum inſcriptione *Spiritus duriſſima coquit*. Vxor Leonora, filia *Ferdinandi I.* Regis Aragoniæ, cognomine Juſti, & Leonoræ filiæ Albuquercij Comitis ulterioris Hiſpaniæ. Poſterior *Iſabella* Vxor tertia Philippi Boni, vel Pij, Ducis Burgundiæ, ducta Brugis 1429. Altera proles *Ferdinandus* ob Religionem Sanctus nominatus, & inter Beatos numeratus. Captus in prælio à Saracenis, priſtinum quo ad vixit trahere cogitur. Quarta *Henricus* Mathematices ſtudio aſſiduus, ideo in ſacro promontorio, quod caput S. Vincentij nominabatur, cum ibi Cœlum rarò turbidum efficiatur, vixit, & in mari Athlantico opera *Americi Veſpucij* Mederam, Canarias, aliaſque inſulas invenit, primuſque in Indiam navigavit. Obijt 1460. 24. Octobris. Quinta *Leonora* Vxor Friderici IV. Imp. & Archiducis Auſtriæ, parenſque Maximiliani I. Imp. Poſtrema *Philippa* Vxor Erici I. Ducis Pomeraniæ, & Regis Sueciæ. Penultima verò

Novi orbis apertio Mathematicæ debetur.

Ferdinandus hic primus in Indiã navigavit.

Ferdinandus Princeps, vel Infans Portugalliæ. Vxor Leonora amita, Regina Portugalliæ, ex qua *Jacobus* propria manu interfectus à Joanne Rege. Huic ex pellice natus eſt Alphonſus Magiſter equitum, factus ab Emmanuele A. C. 1500. Obijt in flore juventæ menſe Octobri. Et

Emmanuel Rex Portugalliæ XIV. plures inſulas, ab hominibus nunquam habitatas invenit, & uſque ad Æthiopes pervenit. Claſſem aliquoties in Indiam, circumnavigata Africa, miſit, magnamque ejus partem obtinuit. D. Virgini Templum condidit, & Cœnobium Ordinis D. Hieronymi illi adjunxit in loco, quem Bethlehem nominavit, ubi & ſepeliri voluit. Obijt in Sept. 1521. cum vixiſſet ann. 52. menſes ſex. Symbolũ ejus fuit Orbis terrarũ, circulo circundatus, in cujus Areæ parte ſuperiore Luna ad dextram, Sol ad ſiniſtrã collocatus, & inter has ſtellæ; in inferiore navicula ſuper aquas, cum inſcript. *Primũ circumdediſti me*: Vxores tres, prima & ſecũda ſorores, illa *Iſabella* nuncupata Sponſa Alphonſi VI. filia Ferdinandi V. Regis Caſtiliæ, ducta 1497. Obijt ex doloribus partus 1498. natuſq; ex ea infans Michael 8. Cal. Sept. è vivis exceſſit Granatæ Beticæ 1500. Hæc *Maria* ducta 1500. mortua 1517. 7. Martij anno ætatis 35. Tertia Vxor Leonora filia Philippi Regis Caſtiliæ & Archiducis Auſtriæ ſoror Caroli V. Imp. ducta 1519. Materque Mariæ, natæ 1520. & Virginis mortuæ, iterum priore conſorte extincto conjux Franciſci I. Regis Galliarum. Soboles 8. ex ſecunda conjuge procreavit Rex Emmanuel, & inter eas Mulieres tantum ſecunda, & tertia vice duas. Harum prior Isabella, nata 1503. moritur 1539. cum fuiſſet Conjux Caroli V. Imp. Regis Hiſpaniæ, Siciliæ, Neapolis, Archiducis Auſtriæ, & Ducis Burgundiæ, parentiſque Philippi II. & Joannæ, de quibus paulo infra. Poſterior *Beatrix* nata 1504. ultimo Decembr. Vxor Caroli Ducis Sabaudiæ. Soboles verò maſculæ hoc ordine deſcribuntur.

Novum orbem ulterius penetrat

Ejus Symbolum.

describuntur. *Ludovicus* Lusitaniæ Infans natus Abrantæ in oppido 3. Martij 1506. electus in priorem de Crato. Huic ex concubina natus Antonius nothus, qui 1931. in Regem ascitus à populo post obitum Sebastiani, & mortem Cardinalis Henrici, profligatur à Regno à Philippo II. Rege Hispaniarum 1580. cum in prælio à Sebastiano Rege contra Mauros gesto 1578. à Mauro liberatus ex hostium manibus, Tingim deductus est. *Ferdinandus* natus Abrantæ non. Junij 1587. Antiquitatum indagator maximus, obijt juvenis. *Alphonsus* natus Eboræ 1509. electus in Cardinalem Portugalliæ 1516. à Summo Pontifice Leone X. Medicæo. *Henricus* natus 1512. sub initium Februarij, quo die Vlisibonæ nix grandis decidit, quod ominis loco acceptum est. Huic Principi, & Cardinali Osorius historiam Emmanuelis dicavit. Abnepoti suo ex fratre Regi Sebastiano expeditionem contra Mauros dissuasit, nec Regnum eo absente administrare voluit. Eo vero interempto à Mauris, eligitur in Regem Portugalliæ XVIII. A. C. 1578. Obijt 1580. 31. Januarij in ipso puncto Eclypseos Lunaris. Symbolo usus, Anchora cum Delphino, cui inscriptio *Festina lente*. *Eduardus* Princeps natus 1515. 7. Septem. natura mitis, & clemens, musicis numeris, & venationibus deditus, sublatus immatura morte. Vxor filia Brigantini Comitis. Genuit ex ea *Eduardum* mortuum 1577. Mariam conjugem Alexandri Farnesij Parmæ Ducis, quæ obijt 1577. relictis Rainucio, & Eduardo, & Catharinam Vxorem Ioannis Brigantini Iunioris, ex qua orta Anna. Primogenitus vero, hæresque Regis Emmanuelis

Melius diceret Pronepoti

Obitus Henr. Regis & Cardinalis.

Symb. ejus.

Joannes III. Rex Portugalliæ XV. natus Vlysibonæ 1502. in maxima tempestate. Die Baptismatis verò Regia Vlysibonæ incensa est. Mortuus est 1557. Symbolum ejus fuit, Petra quinque collibus constans, in qua erecta crux longa, cum inscript. *In hoc signo*. Vxor Catharina filia Philippi Regis Castiliæ Archiducis Austriæ, soror Caroli V. Imp. Liberi duo, secundò nata Maria Philippi II. Hispaniæ Regis Siciliæ, Neapolis, & Portugalliæ XIX. Vxor; Antonium enim nothum Regno Portugalliæ ejecit anno 1580. Primogenitus Joannes IV. Princeps Portugalliæ, designatus Rex à patre XVI. verum ante eum vita functus est 2. Januarij 1554. ætatis suæ 17. Vxor Ioanna Caroli V. Imperatoris filia, ex qua Sebastianus Rex Portugalliæ XVIII. & ultimus (*ex hac linea additum* est alijs caracteribus M. S.) natus 20. Ianuarij 1554. Princeps natura ad armorum amorem, & res bellicas propensissimus. Tingim amnem trajecit, ut Barbariam in suam potestatem redigeret, sed irrito conatu. Cum restituere vellet Muleium Machometum, Regno Mauritaniæ propter tyrannidem, & parricidia patris ejectum, in prælio contra Abdelmelecum Regem Mauritaniæ, erga Christianæ Religionis homines alias non malè affectum, fortissimè dimicans, tandem à 60. militibus circumventus, & trucidatus est 4. Augusti 1578. Corpus cum lytro 10000. Ducatorum

Symbolum ejus.

Quæ Sebastiani indoles, quod genium.

Muleius Gameus Rex, qui Abdelmmeleco successit, Lusitanis reddere nollet, sed restitutione Vrbis Tingi, vel Arcillæ, in qua consentire noluerunt, Alcazaram delatum est, ubi in Xenodochio sepultum est. Itaque Regum Portugalliæ origo quemadmodum cœpit anno 1094. in Henrico Comite, duravitque continua annorum serie 483. ita pariter defecit in Henrico Cardinali A.C. 1557.

Maria Angliæ Regis Henrici VIII. filia, Vxor Philippi II. Ejus hoc est stemma.

Regnum Anglicanum multis sanè prærogativis valde celebre, uti scriptores hucusque tradidere, gaudet tali situs, ac positionis singularitate, ut dicat Poeta

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Hinc est, quod Monarchiæ titulo haud immeritò gloriatur. Quamobrem ejus Rex instar Hieroglyphici unius mundi regiminis globum sub sceptro habet. Corona Anglicana pluribus descendentijs divisa invenitur, quæ exempli gratia extitere Lincastrensis, Iorcensis, Eboracensis, Ricmontana, Martonaris, Clarensis, Glonceestrensis, aliæque denominationes feudales, sicuti mos fuit in Regno Galliæ cum cognominibus Valois, Angolem, Alanson, Borbon, Orliens, & alia quamplurima. Tota insula quadrifariè dividitur, partes sunt, Anglia, Scotia (hæ duo Regna seorsim) Walia, & Cornubia. Henricus Rex II. Gotifredi Plantaginetæ, quem Fulco Comes Angioinus genuerat, filius, subjugatis Scotensibus, sibi etiam Irlandenses (hi sunt Populi Hiberni) subjecit. Hodie tria illa regna, anno orbis redempti 596. ad Catholicam fidem, regnante Ethelberto, Augustini & Mileti Monachorum, quos S. Gregorius Magnus, verè à Beda Presbitero venerabili ejusdemque Insulæ orlundo, Angliæ vocatus Apostolus, illic miserat, prædicatione conversa, formidabilissimi Tyranni jugo subjecta, atque Calvinismi catenis miserabiliter mancipata, in malum Christianorum Principum, & Monarchiæ Romanæ Petri auspicium suos explicant in faustos Cupressos diversimodè sculptos, unde per bellè Comes Loschi, toties commemoratus Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ regnatores eorumque stirpes, in quibus nonnisi successus innumeros, & omnes lugubres, monstrosas commutationes, turbationesque sanguineas, nec non & lacrymabiles & à sæculo non dum auditas atrocitates crudelesque animi motus, atque res similes, peculiaribus accidentibus, ab historicis in dies fusè enerratis, plenas, invenimus, genealogicè repræsentat.

Corona Regni Angliæ pluribus descendentiis divisa quemadmodum & Gallicana.

Insulæ Angliæ partitio.

In Off. S. Greg. die Mart. 12.

Vide ipsum fol. 165. in arb: propria.

Cupressi dextrorsum positi hæc est generationum series. Wilhelmus Normannus Conquere Rex Angliæ 1067. Henricus I. Rex 1101. filij Henrici

Gabriel

Gabriel Dux Normandiæ, Rupertus Comes Glogestræ, Mathildis Imperatrix, Maria, Richardus. Neque ulterius hæc familia progressa est.

Cupressus, qui in medio est, in quo alij successivè, ac separati eminent, hosce gradus summatim exprimit. Fulco Comes Angioinus 1067. Gothifredus Plantagineta 1100. Henricus II. Rex Angliæ, primi successor 1154. Ioannes Rex 1200. Henricus III. Rex 1217. ejus filius præter Eduardum I. Regem Edmundus Comes Lancastri, parens Henrici Comitis Lancastri, ac alterius Henrici Lancastri Comitis genitoris. Eduardus I. Sanctus cognomento 1282. Eduardus II. Rex 1308. Eduardus III. Rex 1326. ex quo secundò Ioannes Dux Lancastri, sed primò in linea Eduardus Princeps Waliæ, & ex hoc ad finem rectæ lineæ Richardus II. Rex 1379. Stirps tamen Fulconis denuò subintravit in hac serie lateraliter per Ioannem præfatum Eduardi III. filium. Ex eo siquidem Henricus IV. Rex successor Richardi 1399. hujus postea geniti Ioannes Bedfordis Dux, Thomas, & Georgius Duces, ille Clarentiæ, hic Glocestrensis. Sed primo natus Henricus VI. Rex, cui filius in hac linea ultimus Eduardus, Waliæ Princeps occisus. Ex eodem Ioanne prodijt Ioannes alter, Somerseth, & Lancastri Dux, duo namque liberorum pater, Hufredi Ducis Glog. strangulati, Ioannis Somerseth Ducis, parentisque Margaritæ Rjchmonth Comitissæ, atque Henrici VIII. aviæ. Finita Ioannis linea, iterum intravit soboles parentis Eduardi III. Siquidem ex eo etiam nati Leonellus, & Edmundus, alter Clarentiæ, Dux alter vero Boracensis, & Iorch. Ex priori Philippina, conjux Edmundi Martomaris, Comitis Marcæ patris Rugieri, & his parens Annæ. Ex posteriori series est hujusmodi. Edmundus, Richardus, Comes Cantabriæ decapitatus, Dux Boracensis & Iorch, cui Vxor Anna prædicta. Proles hujus sex, Edmundus occisus, Elisabetha Ducissa Sofolch, Margarita Burgundiæ Dux, Richardus Rex in bello occisus 1488. parens Eduardi Walliæ Principis, Georgius Dux Clarentiæ occisus, qui genuit Eduardum Plant. Comitem de Varvich decapitatum; Eduardus IV. Rex, ac Henrici VI. successor 1461. parensque Eduardi V. Regis occisi. Filij Eduardi IV. Elisabetha, & Richardus Dux Iorch occisus.

Post hanc lineam successit progenies Henrici VIII. parumque duravit, ejus series. Ovinus Teaderus maritus Catharinæ, Henrici V. Regis Vidua, cui secundo natus Gaspar Dux Betfordis, & Penbruch, primogenitus verò Edmundus, Comes Richmonth, conjuxque Margaritæ, Comitissæ de Richmont commemoratæ ex stirpe Eduardi III. Henricus VII. Rex (ex hoc Margarita) Henricus VIII. pater *Mariæ*, quæ nupsit Philippo II. Regi Hispaniæ, frater Arturi Principis Waliæ, & Mariæ Franciæ Reginæ, postea Caroli Brandini Vxor. Ex ea Francisca, quæ cum Duce de Sofolch ejus marito genuit Ioannam, acclamatam Reginam, postea decapitatam 1553. Rex Apostata, à quo Elisabetha illegitima Regina 1555. Eduardus VI. Rex.

Postremò hac penultima prosapia, miserrimè extincta, Stuarda ex Re-

gum Scotiæ sanguine intravit. Ejus series longè luctuosior, maximè in Jacobis illa Anglorum, in tertio Cupresso, sinistrorsum consultè plantato, apud eundem Loschum hæc est. Rupertus David de Stuarth Rex Scotiæ 1300. David Rex 1332. Rupertus II Stuardus Rex 1373. Rupertus III. Stuardus Rex 1392. ex hoc Margarita Franciæ Regina. Jacobus I. Rex Scotiæ 1437. occisus. Jacobus II. Rex occisus 1462. Jacobus IV. Rex occisus 1513. huic Vxor Margarita supradicta Henrici VII. filia, aviaque Mariæ, ad quam jure hæreditario Regnum Angliæ succedere debebat Jacobus V. Rex veneno necatus. Ex hoc Maria Stuarda Catholica Regina Scotiæ, & Angliæ, cui anno ætatis 15. prior maritus adolescens Franciscus II. Galliæ Rex, Henrici II. filius post menses 16. defunctus: Secundus ejus consobrinus Henricus Stuardus Comes de Lenox Rex occisus, & ipsa Regina Maria barbaro Elisabethæ Reginæ nothæ mandato capite plexa 1580. Filius Reginæ Mariæ, in fide Catholica constanter coram Ministris Calvinistis illo mortis genere extinctæ, Iacobus VI. Stuardus Rex Scotiæ, & Angliæ 1591 Carolus I. Rex Angliæ & Scotiæ decapitatus 1649 Carolus II. Rex Angliæ, & Scotiæ superstes, pulsus. Filij Iacobi VI. Henricus Fridericus Princeps Walliæ, Elisabetha Comitissa Palatina, & Maria. Filij Caroli I Carolus II. præfatus, Maria Princeps Oranges, Elisabetha, Henrichetta Maria, Henricus Dux Glogestræ, & Iacobus Dux de Iorch. Hactenus Loschi in eo schemma, cujus enucleatio multa elegantia, & venustate conscripta est.

Series Regum Scotiæ.

Verum M. S. in illo num. 50. lib. ultimo tom. 2. recitat primo Lancastriæ familiæ Regnum, & post ejus finem illam Henrici VIII. incipiens tantum ab ejus parente Henrico VII. Ejus hæc est tabella.

Ex M. S. Tom. 2, num. 50.

Henricus V. Princeps Walliæ Rex Angliæ monasteria Bethlehem, & Sion propè Londinum ædificavit 1413. Gallos ingenti prælio ad Dagincurtum vicit 1415. Cæpit Ducem Aureliæ, Borbonium, &c. Cadomum, & Rhotomagum in Normandia recepit 1419. Fœderatus Philippo Burgundiæ Duci, paternam cædem ulciscenti, Galliæ Rex, excluso Carolo Delphino, Trecis in campania constituitur anno 1420. Obijt in Gallia 1423. Vxor Catharina, Caroli VI. Galliæ Regis filia, post Henrici mortem Ovino cuidam Wallo nobili obscuro, ex qua Edmundus, pater Henrici VII. natus est. Fratres, *Thomas* Dux Clarentiæ, præses Normaniæ ab Henrico V. receptæ 1419. ad Andegavum interficitur. *Joannes* Dux Bethfordiæ cum Philippo Burgundo Regem Franciæ oppugnat 1423. *Humfredus* Dux Glocestriæ cum eodem Philippo Burgundio Regens Galliæ, & postea gubernator Angliæ sub Henrico VI. puero annis 25. Tandem mercedem recipit laqueum 1446. *Richardus* Plantagineta Dux Eboracensis, ex quo nati. *Eduardus* IV. Rex Angliæ, victo Henrico VI. 1461. Vxor Elisabetha Collegium Reginæ Cantabricæ fundavit, genuitque tres proles, Elisabetham, conjugem Henrici VII. Regis Angliæ, qui anno 1486. ex exilio in Angliam reversus, cæso Richardo III. tyranno, regnare cæpit: natus patre

Liberi ac nepotes Richardi Plantaginetæ fratris ultimi Henrici V.

Edmundo

Edmundo comite Richemontis, fratre Henrici VI. uterino, & Margarita, filia Joannis Ducis Somersetti. *Eduardum* V. à patruo tutore necatum, & Richardum. *Richardus III.* Dux Glocestriæ Rex Angliæ 1483. Fratris filios interfecit, ipse cæsus 1486. *Georgius* Dux Clarentiæ, à fratre Richardo necatus 1480. procreavit Margaritam Vxorem Richardi Poli, cum quo genuit Reginaldum Polum Cardinalem, & Godfridum. *Margarita* Caroli Burgundi Vxor III. *Elisabetha*, nupta Ioanni Duci Sutfolciæ, ex quo habuit Edmundum Sutfolciæ Ducem, initio amicum, postea rebellem Henrico VII. & Joannem Comitem Lincolnensem.

Henricus VI. quinti filius infans regnare cæpit 1423. sub gubernatore Humfredo, Duce Glocestriæ patruo. Luteciæ Rex Galliæ coronatur 1432. anno ætatis 10. Philippus Burgundus pacem cum Carolo VII. facit 1435. Vxor Henrici VI. Margarita, Renati Siciliæ Regis, & Ducis Andegavensis filia, mulier imperiosa, & inquieta. Gubernatorem Regni Humfredum mariti patruum tollit. Interea Gallis Rothomagum, & alias Anglorum urbes in Gallia recipientibus, Normanniam totam anno 30. postquam à patre recepta fuerat, Henricus amittit 1451. præterea Aquitaniam omnem, quæ antea annos 300 in Henrici II. Angliæ Regis potestatem primum venerat. A principibus suis, Duce Richardo Eboracensi, bis captus miser, & infelix Rex. Tandem ab Eduardo IV. profligatus, aufugit in Scotiam 1461. Interea regnat Eduardus *IV.* Decimo fugæ anno Margarita Vxor, impetratis à Rege Galliæ auxilijs, maritum restituit 1571. Sed paucis mensibus post Eduardus *IV.* à Carolo Burgundo sororio adjutus, redit, & Margaritam cum filio Eduardo Walliæ Principe capit. Henricum Regem in carcere tandem necat. Hic Lancastriæ Regum finis fuit.

Quæ fuerit Margarita Henrici VI. conjux.

Liberos Henricus VII. ex Elisabetha, Eduardi *IV.* Regis filia habuit, primogenitum *Arturum*, Principem Walliæ, qui vix adolescentiæ annos ingressus, Catharinam *Ferdinandi* Hispaniæ Regis filiam *Caroli V.* materteram ducens, eodem, quo nuptias celebravit, anno ante patrem obijt. Secundo genitus Henrici *VII.*

Henricus VIII. qui ducta fratris præmortui Vxore, post patrem 38. annos in Anglia regnavit. Pater Eduardi *VI.* & Mariæ Philippo Hispano nupta.

Tertiæ Vxoris Philippi II. Isabellæ Valesiæ progenitores paterni, ac materni.

IOannes, Comes Engolismorum, frater *in 1. tabella M. S.* Caroli V. Regis Franciæ, *filius* Ludovici, fratris Caroli *VI.* Francorum Regis, *nepos* Caroli V. (*in 2. tabella & versus, nam ipsum genuit Ludovicus,*

Ex M S. num. 52. in utraque tabella.

 ejusdem

ejusdem Caroli V. filius, & Caroli VI. Regis frater. Pronepos Joannis Regis Franciæ, *abnepos* Philippi Regis Franciæ, filij Ludovici Pij, qui inter Sanctos relatus est. *At in rei veritate in errore est auctor M. S. etenim Joannes iste amplius distat à S. Rege Ludovico. Hic siquidem genuit Philippum Audacem Regem, patrem Caroli absque terra, Comitemque de Valois, stirpisque Valesiæ originem, avum Philippi I. Regis Valesij in hac linea Joannis Regis, abavum Caroli V. Regis, atavum Ludovici de Orliens, occisi, & tritavum Joannis mariti Valentinæ Visontæ, Galleatij filiæ, ea lege, ut aiunt, ut si prole mascula stirps Valentinæ paterna careret, hæreditas ad Ludovici conjugis genus devolueretur. Hac de re Franchi dicunt jus super statu Mediolani, approbatum, ut ipsi fatentur, sede vacante Imperij à Summo Pontifice, tum pacta confirmante, eorum esse. Sed de hoc in sequenti Gentilitio. Igitur necessario ipsemet Joannes dicendus est atnepos Philippi Audacis, & trinepos S. Regis Ludovici.* Joannes hic obses missus in Angliam anno 1422. reversusque ex ea 1445. duxit Margaritam Rosanensem, quæ genuit illi Carolum Engolemiæ Comitem. Mortuus est autem Joannes anno à nato Christo 1468. Cujus fratres fuerunt duo, Carolus Valesius, & Philippus; sorores itidem duæ, Anna, & Margarita. *De altero Joannis fratre, hoc est Philippo, quemadmodum & de duobus sororibus neque in suo Arbore stirpium Regum Franciæ, neque in ejus enarratione mentio aliqua apud Comitem Foschum, uti in M. S. ad 2. tabellam, cujus ordinem modò sequimur.*

Vnde stirps Valesia, & quis ex ea I. Rex.

Carolus Valesius Comes Angolismensis, avus Henrici *II.* Vxor Caroli Ludovica Ducissa Sabaudiæ, filia ex Margarita Borbonia, Caroli filia, Philippi Comitis Bressani, ac Ducis Sabaudiæ, nati ex Ludovico, & Anna Regina Cypri. Soror Caroli unica Joanna, filius Franciscus Valesius, primus ejus nominis Rex Galliæ, qui non tantum Claudiam, filiam Regis Ludovici *XII.* (huic parentes Carolus Dux Aurelianensis ex regia Francorum familia, & Maria Clivensis, Adolphi Ducis & Mariæ Burgundæ filia. Vxor Anna, Britanniæ Ducissa, & hæres ex parente Francisco *II.* Duce Britanniæ ultimo, conjugeque Margaritæ Commitissæ Foissensis, Gastonis filiæ) duxit Vxorem, verum etiam post ejusdem Ludovici mortem eidem in Regno successit 1515.

Franciscus, filius Caroli Valesij. Vxor Claudia, nata 1499. desponsata 1514. mortua 1524. Ex hac natus est Henricus *II.* ejus nominis Rex Franciæ, in equestri ludo casu occisus, ut dictum est, pater Henrici *III.* & ultimi ex hac progenie, anno 1590. deficiente, primum Poloniæ, & deinde Franciæ Regis. Hujus venter (Henricorum nomen omen per infaustum Coronæ Gallicanæ) cultro venenato (heu scelus inmiserandum) trans-

transverberatus per manum clementis Dominicani, paulo post moritur: vafrus tamen percussor antea ad pedes confossi Regis cecidit, Rex enim intrepida dextra idem ferrum arripiens, & è visceribus fumanti cruore madefactum evaginans, sacrilegum parricidæ caput transfixit, eumque occidit. Cultro pariter Franciscus Ravagliac Burgundus Henricum IV. Regem Borbonium, ac Reginæ Mediceæ consortem, Parijsi bis eum ventre scilicet, & renibus confodiens, interemit. Post obitum Claudiæ duxit Franciscus Eleonoram, *Philippi I.* Regis Hispaniarum filiam, Sororemque *Caroli V.* Imp. 1530. quæ sine prole mortua est 14. Aprilis 1558. in Hispania, quò cum Carolo, & sorore Maria. Regina Vngariæ profecta est post mariti obitum, qui incidit in annum 1547. Habuit autem Franciscus sororem Margaritam.

Conjugiũ Eleonoræ Philippi I. Austriaci cum Francisco Valesio.

Henricus II. filius Francisci, quem genuit ex Catharina de Medices, filia Laurentij III Medici Ducis Vrbini, rectorisque Florentiæ, & Magdalenæ Bononiæ Arverniæque Comitissæ & hæredis. Parentes Laurentij Petrus, & Alphonsina Vrsina, illum genuere Laurentius Medicæus Florentiæ rector, & Claricia Vrsina Latii I Vrsini Card. filia, mater Leonis X Hanc verò Robertus Vrsinus, magnus Contestabilis Regni, magnus miles, Ferdinando fidelis, & Alphonsina Ducissa Vrbini. Sed Vxoris Magdalenæ præfatæ genitor fuit Joannes, Comes Arverniæ, & Loranguillani; genitrix verò Joanna Borbonia. Genitus Joannes ex Ludovica Georgij Trimollij filia Bertrandi II. Comitis Arverniæ, & Loranguillæ: procreata vero Joanna conjux à Joanne Borbonio, Comite Vindocinense cum N. filia Bellhiocensis Domini Epsignani. Ab hoc Henrico II. sæpè lacessitus Philippus II. tam in Belgio, quam in Italia, strenuè suas partes defendit, huncque Henricum ad æquas pacis conditiones elegit, ejusque filiam majorem natu ELISABETHAM in Vxorem duxit anno 1559. quo eodem tempore pater Parisijs mortem oppetijt. Frater hujus Henrici *II.* Franciscus Delphinus, natus 1517. moritur 1536. contracta prius desponsatione cum Maria, filia Henrici *VIII.* Regis Angliæ, quàm postea Philippus *II.* conjugem accepit, ut supra dictum est. Soror ejusdem Henrici fuit Margarita, quæ Emmanueli Philiberto Duci Sabaudiæ nupsit eodem tempore, quo dicta Elisabeta filia Henrici Philippo *II.* Ex qua Margarita natus est Philiberto Carolus Sabaudiæ Dux, cui Rex idem Philippus filiam natu minorem Vxorem dedit. Filos habuit 4. Henricus *II.* Carolum *IX.* cui Vxor Elisabetha Maximiliani *II.* filia. Franciscum *II.* Henricum *III.* & Alenzonium. Hactenus M. S. in 2. tabella, ad quam nos nonnulla addidimus. Comes Loschi in arbore memorata quinque proles tribuit Henrico *II.* & in eis tres mares (inter hos Alenzonium non invenio) & mulieres duas. Sunt omnes, Franciscus *II.* Rex. Henricus *III.* Rex. Carolus *IX.* Rex. Isabella Hispaniæ Regina, & Margarita Regina Navarræ.

De Hac Genealogia fusius & ex proposito inferius.

SECTIO

SECTIO IV.

De duobus alijs matrimonijs, quæ remanent in hac serie Hispanica.

MATRIMONIVM VI.

ET MONARCHICHVM IV.

Philippus III. Hispaniarum,& Maximarum Provinciarum Rex Catholicus, Indiarum cis & ultra Gangem; & Oceani Dominus. Novi Orbis Monarcha, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Habsburgi, &c. Stemmatis Austriaci Monarchici in Iberia quintò propagator. Princeps Pius, & Quietus. Vxor Margarita Austriaca 1599. Pontificatus Clementis VIII. anno 7. Imperij verò Rudolphi II. consobrini Anno 23.

Auspicatissimum hoc Conjugium, & maximè quia ejus sponsalia cum illis Alberti Archiducis patruelis summus Pontifex Clemens VIII. Ferrariæ incredibili pompa celebraverit.



Cripturus de hoc conjugio, vicissim, & hinc in de Austriaco, quin etiam Astrorum Cælestiũ secundis influentijs utrinque felici omine auspicato; ea afferre principiò cogor, quæ digna scitu videntur. Postmodum autem, antequam de obitu Philippi III. loquar, deque ejus sobolibus, enarrabo totum id, quod testamentarijs paginis reliquit observandum superstiti successori,& unde illud sumpserit parens Philippus II. Qui in hac re veluti novus Principum Hispanorum Salomon, cũctós universi Christiani orbis magnates peregrina, ac Catholica politica ad instruendum, informandumque optimus creditus est, & probatus.

In Eicone Philip. III.

Loco cit. num. 1

Igitur

Igitur Philippus III. Austriacus (ut exordium sumam ex Kiliani dilucidatore) Hispaniarum, & Indiarum Monarcha, utriusque Siciliæ, Neapolis & Hierosolymorum Rex, magnus Asiæ, & Africæ Dominator, Insubriæ Dux natus est Madritij 14. Aprilis (M.S in Philippo II. ubi de Vxoribus mense Junio) 1578. &c. Tot Regnorum, & provinciarum (loquor modo cum M.S. in Philippo III. num. 2.) imperium cæpit statim post patris obitum ætatis anno 20. Cum is multo ante Principem Hispaniarum omnium ordinum voto & consensu declarasset, &c. Tunc ejus ætas sexennium nondum excesserat, ut ex eodem Kiliano habeo: inquit enim, Anno 1584 fratribus jam omnibus defunctis, ipse patris ex Anna Austriaca matre filius unicus superstes tantæ Monarchiæ Princeps, & hæres, velut à Deo destinatus inauguratur, &c. Duxit anno sequenti cum esset annorum 21. MARGARITAM VII. Carolo III Austriæ Archiduce, quem Imperator Ferdinandus II. procreaverat, & Maria Alberti V. Bavariç Ducis filia generatam, sororem Leopoldi Archiducis, amitamque nostri Serenissimi Principis Ferdinandi Caroli natam Grætij 25. Decemb. (alij nonas Januarij) uterque dies nato infanti Jesu è Virgine Maria dicatus 1584. Anno 1598. patre vivo desponsata ei erat Margarita, pactumque, ut eam Albertus in Hispaniam deduceret, ibique geminis celebratis nuptijs suam inde sponsam Infantem in Belgium transportaret. Hunc ipso penè itineris procinctum nuncius de morte Regis oppressit. Sed nihilominus progrediendum sibi ratus, per Nivellam, & Namurcum Luxenburgum contendit. M. S. num. 2. in Philip. III.

Tum Macheram ejusdem provinciæ oppidum transgressus, ad pagum pervenit, ubi Sura fluvius, Ausonio natus in Mosellam exit. Haud procul inde eminenti in loco nobilissimum venerandæ antiquitis monumentum ex marmorea compage, quo cis Alpes celebrius non extare quidam putant. Moles ex quadrata basi duodecim pedes alta paulatim assurgens ad 74. pedum altitudinem in quaternis lateribus varijs imaginibus semiplanis insculpta, ut in itinerario suo adnotavit Abrahamus Ortelius Cosmographorum decus. Occurrit in Tyrolim perveniens Albertus Margaritæ non longè ab illo loco, ubi Carolus V. Cæsar, & Ferdinandus ejus frater, felicissimi occursus memoriam servari, tabula ænea ibi erecta, Augustos amplexus exprimente, voluerunt. Venerat illa cum matre Maria, & quingentorum hominum comitatu è Pannonia superiore. Ad Sterfingam igitur (quod nomen fortia castra interpretatur Lazius) conjunctis castris, oppidum sunt ingressi. Inde Bolsena Tridentum pervenerunt 4. Cal. Novemb. ibique dies aliquot visitandis Sanctorum reliquijs consumpserunt. Rescriberem hic verbatim totum iter, luculenti calamo exaratum, & ab eodem M. S. exhibitum, si nimis prolixè in eum aberrare mihi haudquam opus esset. Illius completissimam enarrationem percurrat Lector si placet apud Cæsarem Campanam p. 4. lib. 12. fol. 105. & seq. Scire ergo in præsentibus sufficiet; Venetos honorificè plurimum & laute in omnibus per decem

Iter Alberti.

Monumentum ad Mosellam.

Albertus occurrit Margaritæ.

Veneti honorificè tractant Reginam.

ferè continuos dies Senatus nomine tractasse Reginam cum universo comitatu, equis circiter bis mille, hominibus tribus milibus, & quingentis conflato. Ferrariam ingressa, ubi eam antea Cardinalis Aldobrandinus Pontificis nepos patrui nomine invitaverat, à Senatu Pontificio Clementis VIII splendidissimè excipitur; sed quomodo in ea civitate celebrata fuerint sponsalia, dicam modo id, quod actū fuit postquam Regina regali pompa & etiam splendore intra Civitatem excepta est. Postero die ubi sacro interfuissent, à Pontifice celebrato, Pontificiæ mensæ adhibentur. Die vero Dominico, qui erat decimus septimus Calend. Decemb. & celebrandis sponsalibus dictus, deposita lugubri pro morte Philippi Soceri assumpta, ad solitam omnes vestem redierunt. Qua in re tantus splendor enituit, tanta omnium magnificentia, non in Principum modò utriusque sexus vestibus cultu, & ornatu immensi sumptus, & pretij, sed in vasto floridoque aulicorum amictu, quo suam quisque familiam producebat; ut nihil Ferraria viderit unquam sumptuosius.

Item Ferrarienses regali pompa.

Dies sponsalibus destinatus.

Ad summum templum Summus Pontifex præcesserat, acceptoque habitu & diademate Pontificio Sacrum celebraturus in solio consederat. Regina candido amictu unionum, & gemmarum mundo precij inestimabilis, & splendore exculta radiansque, ut lectissima illa orbis Margarita tota gemmea videretur inter duos Cardinales Santiquatrium, & Farnesium, matre cum Archiduce proximè sequentibus, cum frequenti Principum, & nobilum comitatu ad idem templum, quod aureis & argenteis peristromatis effulgebat, deducta fuit. Postquam sub aureo cum matre solio est excepta, & Archidux è regione sub suo itidem consedit, Sacrum sollemne Pontifex auspicatus est. Apostolico fidei Symbolo decantato Regina à Cardinalibus ad Pontificem deducitur cum matre, & frequenti sui sexus comitatu, Archidux cum suo ex altera parte accedit. Tum prælecto publice mandati instrumento, quod à Rege Catholico Archiduci datum erat, Pontifex matrimonium inter Regem Philippum per Albertum avumculum, Legatumque, ejus nomine comparentem, & Reginam Margaritam præsentem celebravit, cui, ad solium reducta, omnes Principes auspicatissimas nuptias reverenter sunt gratulati.

Pontifex ad templum accedit.

Celebrat sollemniter.

Bina sponsalia Pontifex firmat.

Substitit coram Pontifice Archidux Albertus, dum Sessæ Dux accederet, qui cum simili mandato Infantis Serenissimæ nomine comparebat: quo lecto, Isabella Clara Eugenia per legatum suum Alberto Archiduci per Pontificem desponsatur. Sacris peractis, Pontifex Reginæ, ad altare adductæ Auream Rosam consecratam dedit, quæ inter dona Pontificia eodem apud Principes ejus sexus loco est, quo ensis & galerus qui ad primarios Christiani Orbis Principes à Pontifice mitti solent. Tota de hinc Civitas ad lætitiam, ad ludos, ad hilaritatem ex Augusti hymenei edicto se convertit. Omnia loca, viæ omnes, publicæ ædes & privatæ plausu risuque perstrepebant personatorum utriusque sexus hominum, cum

Pontifex tradit auream Rosam Reginæ.

jocis

jocis ludicris, choreis per urbem cursitantium plena erant omnia; nihilque omninò quod ad recreandos populorum animos pertinet ex ulla parte pretermittebatur.

Paucis ita diebus, quibus Ferrariæ substiterant per summam lætitiam transactis, Mantuam porrò contendere instituunt. Reginam Dux Mantuæ Vincentius Gonzaga (qui triginta primariæ nobilitatis viris ad eam salutandam celeribus equis in Ostia oppidulo ad Padi ripam posito Veronam prætervectam salutaverat) Roveri expectabat, quatuor equitum turmis in occursum missis, quæ Gubernium usque (Castellum est in Mincij ripa situm) Reginam deduxerunt. Ibi Bucentaurum, navem verè regiam, ingressa prono flumine propè Mantuam est delata mille circiter & quingentis ab urbe passibus, ibi exscensione facta, & à Principibus utriusque sexus salutata, rheda urbem cum matre invehitur, quacunque ierat honoris aliquo argumento oculis sese objiciente. Sed omnium admirationem & fidem superabat Scenicus tragicomediæ, quæ sequenti die Dominico exhibita fuit, ornatus. Argumentum erat *Pastoris Myrtili fides*, qui pro sua Amarilide se dijs devoveri, & immolari cupiebat: cum fabula nuptiarum Mercurij, & *Philologiæ*. Hoc spectaculo nihil unquam magnificentius, nihil admirabilius tota Europa multis sæculis visum memorant; cujus descriptionem ex Italicis libellis qui harum rerum studio, & delectatione ducuntur, petere possunt. Erit, nisi fallor, ut veterum spectaculorum artem, & magnificentiam non valdè desiderent. Quos vero sumptus Mantuanus in Regina tractanda fecerit, vel hinc existimari potest, quod præter cæteras impensas, & dona preciosissima in gynæceum distributa novem dierum alimoniam hominum quinque, equitum quatuor millibus præbuit. Hæc ex M S. cui addendum.

Regina Mantuam venit.

Sollemnitas Scenica Mantuæ admiranda, ubi Tragicomedia Jo. Bap. Guerini præsentata.

Illud sane scenicum, prospectum adeo mirandum arte, & ingenio hominum præsentatum, victum mansit, imò in nihilum redactum ab eo miraculo, quod in D. Andreæ Apostoli Fanum, & ut eo humillimè ipsum adorarent Regina, Archiduxque Albertus illuc accesserunt, longa sæculorum ætate asservatur. Est etenim illius ejusdem Divini cruoris reliquia, qui continuò cum aqua mixtus ex aperto Dei verbi hominis mortui lancea latere (lanceæ quoque particula ibidem monstratur) exivit, sicut Evangelista Joannes, qui vidit, testimonium peribuit. Illud idem *fidei Mysterium* proni, ac genuflexi adoraverunt symbolice Austrij Hereos, unde tota Austria ditio, ac potentia sub Eucharistico munimine dependet. Eandem adorationem Sanguini huic precioso, ac Deifico præstitere avita pietate nostri Serenissimi Archiduces, quos & ipse simul cum trecentis ex aulicis comitatus sum paucis ab hinc elapsis annis, quibusque non inferiora lætitiæ signa, magno populorum consursu, & nobilium occursu, ingenti splendore, & sollennitate Mantua eadem, Brixia, deinde Bergomum, Mediolanum, Parma, Mutina, Ferraria, Florentia, Bononia, Venetia, & cæteræ Civitates, & loca illos recipiendo, demonstraverunt. Nec quidem mirum cum

Sanguinis lateris Christi verus Mantuæ in Eccles. S. Andreæ asservatur.

Nata.

Italia orbis Regina fundata, & constituta, quin & totius naturæ, artis, & disciplinæ in universo Mundo miraculum quadam Sympathia moneatur erga Austriacos suos, quos originaliter, ut Imperia, & Monarchias in utroque orbe regerent, procreavit. Brevem historiam de illa Sanguinis Christi reliquia, quam ipse anno 1642. cum Cathedrali Ecclesia, & aulæ conciones haberem, meis scriptis adnotavi, alibi Deo dante, capta occasione, fideliter, uti è Cronica Mantuana, Italicè data, eam desumpsi, rescribam.

Igitur Regina Margarita, & Archidux Albertus patruelis, & ejus cognatæ jam sponsus, & maritus Mantua per Cremonam Mediolanum sunt profecti. Quæ cæteroqui urbs frequentissima tum veluti universum theatrū poterat videri. Longum esset singula describere, quæ Reginæ & Archiducis, adeoque universæ Austriacæ familiæ hic data sunt honoribus: qui (& quia urbs hæc ad Hispaniarum Regis pertinet imperium) subsistere ibi decreverunt tantisper, dum de Regis voluntate cognoscerent; & navigationi commodum tempus redderetur. Nos vero, (claudit M. S.) Reginam & Archiducem hucusque comitati, in Belgium recipiamus. Sed ehu, inquit, eone ubi pro epithalamio Bellonæ flagellum, pro musica harmonia terribilem lituorum & tubarum audias clangorem; pro tædis nuptialibus villarum, pagorum, urbium videas incendia, ubi pro jubilo lamenta; pro risu fletus aerem complent? Ita est profecto; & quisquis hæc videre abnuis, huic sæculo parum aptus es, aut potius nostram omnium conditionem ignoras, quibus reciprocato quodam nexu læta tribus, tristia lætis in orbem veluti succedunt, &c.

M. S. ibidem sed residuum itineris in Alberto.

De his motibus in Alberto alibi.

Syngrapha testamentatia, relicta à Philippo II. parente, & moriente Philippo III. filio, ac hæredi, quid continuerit, & quando conscripta, & quo idiomate, & unde desumpta.

DVo præcipua, totam scripturæ molem continentia, in illa carta, quam superius tetigimus, argumenta. Alterum Animæ unigeniti successoris salutem, alterū regnorū suorū politicam administrationem amplectebatur. Ambo hic omni qua debeo sinceritate ex eodem M. S. exarabo, digna etenim sunt, ut aureis literis veluti in marmore in corde carnis incidantur ab ijs, qui ingentem sarcinam, Atlantibus ipsis magis quam orbem hunc visibilem propter majus pondus formidabilem, à qua inevitabiliter opprimuntur, sustinent. Si quidem illorum directio & observantia multum proderit, ne eorum vita politica & Christiana, sine qua vires famæ Principum proculdubio destituuntur, boni nominis spiritu amisso, ac deperdito, miserè suffocetur, & in interitum malè abeat. Eorum monita sub quibusdam paragraphis, ut commodius, ac distinctius percipi, ac mente retineri possint, more Biblico inseram. Primum

Primum Argumentum de Animæ salute continet monita XIII.

I. DA operam, fili mi, ut Deum omnibus viribus ames. Sine ejus enim amore salvus esse nemo potest. *Dilectio Dei.*

2. Peccato mortali nunquam da locum. Prius sufferas cujusvis generis tormentum, quam animam tali flagitio condamnes. *Peccati horror.*

3. Quando adversitates proveniunt, perfer eas animo æquo, & commeruisse puta, sic tibi eæ magno lucro erunt. Si procedant omnia prosperè, cum humilitate Deo gratias age, neque superbias ijs rebus, quibus magis humilis esse debebas, neve peior evadas ijs, quibus debebas esse melior. *Æquanimitas in daversis. Humilitas in rebus prosperis.*

4. Confitere minutim peccata tua, & confessarium prudentem require, qui te docere sciat, quæque vitare debes, quæque sequi, & coram illo eo te vultu, & aspectu prebeas, ut reprehendere audeat, & peccatorum tuorum gravitatem ostendere. *Confessarius qualis esse debeat.*

5. Intersis divinis officijs devota mente. Neque ibi fabulis, vel mendacijs aures accommodes, aut vagando hinc inde oculos circumferas; sed Deum precare ore simul & corde; & hoc maximè & præcipuè facta in missa consecratione. *Devotio erga res sacras, & divinas.*

6. Eris animo pio, & humano versus pauperes, & afflictos, illisque omnibus viribus favebis, & succurres. *Misericordia.*

7. Si animo tuo rem magni momenti versabis, confessario tuo revela, vel viro alicui docto, & probo, ut, qu e conveniant, intelligas. *Consiliarij.*

8. Quos in suam amicitiam & familiaritatem admiseris, sint homines probi, & virtute comspicui, famæque bonæ, cujuscumque fuerint ordinis, laici, an Religiosi. Cum illis familiariter colloque. Malorum & vitiosorum consuetudinem & usum semper euita. *Conversatio.*

9. Concionatores audi utiles, quique vitia reprehendant, & Zelum habeant honoris, & servitij Dei. *Concionatores.*

10. Non minorem curam habebis, ut Indulgentiarum, & stationum participem te facias. *Indulgentia.*

11. Amabis omnia bona, & à malis omnibus abhorrebis. Quocunque in loco fueris, nemo audeat in tua præsentia aliquid eloqui; quod provocet ad malum, aut damnum famæ proximi. Neque tù de quacunque persona quidquam loqueris, quod ejus tangat famam cum intentione detrahendi. Neque patiaris, ut qisquam te presente blasphemare præsumat, aut de Deo loqui malè, aut de Sanctis ejus. Neque impunem relinques quemcunque tali criminé convictum. *Compositio. Detractio. Blasphemia.*

12. Dabis Deo gratias admodum ordinariè pro beneficijs, & favoribus, quos in dies ab ejus manibus recipis, ut alios de novo merearis. *Gratiarū actio erga Deum.*

Secundum Argumentum de Reipublicæ administratione habet totidem capita, sed monita XI.

Integritas, & severitas. I. IN administratione Reipublicæ eris integer, & severus; observandò ea, quæ leges determinant, neque in dextram, aut sinistram declinabis.

Veritas. 2. Non te lacessent pauperum querimoniæ, sed veritatem scire procura. *Justitia.* Si quis de te conqueratur, & se aggravatum sentiat, stabis ab ejus potius parte, quam à tua, donec casus resolvatur, hoc pacto, consiliarij tui, *Prudentia.* & judices justiorem sententiam pronunciabunt.

Restitutio. 3. Si te aliquid alienum possidere comperies etiam si à majoribus hæreditate acceperis, sine mora vero Domino restitue, si veritas in aperto *Cautio.* est: sin incerta, arbitros viros sapientes dabis, qui sine dilatione dilucident.

Defensio laicorum, & Religiosorum. 4. Illam gloriam maximam estimabis, si subditi tui justitia, & pace perfruantur, & ante omnes Sacerdotes, & religiosi, ne discordia, & pauca justitia eos perturbet, & impediat, ne Deum orare queant pro te, & pro tuo Regno. Curæ erit ue quid illis deficiat.

5. Parentibus, & Majoribus debes amorem, obedientiam, & reverentiam.

Beneficia Ecclesiastica. 6. Beneficia Ecclesiastica non dabis, nisi magis dignis, & qui alia non possideant, idque ex prudentum consilio.

Bellum. 7. Bellum non facies, præcipuè in Christianos absque magna causa, & consilio. Etsi facere cogeris, fiat id sine Ecclesiarum damno, & personarum innocentium. Media pacis quantum in te erit procura. Si bel- *Pax.* lum susceperis contra aliquem, neque te belli causa tangat, mediatorem te, & arbitrum inter discordantes constitue, ne armis decertent.

Ministri Politici. 8. Da operam, ut justitiæ ministri, Prætores, & Magistratus sint boni, & prudentes, & quo modo justitiam ministrent, secretò intellige.

Obedientia erga Eccl. Rom. 9. Perseverabis semper in obedientia Ecclesiæ Romanæ, & Summi Pontificis, quem pro patre tuo Spirituali habebis.

Sumptus. 10. Sumptus tuæ familiæ sint moderati, & rationi conformes.

Juramentum. 11. Admoneo te, fili mi, & sub juramento committo, si Deo visum fuerit, me hoc morbo ex præsenti evocare vita, & remaneas tu liber, procures, ut toto Regno Missæ dicantur, & sacrificia offerantur pro anima mea.

Commendatio. 12. Postremò ea omnia quæ bonus & pius pater rogare, & commendare potest pio & bono filio, ea tibi commendo, & rogo.

Precatio. 13. Deus te servet ab omni malo, & det tibi gratiam benè semper agendi, & voluntatem ejus in omnibus complendi, ita ut per te honoretur,

&

& omnes possimus eum post hanc vitam videre, & laudare in beatitudine sua per omnia sæcula. Amen.

Fallar, nisi hásce easdem admonitiones me in S. Regis Francorum Ludovici IX. vita legisse meminerim. Id quod additiuncula ad finem illius núm. 2. cit. lib. 22. de Philippo III. M. S. fatetur, addito etiam earum editionis tempore paucis his verbis. Pater hanc moribundus fecit admonitionem totidem verbis desumptam ex admonitione S. Ludovici Regis Franciæ, data Philippo filio successori. Edita est hæc Epistola anno 1567. Hactenus additiuncula, quam vix hora tantum singula elapsa ipse transcripseram, quod statim in mentem venit percurrendi acta ejusdem S. Regis, ut magis, ac magis de hac re certior fierem. Reperi non multo post id quod avidè optabam apud Patrem nostrũ Lucam Waddingũ magni nominis inter Minoritas nostros auctorẽ, & etiam urbi & orbi percelebrem. Etenim ipse tomo altero Annaliũ ad an. 1270. nũ. 10. hæc adnotavit. S. Regis (in quem jus nostrum repetimus, & latius alias probavimus) prosequi libet expie statutis sub mortem, & mirè factis post transitum. Christianam, & piam Elisabethæ filiæ Reginæ Navarræ instructionem, sua manu scriptam, quam Gallico idiomate videre licet in observationibus Claudij Menardi ad vitam ejusdem Divi per Joannem Sire de Jonville Seneschallum Camaniæ conscriptam. Aliam similem proprio etiam calamo exaratam dedit Philippo hæredi, quam Robertus Guagninus lib. 7. de gestis Francorum in archivis Caroli V. Regis Gallorum (non Hispani Caroli V. Imperatoris ut perperam transcripsit Bzovius ann. 1270. n. 3.) scribit fuisse repertam. Eam à prædicto Guagnino, ut ipse scribit Latinam factam Laurentius Surius 25. Augusti ex M. S. Codicibus stylo mutato in hanc formam transcripsit, &c. Videat formam lector apud eundem Waddingum, nam eam etiam ibidem reperiet capitibus distinctam usque ad numerum 25. Quam distinctionem non dum ipse apud quempiam observaveram, ac immutato stylo eam desumens à M. S. citato operæ pretium existimavi ad duo puncta principalia totam deducere instructionem, puncta verò suis parographis ordinare. Sculpsit tabula cordis sui hæc omnia Philippus III. Pietatis, & Pacis amator singularissimus, tanto genitori haudquaquam degener filius, uti in ejus rebus gestis afferendum. Propterea qui vita paterna vestigia est secutus, morte quoque tota religiosa, & Christiana ipsum imitatus est. Obitus tanti Regis contigit 13. Martij 1621. mane circa nonam, & decimam natus anno 43. postquam anno 1615. mutua cum Regibus Francorum jam ante pacta liberorum conjugia consummasset, & anno deinceps altero, nempè 1616. à singularum Provinciarum ordinibus, data acceptaque fide Belgarum Princeps Alberto Austrio patrueli, avunculo, affini, sororio instar successoris inauguratus esset, &c. Tria perinsignia luminaria anno eodem extingui ingenti luctu circumdatos, magnoque fletu respersus orbis Xpnus initus est. Fuere, Paulus V. Burghesius Pontifex Maximus, mense Januarij Cosmus

Vnde hæc monita desumpta, & quando conscripta.

Kilan. ibidem obitus Philippi III.

Vxoris mors ex partu ante maritum ex eodem Kil. in Carolo Arch.

Cosmus II. Medices mense Febru. Magnus Dux Etruriæ, Philippus III. Rex Hispaniarũ ultima die Martij ex Henrico Spondano Gallo Annaliũ Baronij continuatore tom. 2. ad ann. 1621. Sed an typographus apud Kilianum pro num. 31. transpositive apposuerit 13. an vero apud Spondanum vice versa pro 13. 31. vel alter illorum hallucinatus fuerit, lector videat. Regnavit annos 23. ex eodem Spondano, qui jure meritò vocat ipsum *Insigni Pietate ac morum suavitate Principem.* Vxor prævenit morte viri sui extinctionem ann. 10. Obijt enim maximo omniũ luctu Hispaniæ desideriũ, mater pauperum ex partu Alphonsi Cari filij 13. Octob. anno 1611. Gans ubi de liberis Philippi III. etiam anno. 1621. defunctam asserit Margaritam. Cui menda attribuenda, potest facilè intelligi. Octo vicibus fuit fæcundus Rex & Archidux Philippus Austriacus Hispanus cum sua dilectissima conjuge, muliere ingenuitate affinitatis morumque celeberrima, uti postea alibi patebit. Proles quem genuit tali ordine numerat Kilianus I. *Philippus Dominicus Victor superstes*, de quo inferius. 2. *Anna IX.* Austriaca, Hispaniarum infans Francorum Regina superstes, vocata etiam Maria Mauritia. Nata Vallisoleti 1601. die quinto ante Ludovicum XIII. Regem Francorum maritum, 22. Septemb. hora prima, & uno quadrante post mediam noctem, anno 1615. Conjux facta. Vocabatur etiam Anna primo loco & tertio Mauritia, dies enim ejus nativitatis glorioso Mauritio Martyri, & socijs dicatus erat, unde & nomen; at duo priora ab aulicorũ amore, & memoria. 3. *Maria* VII. Austriaca, Hispanorum infans, nata Vallisoleti 1606. die Sabbathi hora 9. cum dimidia post meridiem. 4. *Maria* VIII. Austriaca Hispaniarum infans, nata ad D. Laurentij anno. 1609 die veneris 18. Augusti hora 8. & uno quadrante post meridiem 5. *Carolus* VII. Austriacus, Hispaniarum infans, natus Madritij anno 1607. die Sabbathi hora 9. cum dimidia post meridiem. 6. *Ferdinandus* VIII. Austriacus Hispaniarum infans, postea Cardinalis natus ad D. Laurentij 1609. die Sabbathi 16. Maij hora 2. cum dimidia post meridiem. De rebus gestis hujus Principis in proprio loco secundum ea quæ affert Spondanus 7. *Margarita* VIII. Austriaca, nata Lermæ 1610. die Lunæ 24. Maij hora 12. post meridiem Obijt in Dño 8. *Alphonsus Mauritius* I. Austriacus, Hispaniarum infans, cognomento *Carus*, ex cujus partu Regina mater obijt: natus ad D. Laurentij 1611. 22. Septembr: hora 11. cum dimidia post meridiem. Huc usque Kilianus.

Liberi Philippi. III.

MATRI-

MATRIMONIVM VII. DVPLEX. ET V. MONARCHICHVM.

Philippus IV. Rex Catholicus, Hiſpaniarum,& Indiarum Monarcha, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Comes Habsburgi,&c. Princeps ſuperſtes,cognomento Magnus, avita Pietate, & generoſa decoratus manſuetudine, Generiſque ſuorum propagator. Vxor I. Eliſaberha Galla 1615. ſub Pontificatus Pauli V. anno ij. Matthiæ verò Imperij 4. Vxor 2. Maria Anna neptis ex ſorore Imperatrice 1648. anno 4. Summi Pontificis Innocentij X. Cæſaris verò Ferdinandi parentis 12.

Scribuntur nonnulla particularia de priori conjugio, completurque tota Genealogia Borbonia,ut antea promiſimus.



SI in Catholico Philippo IV. natalium diem intueris, nonniſi arcana quedam,numero, pondere,& menſura perſcrutanda, invenies. Vernans illius anni 1605. Aprilis natura ipſa, fulcita floribus, ac temporis juventuti deſponſata, feſtiviſſimo hymeneo,ac ingenti gaudio collætabatur. Nec quidem minori afficiebatur jubilo, Hiſpaniæ Monarchiæ, qua vi maxima Eccleſia Romana fulcitur, naſcente Principe, & illo eodem octavo die, in quo ludi, ob victoriam Cæſaris inſtituti, nativitas Septimij Severi Imperatoris contigit, viri corpore decori, vultu venerandi, bellicoſi, benefici, literati. Duo alia nomina, nempè *Victor* & *Dominicus*, Philippo Regi ſunt impoſita. Primum ludis,ac ſollemnitatibus, quibus deinde (Pietate & potentia Auſtriaca pluribus regionibus tot tantiſque hoſtibus indefeſſo marte digladiante, ac plerumque vincente) plurimos, ac magnos triumphos paſſim major pars Chriſtianitatis, ac tota penè Eccleſia celebraverunt, correſpondet. Alterum verò cùm ingenti Dominatui, quem nec omne Romanorum Imperium tunc quando ſumme florebat, tanto robore, tantoque milite potuit adipiſci, tum naſcenti Domino, in hoſtes Dei, & Eccleſiæ Severi, in ſuos defenſori (licet aliunde Columbæ manſuetudine præfe-

Gabriel Bucel. in Calend. hiſt. 8. Apr.

renti) ac illa forma, & indole ditati, de qua, non dum periodos adolescentiæ trangredientis, Antistes Henricus Spondanus hæc postea tradidit. *Successit (Philippo III.) filius natu maximus Philippus ejus nominis IV. annos natus jam 16. magno animo, & ingenio adolescens, ac supra ætatem prudentia, &c.*

Spondan. in Phil. 3.

Verum ubi Regio natali Flora valdè hilarescens ac vernans Lilia, mixtâ rosis, plenis canistris spargebat, pariter & hiemem, odij scilicet ac perfidiæ Iudæorum, spineam coronam pro capite Regis regum Christi germinantem, ac multo igne, ad magnos Clavos, ejus manus ac pedes terebrantes temperandos, ac efformandos indigentem, ingenti luctu amicta Hæbdomadæ Sanctæ die Parasceuen omnis commemorabat Ecclesia. Illinc honoris, ac triumphi signa, simulque symbola futuræ granditatis, tum propter immensum regimen, quod de utroque orbe natus Princeps suscepturus erat, tum propter innumeras victorias, quibus de hostibus suis licet sub varia fortuna triumphare debebat. Isthinc contemptus, ac despectabilis subjectionis in Deum hominem argumenta, acerrimis ærumnijs, ab ficta hypocrisis Sanctitate, omnis Sanctitatis interemptrice, quin & immani Deicida, temporali politica fulcita, exsuscitatis, valdè exuberantia; ac simul flenti infantulo Pseudopoliticam, nunc cilicio, cinere consperso, tecto cornu elationis capite, more Pharisæorum turpiter convestitam, nunc vero purpura decoratam, indicantia, per quam sursum deorsum maxima ejus Monarchia ponenda erat; & cum ea Apostolica Sedes, ac tota Christianitas, quin imò Europa omnis in confusionem.

Ætas in utroque sponso tenella, forma multa speciositate venustata, indoles sub egregijs dotibus admiranda. Princeps Infans eodem anno mortalium lucem intuitus est, quo, maximo Clementis VIII. jubare extincto, tribus memorialibus ac terrificis Eclipsibus Solis & Lunæ trino quoque merore affectum totus Orbis Orthodoxus se ipsum omnium obtutibus exhibuit. In postrema solari tanta 2 Octobris die fuit duabus horis luminis defectio, ut plerisque locis dies in noctem versus sit. Crediderim, quod quanto illinc umbræ illius circumfusæ terrarũ orbi ingentem mestitiam aliquo pacto indicaverãt, tanto etiam isthinc immodica hilaritate perfundebatur, nova luce ex Ibericis oris, fidei Catholicæ circumdata radijs in Philippo IV. sibi jam exorta. Igitur natus utriusque Mundi hæres Vallisoleti 1605. 8. Aprilis ipsa die veneris septimanæ Sanctæ hora nona cum dimidia, & medio quadrante post meridiem. Elisabetha verò Sponsa Henrici IV. Regis Francorum filia, Ludovici XIII. soror nata 22. Novembris anno 1602. defuncta vero 1644. Conjugium inter utrumque, & etiam inter sororem Philippi Principis Annam, & Ludovici Regis prædicti reciproca celebratione anno & mense eodem peractum est. Et notandum, quod nonnisi quinque mensibus antea elepsis Familia Valesia penitus extincta.

Spond. ad annum 1605.

Kil. in Phil. IV.

tincta, inita sunt. Nam martij 27. obijt Lutetiæ anno suæ ætatis 63. Regina Margarita Valesia olim nupta Henrico Magno, quæ post matrimonij dissolutionem auctoritate Apostolica in aulam venerat: multis virtutibus prædita fœmina, nec tamen carens vitijs. In qua Valesiorum stirps regia prorsus extincta, quæ in Henrico III. regnare desierat 1589. cum in Philippo Valesio cæpisset 1328. Hæc Spondanus, qui statim subdit sub num. 6. Spond. ad ann. 1615.

In Gallia post soluta Comitia ad finem Februarij iterum venitur ad arma. Nihilominus Rex iter ingressus ad excipiendam Sponsam Annam, filiam Regis Hispaniæ, & deducendam sororem Elisabetham ad Philippum Principem; Septembri mense Burlegalam advenit. Vno porro eodemque die ex condicto Dux Lermæus Regis Ludovici mandato Burgis in Castella cum Anna, Dux Guisius Philippi Principis nomine Burdegalæ cum Elisabetha, publicè in Ecclesia connubiales ceremonias ministerio sacrorum Antistitum adimpleverunt. Inde Guisius Elisabetham ad limites regni ducens, consignavit Hispanis nona die Novembris, & acceptam ab ijs per manus Ducis Vssedæ Annam (quam Rex ipse Philippus ejus parens unicè sibi dilectam ad usque Fontarabiam in ipso limite sitam comitatus fuerat) Burdegalam ad Regem deduxit. Hactenus Spondanus. Idem de utroque Conjugio.

De Reginæ Isabellæ Borboniæ, ac Medicææ stirpe, nec non & de sobole, quam viro suo Hispaniarum Monarchæ peperit.

VBi egimus de matrimonio Rudolphi III. cum Blanca Francica, radicalem & familiæ Capetinæ commemoravimus originem, cujus seriem ad ipsammet Blancam terminavimus. Quod igitur remanserat totius Genealogiæ residuum, ad lineam Comitum Borboniorum, quæ eadem cum Valesia sanguine est, spectans, modo breviter referendum.

Ex S. ergo Rege Ludovico IX. ortus *Robertus* Comes Claramontanus Philippi Regis Audacis frater, cui pronepos ex Carolo Comite Valesio, ejusdem Philippi filio, Rex Philippus Valesius; filius verò *Ludovicus* Comes Claramontanus, & Borbonius, qui genuit Petrum Comitem Claram. & Borbon. in cujus Linea posteri quinque usque ad adnepotem Carolum de Borbon. anno 1527. in depopulationem Romæ occisum. Ex Ludovico etiam in recta Linea *Jacobus* Condestabilis Franciæ, cui filius *Joannes* Comes Marchæ, parens N. Com. Marchæ, & Regis Neapolis, cui frater *Ludovicus* Comes Vandomus. Hujus filius *Joannes* Comes Vandomus, cui proles præter Ludovicum Principem Rocciæ, ita vulgo dictæ, ac patrem Ludovici Ducis Monposier, *Franciscus* Comes Vand. Filij Francisci *Franciscus* Comes S. Pauli, Ludovicus Cardinalis, & *Carolus* Comes Vand. & Borb. Ex Carolo *Antonius* Rex Navarræ frater Caroli Cardinalis, ac Princi- Radix familiæ Borboniæ in matrimonio Blancæ cum Rud. III. fol. 105.

 pis.

pis de Condè Ludovici, 1569. mortui, parentis Henrici Principis, qui genuit Ludovicum, nec non & Armandum, illum de Condè, hunc verò de Conti Principem; ac duorum Carolorum, quorum alter Comes de Soisons, cui filius Ludovicus, Sedan occisus, alter vero Cardinalis. Ex Antonio Rege per Joannam d' Albret ortus est etiam *Henricus IV.* Rex occisus, cui Vxor Regina Maria Medicæa. Hæres & successor Ludovicus XIII. Conjux Annæ Austriacæ, Philippi III. Regis Hispan filiæ, frater Isabellæ Philippi IV. Vxoris, parensque *Ludovici* Regis XIV. Peperit Regina Isabella Regi suo Philippo proles tres, quarum 1. *Margarita Catharina* nata 1623. 25. Novembr. ac denata 9. Decembris ejusdem anni. 2. *Balthasarus Carolus Dominicus Philippus Victor Lucas*, qui obijt 1646. ætatis annorum 16. at 3. *Maria* superstes Hispaniarum Infans nata 1638. 20. Septembr. obitus genitricis, ut dictum est, 1644.

Ex Buselino par 3. fol. 28.

De secundis Nuptijs Regis Philippi IV. cum Maria Anna Ferdinandi III. Imp. filia, ac ejus nepte ex sorore.

HAbeo 2. conjugij hujus celebrationem ex Bucelino citato, qui in illa tabella tertia Geneseos Habsburgiæ ait, 2. Vxor *Maria Anna* ducta 1648. Pallavicinus anno illo eodem, quo sponsa Regina simul cum Rege Hungariæ, & Bohemiæ Ferdinando fratre transiens Oenipontum egregio cum comitatu, ubi nostri Archiduces digna cum pompa, & hilaritate eos receperunt, ac Tridentum usque comitati sunt, Mediolanum pervenit, ibidemque librum suum (hunc in matrimonio ejusdem Annæ, ubi de fœminis agendum, repetam) hac pariter auguratione eidem præsentavit. In paterno (Philippi II.) Imperio nomine, & solio Hispanico successit Philippus III. Orientis, & Occidentis Monarcha à Maurica barbarie, ab Hispanijs proscripta, alijsque titulis religiosissimus, & fortissimus. Huic ex Margarita VII. Austriaca Ferdinandi II. Cæsaris sorore prudentissima, ac sanctissima Heroina Cœlum destinavit hæredem Monarcham potentia, sapientia, pietate ter maximum Philippum IV. Dominicum Victorem, implentem magna nomina, & Maiorum maximos titulos, pondusque gemini orbis sustinentem heroicis virtutibus, cui post Nestoreos annos Serenissimorum liberorum per sæculorum omnium ambitum, coronam, quæ sola orbis utriusque Monarchæ ad omnem felicitatem deest, omnibus Cœli, terræque auspicijs auspicor. *Philippo Maria Anna* unicus illius

In Synop. Geneal. ad vitam Caroli V.

illius amor nuptijs, & numero, & faustitate fecundis, desponsata, Austriam nonnisi cum Cæsarea fortuna in Hispaniam velificantem revehis, & Philippis Ferdinandos Austriadas jungens, religionem potentiæ, Germanas lauros Hispanis palmis maritas, omnemque conjugem simul felicitatem aurea fide, & adamantinis nodis æterni connubij. In auspicatissimis tuis nuptijs conjugatis simul inter Australia signa dominatoribus, marium terrarumque principibus Planetis, minimè mendaci conjectura augurari licet horoscopum summæ felicitatis. Ex te Augustissima Sponsa, & maximo conjuge tuo Philippo Oriens, Occidens, Europa, & Africa *Carolos* maximos, Austria magnos *Rudolphos*, Germania pios *Ferdinandos*, Belgium & Burgundia felices *Maximilianos*, Hispania potentissimos *Philippos*, Italia pacificos *Fridericos*, Orbis terrarum triumphatores, & honorificos *Albertos* Heroas optimos, & maximos, & si fieri potest parentibus meliores, & majores, certantibus cum ingentibus auspicijs, magnis votis, expectat. Hæc ille. Quæ cito, gravescente iterum jam Reginæ Aluo, postquam infantem fœminam nondum tribus elapsis annis fuderit, in nato Principe totius Orbis Christiani, Imperij Germanici, Monarchiæ Hispanicæ, Sanctæ Romanæ Sedi tranquillitati valdè necessario, vera fieri, & executioni demandari, constanter speramus.

EXCVRSVS VII. ET VLTIMVS.

De Matrimonijs Archiducum, Regum, Cæsarum Austriacorum Germaniæ.

EXplicatis postremò in præcedenti Excursu Monarchicis Principum Hispaniarum Connubijs, nunc Teutonica, quæ supersunt, quæque pari studio, & labore exhibentur, enucleare oportet. Sic integra scriptitatio talibus limitibus utrinque clausa erit, quod ubi prior tractus usque ad Ibericas plagas extensus Monarchicam dignitatem pro suo æquo puncto ac pariter juridico termino habebit, alius postmodum ad Cæsaream uno tantum generationis gradu major finiat Majestatem.

SECTIO I.

De Conjugijs Ferdinandi II. Archiducis, Maximiliani II. Imperatoris, Caroli II. & Alberti IV. Archiducum.

MATRIMONIVM VIII. DUPLEX.

Ferdinandus II. Archidux Austriæ, Cæsaris Ferdinandi I. alter post Maximilianum II. Imper. genitus, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Comes Tyrolis, &c. Cognomento hilaris, Heroicus, Splendidus, magnificus, solutus à primi Conjugij lege, duxit postea neptem suam ex sorore Leonora Annam Catharinam Gonzagam 1582. sub Pontificatus Gregorij XIII. anno 10. Imperij verò Rudolphi II. patruelis 5.

Vinculum alterum, quo duos Principes affines maritali fœdere Sacramentum copulavit, verè aureum, ac perenni elogio dignum.

Manl. de prog. Ferd. I. fol. 85. Gans in Ferd. I. Kil. in eicon. propr. Gans in Ferd. II. M. S. lib. 29.



Atus Archidux Ferdinandus II. in oppido Lintz anno 1529. 14. Iunij (ut Manl. & Gans, sed Kil. Iulij) die Mercurij hora tertia pomeridiana in signo Scorpionis. Vxorem priorem duxit Illustrissimam Dominam Philippinam ex nobili & patricia *Velserorum* Augustæ familia. De anno hujus prioris matrimonij turpe mendum apud *K*ilianum, est enim ibi 1530. & tamen Ferdinandi nativitas contigit, ut dictum est, 1529. Itaque comperta in hoc conjugio tria, nempè thori maritalis duratio, proles, & Philippinæ extinctio. De primo, & secundo idem Manlius. Vixit prima Vxor cum conjuge Ferdinando 24. & eo amplius anno, liberis ex conjuge relictis Cardinale, & Marchione. De tertio in errore est ejusdem Manlij typographus, qui obijsse Philippinam anno 1550. asserens, annos 30 minus posuit; extinctionem etenim ejus, pro ut in lapide sepulchrali, excellenti manu, & ab eadem, quæ Maximiliani I. Imp. Mausoleum effecit, sculpto, legi his verbis, *Ferdinandus Dei gratia Arch. Austr. Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis Philippinæ Conjugi charissimæ fieri curavit*. Obijt *24. mens. Aprilis anno salutis 1580*. Quas verò hæc pulchra mulier viro suo peperit proles, thori imparilitatem minimè imitatæ sunt, & alijs contentæ multa cum honestate Archiducali titulo abstinuerunt. De primogenito Cardinali, qui creatus à Gregorio XIII. electioni Sixti V. Ordinis Minorum interfuit anno 1585. ut habetur ex vita ipsius Pont. à Cicarella conscripta (nisi fortè de Cardinali patruele Alberto loquatur auctor) quique Princeps fuit, ac Prælatus pius, ac commendabilis, hæc breviter indagavi. Andreas Cardinalis ab Austria titulo S. Mariæ Movæ, Episcopus Constantiensis, & Brixinensis, ac administrator Murbacensis, Gubernator Belgij. Priorem Episcopatum adeptus est anno 1590. posteriorem 1591. Provincias Belgicas administravit 1598. & anno 1599. discessit de vita. Anno Iubileo Romæ anno 600. mense Novemb. Hæc M.S. eodem cap. 29 ubi

Vide Cicarellã de hac re, quæ curiosa est.

De Andrea Cardinali Austriaco.

mox

mox subdit de fratre, Carolus ab Austria Marchio Burgoviæ duxit Vxorem Sibillam (hujus Genealogia inferius in matrimonio Mariæ II. materteræ) Wilhelmi Juliæ Cliviæ, Montiũ Ducis filiã, Ioannis Gulielmi fororem, multis rebus in Belgio, & per Hungariam fortiter gestis digna patre soboles, & dignus gente. Hæc ibi.

De Carolo Austriaco & ejus conjugio.

Igitur è vivis sublata priori conjuge, & ipse annum agens 53. Matrimonio sibi copulavit neptem suam Annam Catharinam Gonzagam, Gulielmi III. Mantuæ, & Montisferrati ex Leonora Austriaca parentis Ferdinandi I. Imp. filia cum esset annorũ 14. ejus nanq; nativitas contigit ann. 1566. die Ianuar. 17. Magno Ægyptij Eremi Anachoretæ Antonio, cum quo Virgo & in aula paterna cum genitrice sua, non absque sanctitatis fama extincta, conjux & Archidux, sive copulata viro, sive in statu viduitatis, in quo multa cũ laude, & integritate vitæ has provincias annis 26. rexit, solitariam vitam (scilicet libera ab omnibus ad vanitatem affectibus) coluit, & exercuit. Omnes quos legi scriptores super hoc conjugiũ, eum celebratũ esse anno 1580. ferunt, sed fortasse de promissione, ac sponsalibus loquuntur; nam auctor libri Italici frater Joseph Maria Barchi è confessionibus Annæ Catharinæ (seu Annæ Julianæ, hoc alterum nomen, mutato priori, in memoriam B. Juilanæ servarum Dei assumpsit) eam nupsisse, sive nuptias celebrasse hic Oeniponto multa cum sollemnitate, ac pompa scribit mense Majo 1582. Mulier, cujus membrorũ pulchritudinem Sol & Luna per totam ferè Europã admirantes, ab omnibus magnis Principibus in conjugem optabatur. Mulier, ab ipsis penè incunabilis, Matre sibi regula, & exemplũ, Spiritu Dei, virtutibus Christianis, exercitijs pijs apud Clarissas Mantuæ imbuta. Mulier sanctè educata, sanctè patruo suo, qui per eam in rebus Spiritualibus multũ profecit, juncta, sanctè in gubernio reperta, sanctissimè tandem obijt in Domino Mater, & instauratrix in Germania tertij Ordinis Servorum B. Mariæ cujus etiam habitum induit filia secundogenita Maria II. Austriaca (primogenita Eleonora inter fasces obierat) & sub eo sanctè quoque vixit, & excessit; sed de hac, quemadmodũ & de avia Eleonora agendũ alibi fusius. Cætera admiranda de Archiduce Anna Juliana possunt legi in præcitato uolumine, in 4. libros pulchro & Evangelico ordine disjecto. Primus est de statu Virginali, 2. de statu conjugali. 3. de statu Viduitatis. 4. de statu Monachali hujus memorabilis Principis, & Archiducis. Quæ cum fuerit *Gonzaga* genere paterno, ac materno *Austriaca*, haud mirum, si tanto utriusque formositatis, carnis scilicet, & Spiritus nata proles lumine effulserit. Et quidem Gonzagorũ familia ad hos partus Ecclesiæ Catholicæ effundendos assueta varijs temporibus visa, & admirata est, ex ea enim exiere B. Paula D. Claræ monialis, B. Aloysius Gonzaga Societatis Jesu, servus Dei P. Franciscus Gonzaga Ordinis nostri, primũ Generalis Minister, deinde Episcopus Siculus, postremo Mantuanus, ubi magna sanctitatis fama obijt, atque veluti Beatus in summa habetur veneratione, neq; merita ei deficiunt, ut possit ab Ecclesia Romana inter Divos ascribi, & jam gestorũ ejus processus subjacet adhuc Ecclesiastico examini. Inter hos & alios probatissimæ vitæ Gonzagos nostræ Annæ Julianæ peculiaris locus absq; dubio debetur.

Lib. 1. cap. 15.

De origine Gonzagorum in postremo Ferdinandi III. conjugio.

Obijt vir ejus, qui Conjugem Archiducem ita dignã, ac sanctam Provinciarum gubernatricem, ac tutricem quoque filiorum reliquit 1595. ix. Calend. Febr. ætatis 66. Oenipote in hac æde Archiducali Franciscanorũ S. Crucis Sacello Deiparæ, sine labe culpæ Originalis conceptæ, Austriacæ fortunæ, ac potentiæ Germanicæ Hispanicæ tutelæ, ac propugnaculi, argenteo opere quam splendide fabrefactæ, propè 1. Vxorem Philippinam sepultus. Princeps fuit *Heroicus*, *Magnificus*, & *Splendidus*. Interfuit nuptijs Gulielmi Ducis Bavariæ cum fratre Carolo 700. equitum comitatu stipatus. De eo nihil memorabile annotatũ extat. Hæc M.S. loco nuper citato. Manlius hæc etiam de ipso tradidit, dum esset, quando ipse scribebat, superstes, Princeps & Martio vultu, & animo planè militari; Ingenio acri, atque perspicaci, moribus ingenuis, & gestibus hilaribus atque alacribus, præditus. Anno 1555. exercitum duxit in Strigonium contra Turcas, Regnum quoque Bohemiæ pro patre suo Ferdinando I. Imp. aliquot annos magna cum laude administravit. Ita ille. Ipse pluries vidi per grandem Lanceam, quam sola dextera sine ullo adminiculo Archidux gestare solebat, quam certe quilibet vir fortis vix ambabus manibus sublevare posset. Referunt tanto robore membrorum preditum fuisse, ut currum, quatuor equis tractum, manibus suis retro fortiter prensum retinere valuerit. Memorandus Vxoris suæ obitus accidit 1621. circiter horam noctis nonam 3. Augusti sepulta in hac civitate ad Ecclesiam sui Cœnobij sine ulla pompa, ut ipsa ordinaverat. Insignia, quæ paupertrimam sui purissimi corpis capsam exornarunt, non alia fuere nisi ipsamet eius novi Sigilli, quo monialis utebatur: videlicet B. Virgo dolorosa, ad pedem Crucis gladijs septem transfixa, & tres tantũ literæ, quæ sunt A. I. F. significantque *Anna Juliana fundatrix*. Ætas ejus obdormientis in Domino ann. 55. mens. 6. ac dierum 10. Vixit in statu Virginali annos 15. mens. tres, dies 21. Mansit cum viro suo ann. 14. men. 8. di. 10. Coluit Viduitatem aliarum magnorum Principum nuptiarum contemptrix ann. 17. men. 5. die. totidem. Exercuit vitam religiosam ann. 9. mens. 1. die. 2. Anni omnes menses & dies ab ea in Dei servitum, ac proximorum beneficium expensi. Ita Confessarius suus lib. 4. cap. 78. & 79. Gans brevibus verbis hæc habet in proposito. Secundam conjugem mense Aprili 1580. accepit (*Ferdinandus*) Gulielmi Mantuæ Ducis filiam N. suam è sorore Leonora neptem, quæ tres ei filias peperit, quarum una *Anna* Matthiæ I. Imp. nupta, illiberis tamen obijt: altera Oeniponti inter D. Virginis servas vitam egit, parens verò 1552. 26. Junij Viennæ decessit, &c. At in manifesto errore deprehenditur circa obitum parentis Ferdinandi, cum ad finem ejus tumuli intra commemoratum Deiparæ Sacellum elogati habeatur. *Vixit annos 65. dies 7. obijt 1595. die 24. Januarij.*


Gans fol. 9. in Liberis Ferd. Tyrol.

MATRI.

MATRIMONIVM IX.

Maximilianus II. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Habsburgi, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Romanorum Imper II. Pius, Felix, Augustus: Amor, & Deliciæ humani generis. Vxor Maria Austriaca 1548. ad annum 13. Summi Pontificis Pauli III. & ad 29. Imperatoris Caroli V. Patrui.

Maxima hujus Conjugij multiplexque felicitas; illa haud propagandi generis, & si magna in eo fæcunditas, infelicitate admixta est.



QVod Argumentum practicis rationibus præsenti enerratione lector indubitabiliter percipiet, spectatis in ambobus sponsis conditione, indole, moribus, ætate, titulorum & dignitatum claritudine, pia morte, & valdè Christiana, ingenuissimæ utrimque vitæ quam fecunda; magna & multa proliũ fæcunditate, cujus tamen nec unus & si adultus & senescens sanguinem paternum successoribus transmisit. Quod advertens P. Gans, subdit. Maximilianus primus filiorum Ferdinandi I. totidem quot parens proles suscepit ex Maria Philippi II. sorore, quindecim enim genuit, cum hac differentia, quod 9. proles fuerunt masculæ, & sex tantum fæminæ; nullus tamen filiorum, quod valdè admirandum, etsi ad virilem ætatem senectamque plures pervenerint, legitimè stemma propagavit, &c. Loco cit. de liberis Maximil. fol. 9.

Itaque sponsi, ac simul patrueles hi ambo Imperatorum duorum fratrum filij, licet conjux in hoc superaverit virum suum, quia hic in lucem editus parente Romanorum Rege nondum creato, quod contra accidit Mariæ. Ætas ipsorum, conjugali fædere copulatorum anno tantum unico minor in viro. Quandoquidem illius nativitas contigit Viennæ Austriæ ann. 1527. eodem cum Philippo II. patruele I. Augusti die Jovis, hora 11. noctis in signo Libræ. Baptizatus à Domino Raubero Episcopo Laybacensi. Compatres fuerunt Comes Franciscus de Pesing, & Sancto Georgio Hungarus: Dominus Adamus de Nevvhaus, Regni Boheimæ Cancellarius, & Domini Nadrispan, magni Comitis Hungariæ Vxor. Maria verò nata est in Hispania in Regia urbe Madrit anno 1528. Manlius ait 21. Septembris, Kilianus 21. Junij, huic adstipulatur Gans. Manlius fol. 81. Kil. in prop. eic. Gans. in Ferd. I. & alii.

Nota:

Duo profectò quam maximè admiranda, post auspicatum per sponsalium promissionem, ac deinde contractum consumatumque deinceps matrimonium prorsus mente tenenda, transmittendaque posteritati: alterū ex parte viri, alterum verò ex parte Vxoris. Jam Maximilianus prima militiæ tirocinia sub Cæsare patruo bello Smalcaldico auspicatus, & duobus equitum millibus profectus, evocato à patre in Belgium Philippo, Hispanias eodem absente regens, ibi etiam eodem tempore Mariam II. Austriacam, Cæsaris filiam Vxorem duxit. Ex Manlio Annus sponsionis 1548. Mensis Septemb. dies 13. locus Valledolitum. Nuptiæ quam splendidissimæ. Kilianus discordat in mense, quam Octobrem facit. Videamus modo quantum felicitatis, peracto matrimonio, utrique sponso contingerit tam ratione dignitatis, quam etiam ratione fæcunditatis. Anno 1548. 14. Febr. Rex Bohemiæ electus Maximilianus, & decimo quarto post anno Salutis nostræ 1562. Septem. 20. coronatus. Inde Francoforti 24. Novembr. ejusdem anni in Regem Romanorum renunciatus, sexto post die, & anno 1563. die 8. Septembr. Posonij in Regem Hungariæ coronatur. Anno autem teste Manlio, 1565. patre Ferdinando vita jam defuncto pleno jure successit in Regnum Hungariæ, & in Imperium Romanorum. Hanc sortem adeo peregrinam, ac præcipua Dei Providentia exortam in hoc Cæsare intuens auctor M. S. citati, hæc addidit. Maximilianus II. trium præstantissimorum Regnorum Coronam, & insignia consecutus est uno anno, secundus ex Domo Habsburgica post Albertum II. Imperatorem, & manifesta Dei in Habsburgiensem posteritatem propensione, & gratia. Eandem advertentiam mihi prius subministravit Kilianus, & cautiori calamo; non enim eodem anno tanta prosperitas Cæsari Maximiliano, sed eo elapso. Ponam dilucidationis verba. Sic anno unico vix transacto (rarò felicitatis exemplo, quale Alberto II. Austriaco etiam accidit) tres ordine coronas accepit, &c. Possumus & aliquo modo addere 4. coronam Poloniæ, nam anno 1575. 16. Decembr. Viennæ nuncium accepit Maximilianus, electū se à discessu Henrici Valesij in Regem Poloniæ (de hac electione alibi) licet propter diversa procerum studia regnum adire noluerit.

Kil. in Maxim. 2. M S. in eodem ad finem ubi de eius Vxore, & liberis.

Idem.

Loco cit.

Admiremur modo summam Mariæ Austriacæ, in Conjugem ductām, fortunam. De ea citati scriptores & maximè Kilianus in hæc stuporis verba. Maria II. Austriaca, Romanorum Imperatrix, Vngariæ, & Bohemiæ Regina, qua vix orbis majorem tulit. Abneptis, Proneptis, filia, nurus, Vxor, mater septem (*vult dicere duorum*) ordine Imperatorum, &c. Hinc transeundum ad conjugatorū fæcunditatem, quæ si ad sobolum dignitatem referatur, tot Cæsares peperit, quot & Philippus I. & Ioanna Aragonia pepere, neque adhuc alia matrimonia Austriaca invenio, quæ duos Imperatores ediderint, nisi illud Philippi commemorati, ac præsens Maximiliani II. Quod si contingerit (ut probabilior credendum) superstitem Bohemiæ & Hungariæ Regem proxima Dieta Electorali, 14. Augusti intimata, in Regem

Vbi supra in Car. V.

Nota.

gem Romanorum eligi, tunc tria erunt matrimonia, equabiliter sex Cæsares generantia. At respectu fœminarum copiosius extitit Philippi I. connubium, quatuor enim procreavit fœminas, quæ omnes fuerunt Reginæ; sed ex septem, quas produxit Maximilianus, duæ tantum Regibus spoponderunt. Quanquam in his, spectatis Regum meritorum potentijs, divitijs, Monarchijs, non solũ quatuor illas Reginas adæquare possunt, verum etiam & excedere.

Si vero eadem fœcunditas quantum ad prolium numerum consideretur, matrimonia superat. Quæ enim tradidere nonnulli inconstanter de posteritate Rudolphi I. Imperatoris, cui alij 8. primò, deinde ij. alij 14. alij 16. liberos tribuunt, superius uti incerta, & dubia attulimus: quemadmodum & de Alberti I Imp. filijs, quos alij 21. alij 26. perperam dicunt, alij verius 12. Carolus deinde Archidux Maximiliani II. frater, de quo paulo post, 15. procreavit liberos. At ex præsenti conjugio, ut notat Manlius, licet una minus apud Gans, & Kilianum, eo quia abortiva, 16. proles exiere, ut ex sequenti capite liquebit.

Proles Maximiliani II. sexdecim ex Jacobo Manlio hoc ordine.

ANna VI. Regina Hispaniarum, de qua dictum est in 4. Philippi II. matrimonio. *Ferdinandus IV.* natus Zigagliæ in Castillia 1551. 28. (Gans 24.) Martij die Saturni, obijt Viennæ infans 1552. 16. Iunij (vel 26. ut advertit Kilianus) sepultus ibidem ad S. Stephani. Idem est hic ordo apup Kilian. Gans, Bucelinũ, & alios.

Rudolphus II. Rom. Imp. semper Augustus Natus Viennæ 1552. mensis Iulij 2. vel ut quidam affirmant 10. (Kil. 18 uti & Gans) die Lunæ in signo Geminorum. Adolescens cum Ernesto fratre, de quo mox dicetur, missus à parente in Hispanias ad avunculum Philippum Regem eo fortasse consilio, ut (quemadmodum res humanæ fluxæ sunt, & caducæ) si quando contingeret Regem absque hæredibus decedere, linguæ Hispanicæ perceptio & morum, alienarumque Hispanicarum rerum cognitio Germanis hisce Principibus procliviorem ad coronas Hispanicas viam sternerent. Rex certè ipse & Hispani proceres hos hilarè & libenter exceperunt, & ut par erat Romani Imperatoris filios, optimæque spei adolescentes, magno in honore habuerunt. Adulti quando jam honorum in Germania, & Regnis vicinis capiendorum seges maturuisse videbatur, ad patrem reverterunt. Nec multo post, Deo res humanas sic disponente, & heroicam optimi Imp. Maximiliani II. prolem benigne respiciente, tam ampla se se Rudolpho obtulit honorum messis, ut non longo annorum intervallo anno 1572. die 25. aut 29. Septembr. Posonij Regni Hungariæ, ac Germaniæ pariter, & post tres annos, hoc est 1575. die 21. Septembr. Pra- De Rudolpho II. Imp. nonnulla.

gæ Regni Bohemiæ Coronis & tandem prima Novemb. ejusdem anni Ratisbonæ in Comitijs patre Maximiliano ipso Romani Imperij diademate, quo nihil in orbe terrarum Augustius est, insigneretur, &c.

Ernestus Belgij gubernator, natus Viennæ Austriæ 1553. mensis Julij 15. (*Kil. Junij aut* Julij) die Jovis in signo Leonis. *Gans habet 1552 &c.* *Elisabetha* Regina Galliæ nata celeri, atque inopinato partu Viennæ Austriæ 1554. Mensis Junij 5. die Marti sub signo Leonis. *Gans ponit mensem Iulium.* *Maria* nata Viennæ 1555. mensis Julij 27. in Sabbatho sub signo Libræ Obijt Linzij 1556. 25. Julij die Jovis, vel ut alij volunt 28. Junij. Sepulta ibidem in templo Parochiali sub saxo quodam apud Maximiliani cor, & viscera. Gans inquit, Maria infans obiit 1564. 6. hebdomadarum. *Matthias* primus hujus nominis Romanorum Imp. *Infans* masculus abortivus, qui licet ante tempus natus sit, omnia tamen virilis sexus signa retulit. Editus autem est in luce 1557. mensis Octobr. 20. die Mercurij in signo Libræ. *Maximilianus* electus Poloniæ Rex natus Nevvstadij 1558. mensis Octobris 12. die Mercurij (*Kil. 15. oct.*) Divi Maximiliani festo in signo Scorpionis. *Albertus* Cardinalis & Archipresul Toletanus, &c. natus Nevvstadij in Austria 1559. (M. S. 1560.) mensis Novem. 13. *Wenceslaus* natus Nevvstadij, seu Neapoli Austriæ 1561. mensis Martij 9. die Dominico in signo Capricorni, Eques Metilensis obijt in Hispania 1578. *Fridericus* natus Linzij 1562. mensis Junij 21. die Solis, vel Dominico in signo Piscium. Obijt Oeniponti in hoc Comitatu Tyrolensi, dum adhuc apud nutricem suam esset 1563. 16. Januarij. Sepultus in Stambs apud veteres Archiduces. *De eo Gans, undecimus Fridericus obijt eodem quo natus fuit anno 1564. Sicut etiam Maria secunda.* *Maria V.* nata Nevvstadij 1564. mensis Februarij 19. in Sabbato sub signo Geminorum. Obijt Viennæ 2. Martij anno eodem. *Carolus* IV. natus Viennæ 1565. Mensis Sept. 26. die Mercurij. Obijt 23. Maij sub ipsumet annum. *Gans fert Decimus tertius Carolus natus 1567. 27. Sept. denatus die Ascensionis Domini 1566.* *Margarita* nata Viennæ 1567. mensis Januarij 25. die Sabbathi in signo Leonis. Matre in Hispaniam secuta 1581. ait Gans, ibidem innupta obijt 1633. De hac laudabilissima Virgo alibi. Proles demum sextadecima *Leonora* nata Viennæ 1568. mensis Novembr. 4. die Mercurij in signo Tauri. Obijt Pragæ innupta paulo ante Matris in Hispaniam profectionem. Hactenus Manlius, cui nonnulla addidi ex Kiliano, & Gans. Baptismata omnia non posui, quia lector apud eum commodè ea cum nonnullis alijs rebus legere potest.

Felix

Felix Conjugatorum obitus, etsi generis propagatio non ipsis, sed Carolo Archiduci, unius fratri, alterius patrueli cælitus servata.

HAud immeritò Auctor M. S. superius illud peregrinum cognomentum, quod non dum ipse apud alios legeram, tribuit Maximiliano II. Cæsari, nempè *Amor & delitiæ generis humani.* Si quidem scribit Manlius de eo hoc modo. Fuit in hoc Imperatore cum Mansuetudo eximia, & affabilitas amabilis, tum incredibilis prudentiæ ingenijque sagacitas, nihil enim temerè, nihil perturbatè, iracundè aut violenter, sed omnia circumspectè, sedatè, summaque cum attentione agebat. Nec mirum cum optimos inde usque à pueritia sua talium rerum magistros habuerit in Hispania, & in Belgica Carolum V. patruum, & in Germania ipsum parentem suum Ferdinandum I. Nemo unquam ipsum accessit, aliquid petens, quin contentus, lætiorque recesserit. Etsi enim unumquemque re juvare, votique sui compotem facere nequiret (quis enim Alexander posset) blandis saltem verbis, & obtutu oculorum amabili à se hilares dimittebat, &c. Loco cit. fol. 38.

Tantus in eo amor erga populos sibi subjectos, & adversus omnes communiter, per quem genus humanum, ab ipso temporaliter dominatus, vel in eis qui Cæsarem viderunt, & cum eo tractaverunt, vel in cunctis, ejus famam toto terrarum orbe personante audientibus, nonnisi quam plurimis delicijs perfundebatur, lętam profectò, ac felicem mortem ei auguratus est. Kilian. ibidem. Hinc ante obitum Rudolphum filium pulchro patris ergà seipsum exemplo, & magno Imperij, & familiæ commodo, primo in Vngariæ, inde in Bohemiæ, & Romanorum Regem coronari suis oculis conspexit, quo factum, ut ab ejus obitu, nullo refragante, successionem ubique pacificem adierit. Tandem laboribus, curis & morbis debilitatus, Ratisbonæ defunctus est in ipsis Comitijs jam finitis die 12. Octobr. 1576. Sepultus Pragæ, inquit Kilianus (Gans Linzii) in Cathedrali Basilica. Filio Rudolpho ejus nominis II. successore in Imperio, & Hungariæ, ac Bohemiæ Regis relicto.

Vxor, viro suo simillima, ac fœmina pudicissima, uti vivens, ita quoque obiens magnam adepta est felicitatem. Manl. fol. 78. Post mariti sui interitum natale solum repetens, in Hispanias est profecta, animi dolorem & ingens optimi, amantissimique sui conjugis desiderium lachrymis, precibus, bonis operibus, alijsque pijs exercitijs mitigans. Etenim aut hæc profectò est, aut unquam ulla fuit, nec unquam erit tanti nominis Princeps, quæ omni omnino virtutum & laudum genere, sine cujusquam invidia cumulari possit, &c. Ast de tanta Archiduce Regina, & Imperatrice, quæ sub cilicio Fratrū

minorum purgatissimam, ac Seraphicam animam Deo suo reddidit 1592. alibi, ubi de Mulieribus illustribus Habsburgicis, Austriacis.

MATRIMONIUM X.

Carolus III. alijs II. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtenberg. Comes Habsburgi, &c. Suique generis eximius, ac dignus propagator. Vxor, ingenuaque cum viro propagatrix Maria Bavara nepte, ducta Viennæ 1571. Pontificatus Pij V. anno penultimo, Imperij vero Maximiliani II. fratris 7.

Ingens bonum ex hoc Conjugio Domui Austriacæ, quin & omni Orbi Christiano.

DVm gesta nonnulla hujus Archiducis in penultimo Gentilitio transferenda, & conscribenda esse necessarium foret, quæ ad ejus conjugium spectant sunt breviter sequentia ex M. S. & ex alijs quoque scriptoribus, Manlio, Gans, Kiliano, &c. Princeps iste, sine quo nec Domus Austriaca Germana amplius sustineri posset, nec Ferdinandea posteritas tribus Romanorum Regum adhuc Augustissima ulterius progressa esset, natus est tertius filius Ferdinandi I. Imp. instar generis sui egregij substentaculi, ac reparatoris. Vnde sibi non solum stirps propria valdè debitrix, verum etiam & omne Imperium Germanicum, totaque Romana Ecclesia. Audiatur Pallavicinus, quem, vix isthæc scribens, perlustravi. Ex Maria Bavara, ait, quod magnum est instar omnium elogiorum Carolus Ferdinandi II. pater, Ferdinandi III. felicissimè in solio Germanico regnantis Avus, Ferdinandi IV. Romanorum Regis, & Mariæ Annæ Reginæ Hispaniarum potentissimæ Proavus, Imperatricisque totius familiæ, cui ævum gloriosissimum devoveo, felicissimus auctor. Hoc nomine non solum Septentrio, sed oriens, occidens & Auster, totusque orbis terrarum Carolo multum debet, à quo habuit tantum felicitatis. Hæc ille in Synop. à Ferdinando I. ad Maximilianum II. Die ortus sui quam auspicatissimus 3. Junij Viennæ in Sabbatho, & in signo Cancri illius anni 1540. Adultus, & Juvenis 31. annorum duxit mense Semptemb. Mariam, ex sorore Anna neptem, Alberti Bavarici Ducis filiam, Gulielmi, & Ernesti Electoris Coloniensis sororem Viennæ

Pall. in Synop. Ferd. I.

Manl. fol. 94. Kil. in Carolo.

1571.

1571. puellam vix annum 18. explentem. Gans vocat Carolum Archiducem ratione hujus conjugij filium Ferdinandi Cæsaris à patre,& à Deo benedictum,& jure merito, nam ingens in eo fecunditas,quantitate,& qualitate andmiranda,etsi enim parenti liberorũ numero parem natura&Sacramentum eum effecerint, longè tamen fælicitate prolium repertus est, ut infra patebit. Nuptiæ celebratæ Viennæ Austriæ magna cum sollemnitate, & pompa. Ludi & certamina equestria, atque pedestria, aliaque varia spectacula cum summa spectantium voluptate. In insula Danubij suburbana populo exhibita fuerunt. Multa sanè cum ratione in solo Ferdinando II. Imper. omnis hujus Connubij auguranda felicitas. Idcirco Pallavicinus nuper citatus scripsit in eodem Ferdinando. A parentibus Pijssimis Carolo Archiduce & Maria Bavara junctis magnis turbibus,quæ Herculeæ in Germania columnæ bacchanti hæresi, *Non plus ultra* obijciunt, metamque omni impietati primam traxit Ferdinandus nobilitatem Pietatis cum omnium gentili splendore virtutum Virique Austriæ, ac Boicæ Genti,firmis jam plurium sæculorũ radicibus *Tota licet veteres exornent undique ceræ Atria: nobilitas sola est,atque unica virtus.* Nunquam non salutaria fuere in sua conjunctione hæc splendidissima Septentrionis Astra, geminæque bonorum omnium cynosuræ. Præter hæc domestica sidera, alia ne quære in Ferdinandi fortunatissima genitura. Sanctissimos Bavaros Cæsares & Austrios Archiduces Henricos, & Leopoldos horoscopos esse decebat Ferdinandeæ Pietati, non incestam Venerem, sanguinarium Martem,adulterum Jovem,trifurcIferum Mercurium; aliosque suis sceleribus famosos Planetas. Dominatorem Pietatis, quæ cælo, terrisque dominatur,inter astra nunquam invenies. Ita inde sortitus est Ferdinandus à natura Pietatem, à Pietate naturam,ut ab ipsa simul factus,& ad eandem natus,imò altera in alteram natura inPietatem,Pietas in naturam migrasse videretur.

Gans ubi de Carolo fol. 9.

Manl. ibidem.

Fuit hic Princeps pacis studiosissimus,ita tamen ut fines suos egregiè semper & acriter contra Turcarum incursiones tutatus sit. In religione, quam coluit,Catholica Romana tuenda, & propaganda feruidus; supplicationibus amburbialibus ipse sæpe pedes etiam tempore plurimo & frigido ambulans, interfuit. Instante jam vitæ fine cum terræmotus Austriam sæpe concuteret, pietatis ergo Divæ Virgini, quæ ad Mariæcellam colitur, votum solvere cupiens,aliquod itineris spatium per æstum pedes confecit, ex quo aliquem corporis languorem cum contraxisset, potu ciboque nimis frigido ad sedandum æstum usus dicitur, eamque morbi causam excitisse opinantur. Obiit autem paucis post diebus Gretium reversus in arce sua anno. Hactenus Manlius apud quem anni tempus non adest. Igitur Carolus Archidux Princeps (loquor cum Pallavicino citato) virtutum omnium numeris absolutissimus,acerrimus hæreos hostis,futurus etiam exterminator, si in alia tempora incidisset,&c. anno 1590. 6.Idus Quinctilis,teste Kiliano

Quis fuerit Carolus Arch. ex eodem Manl.

De causa eius morbi, & mortis.

Kiliano (M. S. Calendis Iulij) ex his terris migravit. Vxoris mors post 18. annos contigit, ipsa nona in Germania Austriaci generis propagatrix.

Terræmotus magnus post Caroli Arch. obitum.

Meminit M. S. lib. 29. in Carolo Archiduce certi terræ motus, non ante (quia fortè alius, & non idem fuit) licet anno eodem 1590. sed post ejus obitum contingentis. Auctoris enarratio extat ibi hoc modo Quinto Septembris, qua Pontifex Vrbanus VII. eligebatur, terræmotus horribilis Viennam Austriæ, multa Moraviæ, & Bohemiæ loca concussit. Viennæ ædes quam plurimæ labefactæ. Turris D. Stephani ita conquassata, ut ruina illius metueretur, & de fastigio destruendo consilium capi necesse fuerit. Templum cœnobij Scottorum & hospitium ad solem aureum, patrona, & familia illius diversorij & hospitibus aliquot oppressis, concidit. Castellum Canisianum in finibus Hungaricis, media ex parte magna militum strage facta, corruit. Pragam quoque haud parum contremuisse fertur. Haud procul à Vienna Austriæ agri Mephitim exhalarunt, & solum pluribus locis locustis atris constratum fuit, quà sub pedibus calcatæ teterrimum odorem afflarunt. Hactenus M. S. Hæ commotiones ac similia prodigia *sintomata naturæ* solent passim vocari, in illis tamen summa annonæ penuria, incendia horrenda, pestilentia sevissima, fulmina, terræmotus, chasmata, turbines, cometæ, tenebræ, inundationes prodigiosæ, alia per multa portenta, quæ hoc tempore sæpè pluribus regionibus contingerunt, nonnisi subsequentium calamitatum prænuncia, praxi ipsa hoc prædocente, auctores augurantur, apud quos legere est. Vnde præclarè juxtà & piè Aloysius Luisinus Medicus Foroiuliensis lugens cecinit apud Spondanum.

Spondanus ad ann. 1570.

Diluvium, terræmotus, contagia passim,
Bella, fames, mundi quid reliquum exitio est.
Ignis & ipse propè est. Vnde hæc? ex arte tonantis,
Tot mala quid Mundo congerit? impietas.
Anne salutis adhuc spes ulla est? unica: quisnam
Porriget hanc? pietas: hæc ubi? nullus habet.
Quid stas munde? rue, ut pietas est nulla: ruentem
Jam video: auxilium numina læsa negant.

Soboles XV. Caroli Archiducis hoc ordine juxta temporum seriem exhibentur.

Ex Kil. Manl. Gans & alijs.

F*Erdinandus V.* natus Indenburgi 25. Julij ex Kiliano (Manl. subscribens Gans 15.) 1572. Obijt ibidem 31. ejusdem addit Gans. Sepultus in Cænobio Seccoviensi. *Anna* VIII. Regina Poloniæ, de qua suo loco. *Maria Christierna*, Manlio Christiana VI. de

qua

qua etiam suo loco. *Catharina Renea* hoc nomine XI. nata 5. Januarij, (Gans ex Manlio 4.) 1576. Elisabetha XII. nata Gretij 13. Martij (apud Gans est Majus) 1577. Obijt 29. Ianuarij 1580. Sepulta in Cænobio Seccoviensi. *Ferdinandus* VI. Imperator, de quo paulo post. *Carolus* V. natus Gretij 17. Iunij (Gans Julij ex Manlio) 1579. Obijt ibidem 17. Maij 1580. Sepultus in Cænobio Seccov. *Gregoria Maximiliana* nata Gretij 22. Martij 1581. M. S. habet Gregoria Maximiliana progenita est 1591. undecimo Calend. Aprilis. Promissa Philippo III. Hispaniarum Principi. Defuncta est eodem anno, quo nuptias celebratura erat 1597. *Leonora* V. nata Gretij 25. Septemb. 1582. *Maximilianus* IV. in confirmatione Maximilianus Ernestus dictus, natus Gretij 17. Novembr. 1583. Obijt 1616. *Margarita* VII. nata Gretij, &c. De hac dictum est in matrimonio Philippi III. *Leopoldus* V. *Maria Magdalena*, *Constantia*, de quibus suis locis. *Carolus* posthumus 1590 Episcopus Brixiensis, & Vratislaviensis, ac ordinis Teutonici magister, obijt in Hispania Mantuæ Carpetanorum in aula Regia 26. Decemb. 1625. Ita Gans. M. S. habet Episcopus Vratisl. creatus 1680 & Brixinensis 1614. Duo animadvertenda in præsenti de Carolo archiduce fœcunditate, unum ex Manlio, alterum vero ex Gans. Proinde (inquit ille) ex superioribus constat quod est notatu dignissimum, tantam esse Principum Austriacorum in prole gignenda fœcunditatem, ut horum tantum tres Ferdinandus nimirum I. Imperator, Maximilianus II. Imperator, & hujus frater Carolus archidux paucis annis liberos omninò 46. in hanc lucem produxerunt, & dimidiam ferè centuriam haud dubiè complevissent, si archidux Carolus pluſculos annos supervixisset. At verò Ferdinandus hisce tribus accedens quartus non tantum hanc dimidiam centuriam adæquabit, verum etiam longè superabit. Hæc Manlius. Gans demum notat, ex his, ait, ut vides, filij duo, & filiæ 4. Mundum Regibus, & Principibus fœcundaverunt, *Anna* nimirum, & *Constantia* Poloniam, *Margarita* Hispaniam, & *Magdalena* Italiam: Fratres duo *Ferdinandus*, & *Leopoldus* Germaniam.

Fol. 141. Notandum. 1. Notand. 2.

Stirps Mariæ, Caroli Archiducis conjugis, quæ obijt 1608.

ALbertus IV. Sapiens Dux Bavariæ utriusque defensus à Maximiliano Cæsare contra Rupertum Palatinum Rheni. Mortuus 1508. 18. Martij sepultus. Vxor Kunegundis filia Friderici III. Imp. soror Maximiliani, quæ, defuncto marito, monasticam vitam egit Monachi, ubi in D. Virginis æde sepulta est.

Aaa Wilhelmus

Wilhelmus Dux Bavariæ superioris & inferioris, mortuo fratre Ludovico; Senior ex fratribus præfectus prætorio Rheni. Decessit 1550. 22. Martij. Vxor Jacoba filia Philippi Marchionis Badensis.

Albertus V. Dux Bavariæ utriusque, & Comes Palatinus Rheni natus 1528. 29. Febr. Symbolo usus est Leonibus duobus; quorum unus ad dextram Caniculam in manibus tenet; alteri à tergo astat vir nudus clava ictum minans, cum inscript. *Parcere subjectis, & debellare superbos.* Obijt 1579. 4. Calend. Nov. ætatis 51. mens. 7. die 27. Vxor *Anna* filia Ferdinandi Imp. Regis Bohemiæ & Vngariæ; ducta 1546. in comitijs Radisbonensibus. Liberi septem. *Carolus* natus 1547. immatura morte obijt.

Symbolum.

Wilhelmus Junior, Dux Bavariæ, & Comes Palatinus ad Rhenum natus 1548. 3. Cal. Octobr. patris in fovenda Catholica Religione æmulus. Vxor Renata (alij Renea) filia Francisci Ducis Lotharingiæ, ducta Monachi 8. Cal. Martij 1565 ad cujus nuptias convenerunt Monachi 3279. equi. Genuit Wilhelmus proles quinque *Maximilianum* Ducem Bavariæ, cui Vxor Elisabetha Lotharingiæ Ducis filia ducta 1595. Mense Januario. Philippum postulatum, & confirmatum Episcopum Ratisbon. ex Præposito Coloniensi anno 1590. 15. Octobr. Ferdinandum Archiepiscopum Coloniensem Electorem. Maximilianam. Annam Mariam Ferdinandi III. Austriaci Conjugem. Cæteri Wilhelmi fratres. *Ferdinandus* Dux Bavariæ natus 1550. Cal. Febr. Symbolum ejus mulier nuda Delphino natanti in mari insidens, & libram in manu tenens cum inscript. *Cognosce, elige matura.* *Maria Maximiliana* nata 1552. Maria nata 1553. 25. Mart. nupta Carolo Archiduci Austriæ Avunculo suo *Ernestus*, natus 1554. 16. Cal. Januarij, electus in Episcopum Frisingensem 1563. Hildesiensem 1573. Leodiensem 1581. Coloniensem Archiep. 1583. 11. Cal. Junij; procurante Pontifice Maximo, Imperatore, Parmensi, & alijs Principibus in locum Gebhardi Truchsesij ob conjugium remoti. Monasteriensis quoque Episcopatus administrationem accepit post resignationem Jonannis Wilhelmi Ducis Clivensis.

MATRI-

MATRIMONIUM XI.

Albertus VII. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgiæ, Lucemburgi, Comes Habsburgi, Flandriæ, Teriolis, &c. Uxor Isabella Austriaca patruele anno illo, de quo dictum est in conjugio Philippi III. Regis Hispaniarum.

Sponsalia hujus Conjugij varijs ex causis auspicatissima, Nuptiæ felicissimæ, exitus optimi, & tamen nec unica proles.

ANnis septem sponsæ Elisabethæ ætatem excesserat Albertus, ipsi matrimoniali vinculo copulatus. Nam hujus dies natalitius 1559. Novembr. 13. ubi Infantis Hispaniarum ortus, ut diximus in liberis Philippi II. ex conjuge Valesia anno accidit 1566. Itaque anni sponsi 40. Sponsæ verò 33. Partes in utroque conjuge, ac patruele etiam claritudine morum, & virtutum egregiæ. Cognovit consideravitque in adolescente Alberto Rex Philippus avunculus, apud quem Maximilianus II. miserat, ingenium, & naturam illius probam, moderatam, & placidam, ac propterea Philosophiæ, & Theologiæ studijs excoli, & opulentissima Toleti Archiepiscopia ipsi attributa, Ecclesiæ Romanæ Cardinalem creari curaverat. Igitur Albertus à pueritia literis & sacris destinatus, in utrisque ita brevi tempore profecit, ut & maturè eruditus evaserit, & à Summo Pontifice Gregorio XIII. Galero Cardinalitio insignitus sit 1577. 4. Martij vocatus Cardinalis titulo S. Crucis in Hierusalem. Cumque ob nativam ingenij bonitatem, fidem, integritatem, & morum comitatem Regi, ac omnibus ordinibus carus esset, Lusitaniæ Regni gubernio eum postea præfecit anno 1583. ex Kiliano, in quo cum summa dexteritate versaretur, postea in Belgicum Ernesto successorem misit. Anno 1593. à Rege Madriti evocatus, defuncto Cardinale Quiroga, Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum Primas designatus est. Rex quoque Philippus Hispaniæ totius filio, & Archiduci Alberto administrationem commisit. Defuncto Ernesto fratre, jam jam ordinem Sacerdotalem suscepturus, mutata sententia, Belgij Prorex à Rege factus, anno 1595. ex Hispania discedit, & anno 1596. 11. Februarij Bruxellam ingreditur, atque statim in hostem progrediens, incredibili celeritate Gallis Caietum, Ardeam: Hollandis Hulstum eodem adhuc anno eripit, sequenti

M. S. lib. 28. cap. 2.

Manl. fol. 123.

Kil. in Alberto.

quenti Ambianum astu bellico capit, quod Gallis iterùm mense Octobri ex deditione cessit. Verum hæc & alia tanti Archiducis facinora, prudenter, ac piè in vita gesta suo loco. Bonum ergo optimumque omen præsenti matrimonio in Alberto Cardinale, & Archipræsule Toleti, spectatæ atque nobilitatæ virtutis Principe, in cujus vita nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas. Ita & pariter dotes ingenuæ & peregrinæ in sponsa Isabella repertæ, ut aliquanto post videbitur.

Alia auspicatissima causa celebratio sponsalium Italiæ facta paulo ante visa est anno 1598. Perquam summam de obitu Philippi II. tristitiam nimis valide temperavit, imò sustulit. Sed ante ejus enarrationem operæ prætium existimo rescribere id quod mente & calamo resolverat decreveratque, nec non & conditiones Matrimonij, certè dignæ scitu ab alijs magnis Principibus. Rex Hispaniarū super hoc magnæ consequentiæ conjugium.

M. S. loc. cit. ann. 1597.

Literas quibus Belgici ordinibus voluntas Regum patris, & filij significabatur, in Hispania 10 Septembris Archidux 26. Novembr. ordinibus, Bruxellam convocatis exhibuit. Quibus cum fidem habere ijs, quæ à Cardinale exponerentur, jussi essent, Cardinalis Archidux latius mentem atque sententiam Regis & Principis explicans, proposuit in Comitijs visum fuisse MaiestatiRegiæ, fore è re totius orbis Christiani, & in primis Belgicarum Provinciarum, ne Charissimæ filiæ, Hispaniæ infantis matrimonium diutius differret. Itaque pro conservatione suæ familiæ Austriacæ, & alijs causis, Cardinalem sponsum elegisse cum approbatione, & consensu Sanctissimi Dñi, ac Patris PontificisMaximiClementis VIII. Imperatricis, sponsi matris, Imperatoris fratris, & aliorum; ac in commodum favoremque prædicti matrimonij Belgium cum Burgundia citra ullam reservationem in dotem designasse, sibique promittere, Belgas de tam benigna resolutione summopere gavisuros. Quippè quæ ad ipsorum proprium emolumentum & commodum pertineat & viam ad optatam & solidam pacem perveniendi patefactura sit, & evadendi præsentis belli diuturni miserias, quod sua Majestas ardentissimè desideret. Declaravit præterea Cardinalis, se maximi facere Regiam in hac re erga se gratiam, benevolentiam, & favorem, quod videlicet se delegerit præ cæteris, atque omnibus alijs Principibus prætulerit: & tanto magis gaudere, quod hac occasione Belgis suæ bonæ voluntatis effectus demonstrare poterit, & Principum Burgundicorum & Austriacorum suorum præcessorum exemplo, operam dare pro ipsorum commodo, salute & tranquillitate, erga quos singulari semper affectione deditus fuerit, cujus à primo adventu suo aliquod præbuerit specimen, minus tamen, quàm pro suo desiderio, alijs necessitatibus & obstaculis impeditus. Quantum oneris ex hac regia resolutione humeris suis incumbat, se probè nosse. Attamen ordinum consilio, auxilio & subsidio fretum, mediante divino favore, sperare successum felicem, & Belgas in flore, amplitudine & prosperitate, qua temporibus suorum prædecessorum viguerunt, se brevi

Dos pro matrimonio Belgium, & Burgundia.

revisurum

revisurum. Vbi autem ordines perspexerint, quo corde, animo, sensu, quibusve viribus Serenissima infans & ipse pro eis stabunt, confidit de illorum eodem amore, quo ipsorom majores erga praecedentes Principes Burgundos & Austriacos affecti fuere.

Adhaec mense Decembri ordines Regni responderunt: se primo intuitu de regia hac resolutione admodum fuisse attonitos. Cum enim tot annis sub optimi Regis justa & aequabili gubernatione vixerint, tantorum beneficiorum, quae ipsi & ditiones à Regali sua manu suorumque praecessorum, supremorum Dominorum & Principum accederint, memores, vix fieri posse, quin doleant, videntes se à Regis sui obedientia distrahi. Quod perpetuò gravatè ferrent, si alia esset futura mutatio, quam quae ipsis proponitur, quam fatentur maximae ipsis esse consolationi, eò quòd pro Principe filiam dilectissimam ipsis praeficit (cujus bonitatem & virtutes egregias laudari & praedicari audiverint) & adjungens illi maritum maximè generosum, & summis ornatum virtutibus inter totius mundi Principes, cujus fortitudinem, prudentiam, & pietatem singularem & benevolentiam, quâ erga hasce regiones afficitur, jam cognoverint: praeter id, quod nomen, sanguinem, & familiam referant eorum, quos ipsi, & eorum maiores hactenus semper maximè venerati sunt. Non posse igitur non se gaudere, Deoque Optimo Maximo ingentes agere gratias, quòd hujusmodi voluntatem Majestati suae inspiraverit, qua non existimant se mutare Dominum, cùm novi hi Principes suae Majestatis sanguinis, caro, cor, & verae imagines sint, ac sperent augendae gloriae DEI, Regiae Majestatis honori, & Vassallorum subditorumque commodis servituram esse, uti Regijs litteris indicetur. Quocirca ordines praedicti Regiae voluntati, & hujus mandatis obedientes, declarant, & testantur, quod eodem Zelo, quo Majestati ipsius inservierant, etiam servituri sint Serenissimae Infanti filiae, & Archiduci suo futuro marito, quando suae Majestati ita visum fuerit, reddentes illis debitam obedientiam & fidelitatem, & illorum commodis & ornamentis perpetuò servientes.

Vnicum tantùm principale punctum suae Majestati in mentem revocant, quamquam de eo aliunde satis fuerit edocta; Nempe miserabilem, & deplorandum illorum ditionum statum, qui per diuturna, & infelicia bella, tam domestica, quàm extranea, ad extremam est redactus difficultatem, ut se diutiùs tueri nequeat. Nisi sua Majestas eandem, quam hactenus, illius curam gerat, & media pari liberalitate conferat. M.D.IIC. Aliàs cùm filiae suae prodesse, illique & nepoti charissimo favere cupiant, illos in numerum miserrimorum & pauperrimorum Principum Christianorum conjectura sit. Quod humillimè supplicant, ne Majestas sua patiatur, ut illi unà cum ordinibus perdantur. Vti procul dubio eveniret, nisi sua Majestas liberalem suam manum ipsis commendet, donec illae regiones in meliorem statum restaurentur. Majestatem suam anteà id solo erga DEVM & Sanctam Reli-

gionem Zelo, etiam terris, regnis, & hominibus, qui ipsi non bene volunt, neque dediti sunt, præstitisse. In hoc negotio eundem esse DEVM, eandem religionem, suam Majestatem eundem Regem, cum eodem Zelo & pietate, hicque agi non de extraneis aut incognitis, sed de bono vel malo, ruina vel conservatione suæ obedientissimæ filiæ, & Nepotis, qui suis meritis in filium suscipitur, atque bonorum fidelium subditorum suorum, quos sua Majestas semper ut liberos suos dilexit. Confidunt idcirco, quòd Majestas sua ipsos non deseret, & Principis filij suæ voluntati eandem inclinationem imprimet. Ob id rursus supplicant, & Majestatem suam ardentissimè obtestantur, tamquam ij, qui perpetuò suæ Majestati, Principisque filio permanere humillimi, & obsequentissimi Servitores, & ipsis eundem honorem, respectum, & reverentiam semper, ut hactenus, exhibere desiderent. Concludunt, reliquum sui desiderij esse, postquam sua Maiestas tam maturè resolvit, & dilatio nimis magni futura sit præjudicij, ut placeat prædictum Matrimonium festinare, & quàm primùm illam ipsis mittere, quam DEVS & Rex ijs destinarunt pro futura Principe & Domina: quo in illa & per illam contueantur bonum & benignum suum Regem, eamque possint honorare, revereri & servire, ut fideles servitores, vasollos, & subditos decet & sub finem hanc sanctam & prudentem Majestatis suæ resolutionem indicabant.

XIII. Conditiones Regiæ, ad effectum præsentis conjugij spectantes datæ Madrito 6. Maij 1598.

I. VT ex vi dispensationis, à Sanctissimo Patre nostro Pontifice eum in finem concessæ, filia nostra cum Alberto Archiduce matrimonio copuletur, ac doris nomine provincias Belgicas & Burgundiæ Comitatum accipiat; quod matrimonio quacunque ex caula impedito, donationem hanc revocamus, cessionemque hanc pro non facta volumus haberi.

II. Hac item lege, ut qui ex hoc matrimonio nascentur liberorum, maiores natu minoribus, masculi fæminis præferantur, eaque prærogativa de manu in manum traditam universarum provinciarum hæreditatem accipiant, omni vel divellendi eas, vel alienandi facultate adempta, cui illud addimus natos ex filio, & filia primogenitis, patruo, avunculo cæterisque in transversa linea potiores habendos.

III. Hac item lege, ut si fortè sterile fuerit hoc matrimonium, aut liberi ex eo nati, mortuo Conjugum alterutro, vivere desierint, cessio hæc sive transportatio vigorem omnem amittat. Quo in casu si filia nostra vidua permanere voluerit: sua ei legitima pars tam ex bonis paternis, quàm dote materna adsignetur. Si Archidux Albertus filiæ nostræ superstes fuerit: dictarum

dictarum provinciarum administrationem ejus nomine, ad quem earum hæreditas devoluta fuerit, quoad vivet, obtineto.

IV. Quod si hæredes alterutrius sexus è linea descendente nulli procreati fuerint, ita ut nemo, ad quem ea jure pertineat hæreditas, sit superstes: universas provincias ad Hispaniarum Regem, qui à nobis descenderit, redire jubemus: cui volumus esse donationem.

V. Nullum ita nec filiæ nostræ, nec quibuscunque ad prædictam hæreditatem vel successionem vocatis vel distrahendi provincias, vel donandi, vel quoquo modo in alium transferendi sine nostro vel Successoris nostri expresso consensu, jus esto.

VI. Quæcunque fæmina Belgicarum provinciarum Domina fuerit: Hispaniarum Regis vel ejus filij, qui tum erit matrimonium sequi teneatur; præcedente tamen, si opus sit, dispensatione. Quod si ea nubere vel nolit, vel non possit, eam in cujusquam matrimonium coire, aut quidquam ex provincijs dotis nomine in virum conferre, nobis vel hærede nostro non assentientibus, vetamus. Quod si secus fiat, quæcunque à nobis donata hoc vel concessa sunt, ad hæredes nostros recident, non aliter, quam si præsens donatio, cessio, vel transportatio nunquam fuisset facta. Anno 1598.

VII. Hac item lege, ut quicunque dictarum provinciarum principatum tenuerint, filijs vel filiabus suis de nostro, aut hæredum nostrorum, Hispaniæ Regum, consilio & assensu Uxores Maritosque dare teneantur.

VIII. Filiæ item nostræ, ejus marito, omnibusque eorum successoribus, ad quos Belgicarum regionum possessio devolvetur, nullum jus esto, subditis permittenti ad Indias tam Orientales, quàm occidentales, quocunque prætextu navigare, multò minus negotiari: quod si fecerint, donatione hac excidisse eos pronuntiamus. Quod si subditorum aliquis, ipsis vel invitis vel nescientibus facere id ausus fuerit, non bonis tantum multator, sed etiam capite plectitor.

IX. Si Albertus Archidux filiæ nostræ, susceptis ex ea liberis supervixerit: omnium bonorum, quæ ad pupillos pertinent, tutelæ nomine penes eum administratio esto. Insuper earum omnium regionum usum fructum, quoad vixerit, sibi habeto: ita tamen ut dignam ipsorum genere educationem alimentationemque eis præstet, utque maximo natu sive filio sive filiæ Ducatum Lucenburgicum cum Chineæ Comitatu, quæque ijs annexa cedet ac tradet, quos, vivo Patre, teneat, eodemque è vivis sublato, universarum provinciarum, utpote legitimus hæres, possessionem capiat. Quod tamen ita intelligi volumus, ut de quo modò diximus, usus fructus ad solum Archiducem Albertum pertineat; neque idem juris ab alijs aut prædicti Archiducis hæredibus prætendi queat. Anno 1598.

X. Hanc etiam legem nostris dicimus, eamque præ cæteris sanctam & inviolatam haberi volumus, ut omnes matrimonij hujus liberi religionem Catholicam ex decreto Romanæ Ecclesiæ colant, atque amplectantur

in

in eaque ad extremum uſque vitæ ſpiritum perſeverent. Quem in finem antequam ullam Reipublicæ partem capeſſant, ſolemni juramento his verbis concepto ſeſe obſtringent. Ego juro ad Sancta DEI Evangelia, quod ſemper uſque ad extremum vitæ meæ ſpiritum Sacroſanctam fidem Catholicam, quam tenet, docet, & prædicat S. Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia, communis Eccleſiarum Mater, & Magiſtra conſtanter profitebor, & fideliter firmiterque credam & veraciter tenebo, ac etiam à meis ſubditis teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curabo. Sic me DEVS adjuvet, & hæc S. Evangelia. Quod ſi quis (quod DEVS clementer avertat) prædictarum regionum hæres à Catholica Romana deficiat Eccleſia, inque hæreſim prolabatur, ac talis (hæreticus ſcilicet) à Sanctiſſimo Domino noſtro Papa fuerit proclamatus: cum omni adminiſtratione, poſſeſſione, proprietate ſæpe dictarum provinciarum dejectum volumus & privatum, proque mortuo haberi, ſubditos etiam obedire ei ulla in re vetamus: quibus tam imperabit ſanguine proximus ex ea ſtirpe, idemque Catholicus Princeps.

Nota.

XI. Quumque id unice in votis habeamus, idque æquitati omninò & naturæ conſentaneum ſit, ut inter hæc regna noſtra, & prædictas provincias, atqui utrinqne à nobis orti ſunt ſucceſſores, pax firma & ſtabilis, & æterna ſit amicita: eorum erit qui futuro tempore & Belgij & Burgundiæ dominatum hæreditario jure acquirent, quæ præcedenti articulo proſcripta ſunt, approbare & confirmare.

XII. His omnibus & ſingulis ſuprà poſitis legibus quibus omnino morem geri ſatiſque fieri volumus: Iſabellæ claræ Eugeniæ, filiæ noſtræ Chariſſimæ, dotis nomine dedimus, ceſſimus, tranſportavimus, donavimus hocque ipſo damus, cedimus, tranſportamus, donamus omnes Belgicas noſtras Regiones, itemq; Burgundiæ & Carolæſij Comitatus cum omnibus Principatibus, Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus, Baronatibus, Dominatibus, Civitatibus, caſtellis: cum omnibus item regalibus, feudis; Eccleſiaſtica & ſæculari jurisdictione, dignitatibus, ornamentis, menijs, bonis, reditibus, vectigalibus, fructibus, confiſcationibus, multis ſervitutibus, uſu fructu, jure patronatus, omnibus denique prærogativis, privilegijs, honoribus, jure, quod in eas provincias omnes & ſingulas habuimus, cedimus; eaque omnia à filia noſtra, uti à nobis poſſeſſa & uſurpata ſunt poſſideri & uſurpari volumus: cui voluntati noſtræ neque ullum præſentis ſcripturæ vitium (ſi quod forte irrepſerit) obſtabit: hactenus tamen ut & ſuperiora omnia capita, & præter ea, quæ à parte noſtraglorioſiſſimæ memoriæ anno milleſimo quingenteſimo undequinquageſimo menſe Novembri ſancita ſunt, exactè ſerventur, quorum uno illud continentur, ut ne qui prædictas Belgiæ provincias, quibuſcunque de cauſis, quocunque modo vel ratione disjungere liceat, aut ſeperare.

XIII. Volumus etiam, idque hac ſcriptura fieri jubemus, ut filia noſtra,

ſtra, & futurus ejus maritus Archidux Albertus omne æs alienum, quo vel à nobis, vel prædeceſſore noſtro Imperatore Carolo, patrimonium noſtrum in Belgicæ provincijs & Burgundia gravatum eſt, exſolvant, itemque ratas omnes, quæ vel à nobis, vel patre noſtro in quaſcunque perſonas factæ ſunt habeat donationes. His igitur conditionibus filiam noſtram Infantem, Belgicarum provinciarum, Burgundiæ, Caroleſij dominam pronuntiamus, declaramus, nuncupamus: ac præter ſingularum dictarum provinciarum titulos, Burgundici etiam Ducatus titulum uſurpandi, jus concedimus: (quem eundem tamen, ut & jus omne, quod in modo dictum nobis competit Ducatum; ſpeciatim verò ſummam aurei velleris de eo in poſterum pro noſtro arbitrio ſtatuendi, poteſtatem nobis etiam & filio noſtro Hiſpaniarum Principi, quoad nobis videbitur retinemus & excipimus) poteſtatem ei inſuper damus, abſolutam & irrevocabilem, plenariæ poſſeſſionis omnium ſuprà dictarum regionum; vel ſuo vel futuri mariti nomine capiundæ, comitiorum habendorum moderandorumque, prout conſultiſſimum ei videbitur; juramenti ſubditis præſtandi, ab ijſque accipiendi; omnium denique faciundorum, quæ ab ijs, qui prædictos principatus ineunt, fieri ſolent & debent.

Interea verò dum hæc fiunt & tantiſper quoad confecta fuerint rerũ ſummam in noſtra volumus eſſe manu. Et quò hæc ad eorum omnium, quorum intereſt, perveniant notitiam: hoc apertum diploma, voluntatis noſtræ teſtimonium filiæ noſtræ prædictæ exhiberi & tradi jubemus: cui eidem magiſtratuum creandorum, legendorum judicum, conſtituendi ærarij, omnia denique ſummi Magiſtratus munia uſurpata ſunt, vel uſurpari potuiſſent, facultas eſto: ita tamen ut quæ ſuprà fieri juſſimus, ea omnia & ſingula damnas ſit facere. Atque hunc in finem omnes Epiſcopos, Abbates, Prælatos aliosque è Sacerdotum ordine: omnes item Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Gubernatores, Chiliarchas, Centuriones: omnes item Collegiorum Præſides, Cancellarios, juri dicundo Præfectos, Comarchos, Silentarios arcium, aut quorumvis oppidorum cuſtodes, equites, clientes, cives, inquilinos Belgicarum provinciarum, Burgundiæ, & Caroleſij, juramento fidelitatis, & obſequij, Sacramentoque quo nobis obſtricti tenebantur exſolvimus: utque Infantem filiam noſtram ejuſque futurum Matrimonium legitimis Dominis agnoſcant, habeant, colant, revereantur, in verba eorum jurent, omnia denique faciant, quæ bonorum ſubditorum eſt facere, mandamus. Atque ut ne quid omninò ſit quod donationis hujus ceſſioni vel tranſportationi obſtare poſſit: ſcientes, volentes, ex regiæ poteſtatis plenitudine, qua in hoc uti viſum nobis eſt, derogamus omnibus legibus, conſtitutionibus, conſuetudinibus, & quæcunque huic noſtro facto repugnare & contra venire videntur. Eſt enim hæc animi ſententia, & liquida voluntas, utque his omnibus quæcunque huic perſcripta ſunt, pondus, fides, & auctoritas addatur manu noſtra ſub-

Anno 1598.

scripsimus, signumque nostrum imprimi, & in acta referri jussimus, &c. Actum Madritj Castulonum 6. Maij M. D. XCIIX.

Quibus in hanc formam conceptis, ut eò validior esset ejusmodi donatio, Philippus Princeps, filius unicus & hæres, infantis frater requisitum à se super ea consensum suis literis quæ deinde sub anno 1598. emanarunt expediri mandaverat. Hisce literis, & superiori contractui annexa erat donationis hujus ab Isabella infante, debita forma concepta, & conscripta. Cumque procuratorium etiam Isabellæ præfatæ ad capessendam ad Archiduce provinciarum possessionem diploma necessarium foret, illud etiam sponso suo transmissum, & Datum Madritij prid. Calendas Junij 1598. Exemplaria prædictorum apud M. S. citatum. Quia vero anno eodem die 2. Maij. Pacis generalis conclusio inter Philippum Hispaniarum Regem senio confectum, & Regem Gallorum Vervino conclusa fuit, ac Belgio 7. Junij publicata, hinc nulli dubiũ esse potest, hac etiam de re auspicatam felicitatem sponsalibus Alberti Archiducis cum Infante Hispaniarum Elisabetha Xp̄num orbem tunc temporis pronunciasse. Anno quoque eodem delegavit Albertus ad Summum Pontificem Archiepiscopum Vesontinum, qui nomine ipsius Cardinalitiæ dignitati renunciet, hoc ille cum suis negocium pro ut occasio ferebat fæliciter & expeditè peregit. Itaque 13. Julj ejusdem anni habitum Ecclesiasticum Halæ ad D. Virginis deposuit. Fortè Albertus, non autem Andreas Cardinalis, patruelisque, de quo superius actum est, creationi Sixi V. interfuit. Præstito deinde ab ordinibus Belgij juramento Alberto Archiduci 14. Septemb. Isabellam conjugem ducturus in Hispaniam profectus est. In itinere, ut diximus, Pontifex ipse voluit Ferrariç reciproca sponsalia celebrare, ut eorũ sollennitas, ut parerat, habens totius orbis Reginam tanquam spectatricem Italiam, ac summum Vniversi Sacerdotem pro Ecclesiæ ministro, ceu toti Mundo digna, quasi toti Mundo pateret. Et ecce alia causa summæ pro isthoc conjugio felicitatis. Reliquæ pro complemento illius itineris quæ anno 1599. evenere aut Mediolano ubi Mense Januario ingressus est, cum Regina Margarita, aut alibi, præsupponendæ.

Vide de hac Pace Cæsarem Camp. par. 4. lib. 11.
M. S. ibidem.
Delegatus Alberti Card. ad Pontif.
Kil. ibidem.

Post Mediolanum Genua subinde die Febr. 10. eos recepit. Sed non omittendus triumphalis arcus ille, quia advenientibus patens, ac Domui Austriacæ devotus, quà inter urbem & turrim, quæ laterna nuncupatur sese extendit planicies, tanto materiæ & formæ singularis ornamento conspicuus erat, ut & Jacobus Mancini qui hujus inventor, & sculptor hoc unico opere antiquitatem omnem superasse videretur. Per septem dies in ea Civitate commorati, classem illi conscendunt, benevolumque Christianissimi Regis animum diverso passim littore ad mare Gallicum experti, tandem in Hispaniam ad portum Bimaros 27. Martij pervenerunt, præmisso à Rege qui Valentiæ tunc temporis agens, eo loci Reginæ adventum expectabat Marchione Denia cum præcipuis aliquot, qui ipsius nomine tanto agmini

Genua recipit Alber. & Reg. magnificè.

mini

mini occurrant, ac in prænominato portu tandem sistere deprecentur, donec aliquantum à pristino labore refecti, ad reliquum, quod adhuc supererat iter, alacriores omnes forent. Quo loco ubi per dies aliquot ideò commorati nonnihil etiam & in urbe Morviedo, antiquitatibus multis celeberrima, remorantur, ac donec sacrum Paschatis diem, qui proximè instabat, divino cultui ac pijs operibus Regina tribuisset, Archiduxque, qui interim ad Regem, Isabellam matremque salutandas properarat, ab eo itinere redux, cum præfata Regina totoque agmine Valentiam, ubi Rex ac statutus nuptiarum locus adventaret.

Morvideo Hispaniæ urbis antiquitatibus celebris.

Res esset valdè prolixa hic omnia commemorare, nec ad narrationem eorũ, quæ in tanta Regis tanti nuptiarum convocatione acta sunt, multa sufficeret oratio. Ideoque hac in parte satis si obiter dixerimus, tantum splendorem id secum tempus habuisse, quantus ipse cum reliquis desponsatis Rex, in quo non singularis Majestatis illius gloria, non principum multorum decus, non ornamentum procerum, non reliqua adhæc concurrentia omnia defuere. Incidit adventus ille ad 18. Aprilis ac postero die bini cum binis conjugibus sponsi quæ hactenus in Italia à Summo Pontifice Ferrariæ celebrata fuerant, Episcopo Civitatis Cardinali Seviliæ, ac nuncio Apostolico præ sentibus annuunt, ac rata habent, posteaquam ad hæc sacri mysterij ritus, & divinorum officiorum celebratio à præfatis præsulibus accessisset. Atque ubi per integros octo dies varia pompæ spectacula, quantusque cogitari potest apparatus prædictus Archidux unà cum Admiralio Castiliæ, ac Principe Doria aurei velleris Ordinis equites à Rege creantur, moxque Isabella Infans unà cum Alberto sponso discessum parantes, Regem ipsum Reginamque usque ad Barcelonam itineris comites habent. In qua Civitate etiam splendidissimè, ac repetita sponsaliorum festivitate recepti, die 7. Junij versus Italiam denuò classem conscendunt. Fuit ijs ea navigatio priore nonnihil magis propitia, quos ab Hesperio mari ad Gallicum primo ac subinde Liguricum tandem Neptunnus incolumes ad Genuam traducit.

Nuptiæ Regis, & Archiducis 19. Aprilis celebratæ Valentiæ.

Reditus Alberti Archiducis ab Hispania cum sponsa sua.

Mirandus Italiæ universæ in hos Principes affectus, cui ne dum per varias Civitates Austriacis advenientibus tanta præstitisse suffecerat, si non & majora quoque redeuntibus pronior exhiberet. Nulla humanitatis ac observantiæ ullius, nulla cujusquam apparatus prætermissa ratio est, quæ ab affectis supra modum Genuensibus Isabellæ Infanti exhibita non fuerit, ac ferè Mediolanenses ipsi, quanquam divitijs, & potentia inferiores à luxuriantibus Hispanis, dum ad eos Isabella perveniret, superari se hac in parte non sinunt. A qua Civitate cum per Pedemontanos Allobroges & subinde Comitatum Burgundiæ rectius, ac brevius ad Belgium pereret iter ob infectas tamen tunc temporis peste provincias illas eo relicto, salubrius iter per Germaniam dirigunt Principes, delegato prius Mediolani ad Summum Pontificem Comite Barlemontio, relictaque Papiæ Archiducissa Reginæ

Coniuges in Italiam veniunt.

Archiduchissa Maria D. Virg. Lauret. ædes invisit.

parente, quæ cum summo hactenus invisendæ sacræ Lauretanæ ædis desiderio detenta fuisset, ea itineris occasione Eridanum seu Padum fluvium in eam se confert, ubi cum pia vota peregisset non absque magna animi quiete multorumque Principum & Civitatum singulari apparatu ad Græciam Carinthiæ tandem revertitur. Quo ferè tempore Archidux ab Helvetia per Lotharingiam,& Luxemburgicum Ducatum in Brabantiam redux,ubi cum nil magis, ac prius ipsi curæ, quam Divæ Mariæ cultus, quæ salvos & incolumes in tanto itinere conservasset, subito ac Hallam ipse pervenit,quæ insigni, ac devoto Deiparæ Virgini, templo celebris, nec amplius quam tribus à Bruxella miliaribus distans, divinæ à singulis ante omnia celebratæ fuere laudes,summasque pró tantis Deo beneficijs gratias agens Albertus, mox ab Andrea Cardinali circa principium Septembr. eo loci fit obvius, qui narratio rerum omnium successu, ac deposita provincia, haud diu cum Archiduce commoratus est, qui magnas ipsi pro sincera tanti muneris administratione gratias agens, ad sua vicissim remeare cupientem, benevola mente dimisit. Bruxella aliquandiu commoratus cum conjuge Isabella octavo Calend. Decemb. Lovanium, antiquissima Brabantiæ Metropoli magna civium gratulatione ingrediuntur,& sequenti die,qui D. Catharinæ festus erat,ordinibus sollenne præstant,& ab ijsdem accipiunt juramentum. Quæ omnia quibus ceremonijs sint peracta, reliquaque Archiducis gesta alibi conscribenda.

Andreas Card. ab Archiduce dimissus.

De obitu Alberti Archiducis Belgij Domini, ac de Isabella ejus conjuge.

TEmpus, quod per mortem felix conjugium inter Albertum, & Isabellam,nulla relicta prole,dissolvit, satis certè diversum ab eo,quo copulati sunt sponsi.Illud clausis Jani postibus,quia *toto ferè orbe in pace composito* Austriacos patrueles matrimoniali jugo astrinxerat; hoc verò iterum illis reseratis impia falce aureum ligamen succidens,ab eo immani fato disjunxit. Propterea quod,Spondano teste, expirante mense Aprilis induciarum termino, invitatisque frustra ab Archiducibus Alberto, & Isabella provinciarum unitarum statibus ad agnitionem legitimi illorum dominij,rursum ventum est ad arma,&colligi cæperunt utrinque exercitus. Die vero 13. Julij ex hac vita discessit Albertus anno ætatis 62. magno sui desiderio Belgis relicto, tum ob ejus pietatem, & mansuetudinem, tum vero maximè quod post ejus obitum, cum nullos reliquerit liberos, Belgium iterum,ex legibus transactionis cessionis, rediturum esset sub imperium Regis Hispaniæ: remanente tamen interim ejus Rectrice Isabella ipsius conjuge (quæ statim à viri excessu posita coma, sacrum velum, & tunicam cineream religiosum asseclarum S. Claræ Virginum habitum

Spond. ad ann. 1621. de obitu Alberti.

Isabella fit Franciscana.

tum sumpsit) & Ambrosio Spinola supremo Duce armorum, qui mense Septembri urbem Juliacum obsidens, sequentis Februarij initio deditione recipit; nequicquam Aurangio Principe ei succurrere conato. Hæc Spondanus in eo loco. Ad annum verò 1633. referens obitum Isabellæ, hæc subdit. In Belgio tractatum est diu serioque de inducijs inter Hispanos, & Batavos, sed nullo effectu, actumque utrinque armis, sed modico profectu. Ingens verò fuit luctus ob mortem *Isabellæ Claræ Eugeniæ* Archiducis, quæ cum supplicationibus Adventus interfuisset, in febrim incidens, decessit mense Decembri ætatis anno 68. Princeps prudentissima, pijssima, generosissima. Post cujus obitum constituti ibi Gubernatores nomine Philippi Regis usque ad adventum Ferdinandi Cardinalis Infantis fratris ejus, constituti Gubernatoris, qui mense Maij illius anni Mediolanum appulsus, sequentis Octobri pervenit in Belgium; cum interim fratres Sabaudi, Isabellæ ex sorore nepotes, variis rationibus contenderent, successionem ejus sibi deberi: de quo scriptum fuit in eorum favorem, &c.

Idem Spond. ad ann. 1633. de Obitu Isabellæ.

De Isabella fusius Gent. peoul.

Hæc profectò enarrati conjugij, successione carentis, infelix dissolutio talis haudquaquam sponsis, virtute, Religione, cultu, Pietate, & ætate pares, sed Belgio, sed Italiæ; parum dixi, sed toti orbi Christiano, qui, eis deperditis, statim Imperij, & Ecclesiæ Catholicæ libertatis hostis incepit cantionem illam, qua magis ac magis indies jactanti ore sacra prophanis immiscens repetit. *Ipsi* (Albertus scilicet & Isabella) *obligati sunt* matrimonij ligamine, *& ceciderunt*, in morte *nos autem surreximus, & erecti sumus*; & tanto robore, potentia, & incremento, ut genus nostrum, Belgio miserrime scisso, subjugata majori ex parte Theutonia, depauperata Hispania, redacta ad miserrimum statum Italia, Anglia, Scotia, Ibernia insolita fortuna depressis, ac tandem nobis parentibus, Polonia excidijs repleta, tam Papisticis magnatibus, quam alijs, nobis non tanto pro Ecclesia Romana ardore, quanto pro status ratione politicè adversantibus, nonnisi formidinem, & pavorem intulerit.

Nota.

Aliud Sacramentum, & quidem haud levi animadversione dignum, tempus obitus Alberti perpendens, adinvenio. Anno, in quo mortalitatis jura terræ soluit Albertus, ille idem fuit interitus Philippi III. Regis Hispaniarum. Quare possumus aliquo pacto id de ipsis pronunciare, quod Ecclesia Catholica de DD. Petro, & Paulo, Apostolorum primatibus repetito carmine multoties singulis annis commemorat. *Gloriosi Principes terræ quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati*: Idem tempus nuptiarum, & mortis hosce Principes Austriacos gloriosos effecit, cum ratione ingentis pietatis, qua ambo refulserant, non secus ac si ad epulas invitati fuissent, & ad nuptias Agni læta anima obiere. Illa inter utrumque cum carne charitatis conjunctio, carne soluta, æterno ligamine (uti piè credendum) apud superos uno eodemque anni circulo firmata est. Illud bonum conjugale in ambobus, vita, præsentia & maxima dilectione

Eccl. in antiph. de SS. Petro, & Paulo.

junctis etiam decernendum, de quo Augustinus. *Justus quamvis cupiat dissolvi, & esse cum Christo, tamen sumit alimentum, non cupiditate vivendi, sed officio consulendi, ut maneat quod necessarium est propter alios. Sic misceri feminis jure nuptiarum, officiosum fuit sanctis viris, non libidinosum. Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis.* Eandem prorsus salutem peperisset Belgio Albertus, si prolem reliquisset, quam peperit Philippus, successionem derelinquens. Quia tamen uti in hoc, ita & in illo eadem cupido simul erga nuptias, eadem intentio, facti jam *cor unum, & anima una*, voluit Deus quos uno tempore conjunxit Vxoribus, eodem quoque & ab eis dissolvere, ut essent cum Christo, quemadmodum eorum pijssimæ animæ concupierant, ut possit deinde commemoratum elogium & ipsis adaptari, *Gloriosi Principes terræ, &c.*


SECTIO II.

De Matrimonijs Ferdinandi II. & Matthiæ I. Imperatorum.

MATRIMONIVM XII.

Imperator Cæsar Ferdinandus II. Pius, Felix, semper Augustus, Rex Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Silesiæ, Princeps Sueviæ, Marc. Mor. Lus. Burgov. Landgravius Alsat. Comes Habsburgi, Tyrolis, &c. Ac aviti Stemmatis propagator. Vxor Maria Bavarica 1600. sub Pontificatus Clementis VIII. anno 8. Imperij verè Rudolphi patruelis 24.

Quanta in præsenti Conjugio felicitas, quantaque per eum bonitas, ex modo dicendis patebit.



NAtus est Ferdinandus Archiducis Caroli filius Grætij in Stiria anno 1578. mensis Julij die 9. mane circiter horam tertiam. Compatres fuerunt Rex, & Regina Hispaniarum. Ita Manlius, Kilianus, Gans, Pall. & M. S. Cum esset

M. S. loco cit.

esset annorũ 22. matrimonio primo (de quo tantum in præsentibus loquendum) sibi adscivit *Mariam Annam* Guilmi VI (Gans Quinti) utriusque Bavariæ Ducis, & Renatæ Lotharingiæ filiam. Natus illi filius anno 1505. Joannes Carolus. Nuptiæ celebratæ Græcij 23. Aprilis Dominica *Jubilate* anno 1600. Ita M. S. cui idem Gans, & Pallavic. adstipulantur, alios moderniores nondum vidi. Tangit tamen nuptias ipsemet Pallavicinus, cujus verba, interim prima proditur tantæ felicitatis Aurora, instarque volucribus rotis è cœlo Ferdinandæum hoc, quod vivimus sæculum, cum consequentibus annis ad omnem felicitatem initiatum ab auspicatissimis nuptijs ipsius Ferdinandi cum Maria Anna, Wilhelmi Religiosi Boiariæ Ducis filia, & Maximiliani Septemviri multarum palmarum triumphalis Herois, sorore, Heroina Sanctissima, & omnium virtutum nominibus, titulisque decorata, &c. Vnanimi Procerum, & Ordinum Regni Bohemiæ consensu electus est anno 1617. 29. Julij: similiter in Regem Hungariæ anno 1618. 1. Julij. Anno 1619. 9 Septembr. in Romanorum Imperatorem, consentientibus, & approbantibus etiam Friderici Palatini legatis, Francofurti ad Moenum sollemniter electus est, &c. Possunt hæc sufficere in præsentibus, alibi enim copia loquendi de egregijs Ferdinandi II. sanctissimi Cæsaris facinoribus, à probatis nostri sæculi scriptoribus exaratis.

Loco. cit. in Ferd fol. 149.

Kil. in Ferd. II.

Cum vero obitus primæ Conjugis, quæ in numero generis Austriaci propagandi per Germaniam, & Hispaniam nona est, præcesserit, obdormivit enim in Domino, eodem Kiliano teste, anno 1116. consequenter tantæ ac tam memorabilis Vxoris interitui Leonora Gonzaga succedens Conjux trium coronarum gloriam adepta est. Magnus, & Pius Ferdinandus alium priori, alium deinde posteriori conjugi in maritium se exhibuit. Vni tanquam Austriæ Archiducem, alteræ verò triplici diademate redimitum. Vni, ut eodem titulo Archiducis, ipsa sibi carne juncta, & dignitate, illustraretur; alteræ, ut esset bis Regina, ac mox Romanorum Imperatrix. Verum Superi, qui *dant omnibus affluenter*, nec tamen omnia caducarum rerum bona magnatibus hujus Mundi concedunt, & quæ ipsi concedunt, malis mixta practicantur, prolis successionem, primæ conjugi cælitus elargitam, (haud rarò enim in Principibus fæcunditas, quæ est naturæ beneficium, est gratiæ donum) subtracta abs 1. coronarum felicitate, secundæ negaverunt. Duo perpendit, ad maximam ejus fortunam spectantia, in Maria Anna Ferdinandi sponsa Pallavicinus. Alterum pertinet ad ejus posteritatem, alterum verò ad iter, quod eodem nuptiarum anno Dei Matrem Lauretanam cum sponso suo visitavit. Vtrumque his verbis explicat. Ex invictissimo Septentrionis Regnatore Ferdinando III. Pio, Felici, Augusto, ejusque Augustissimis liberis, & Imperatrice, ac regnatrice sobole agnoscere possumus, quantum ultra divina piacularia animarum bona, anno illo seculari, felicitatis Coelum terris indulserit, veluti cælestium indulgentiarum auctuarium. Eodem anno, ut sæculum, quod nascebatur ex sua Pietate didicaret,

Obitus 1. conjugis Mariæ Annæ.

Peregrinatio Lauretana.

dedicaret, cuderetque, si non aureum, saltem Pium, rarò summæ Pietatis non exemplo tantum, sed prodigij in oculis totius Italiæ, Provinciarum omnium Reginæ, quæ tanta vestigia merori semper cultu relegit, & venerabitur, aureo sceptro in humilem Scipionem viatorium decrescente, penulâ perperam, omnesque illius splendores extinquente, Pedes cùm Regia Conjuge Maria Anna potestatis, Pietatisque consorte ad *Deiparam Lauretanam* peregrinationem inijt, ut quæ erat omnium victrix laureata Pietas triumpharet in laurea, nonnisi ex Mariano illo cælesti laureto decerpta. Habuit Italia hisce sæculis quos veneraretur Heraclios, & Helenas communi cum Deo amore crucis Amasios. Exponet in posterum *Lauretana miraculorum Officina* inter pretiosiora votive anathemata Ferdinandum, & Mariam Annam aureos Archiduces, ad Christianæ demissionis miraculum Pios. Docuere quam Cynosuram Magistram itinerum aspicerent Austrij Heroes. Addita sunt, ut omnes haberet numeros, peregrinæ Pietatis nobilis expeditio, crebrum pro viatico jejunium, & qualia futurum deindè Imperatorem decebant in populos Pauperum eleemosinarum congiaria. Nec inde mirum tumultuantes postea, quas regebat Provincias innocenti, uti decebat esse Pietatis, victoria, sola sanctitatis famâ in sui reverentiam Ferdinandum composuisse, veluti admiratione tam Pij Principis sideratos, ictosque de cælo & minimè reluctantes ad avitæ religionis normam revocasse, &c.

Gans. fol. 10. de liberis Ferd. II.

Sex proles Pijssima Archidux Maria Anna peperit conjugi suo Ferdinando, quarum ordinem habeo ex Gans, estque hujusmodi. Anno 1604. *Christiana* 25. Maij genita, sed non diu supervixit. Successit primo Nov. 1605. *Joannes Carolus*, secundo ejusdem Mensis à Martino Episcopo Seccoviensi baptizatus, & ibidem 1617. (error typogr. vult fortè dicere 1605.) 36. Decembr. inter primam, & secundam pomeridianam, uti natus, defunctus est. Tertio genitus *Ferdinandus Ernestus* Imperator (*hoc anno defunctus*) 13. Julij currente circa primam. Anno deinde 1610. 13. Januarij *Maria Anna* lucem aspexit intra 2. & 3. p. m. & 1635. 15. Julij Viennæ Maximiliano Bavariæ Electori avunculo suo matrimonio conjuncta. 1611. *Cæcilia Renata* 16. Julij media tertia post meridiem nata, & verè 17. ejusdem in manibus Illustrissimi & Reverendissimi Nuncij de Ponte renata. Vltimus Ferdinandi Cæsaris filius *Leopoldus Wilhelmus* (hic fortè quam primum Dei providentia id ordinante pro communi bono, & tranquillitate Imperij, & Ecclesiæ Romanæ fratri succedet in Cæsarem) Neostadij 6. Januraij intra 11. & 12. noctu 1614. natus in Episcopatib⁹ Leopoldo Patruo successit. Nomen eadem die ei à patrinis Matthia I. Imperatore, & conjuge ejus Anna, per eorum vices gerentem Paulum Sixtum Com. Trautsonium impositum eadem hora, qua olim S. Leopoldus Austriæ Marchio fuit Canonizatus. Hæc ille. Kilianus relictâ priori prole, reliquas quinque commemorat. De Ferdinando Ernesto, ipsum natum 1608. die Margaritæ, prodit. Bucelinus enumerat liberos 7. nempe *Christianam* natam 1601. 12. Iunij, defunctam

Auctor fortè vera prædicit.

Ctam Græcij infantulam. *Carolum* 1604. 25. Maij ſtatim poſt Baptiſma extinctum: *Joannem Carolum* 1605. 1. Novembr. cujus obitus 1619. ætatis 14. 26. Decembr. *Ferdinandum Erneſtum* 1608. 13. Iulij. *Mariam Annam* 1610. 13. Ianuarij. *Cæciliam Renatam* 1611. 16. Iulij. Leopoldum Wilhelmum Argent. Paſſau. Halberſtat. & Olomuc. Epiſc. Generalem Hiſpan. Exercitus. Genealogiam primæ Conjugis Ferdinandi II. Imp. Mariæ Annæ ſuperius in Carolo Archiduce ejus parente conſcripſimus. Secundum ejuſdem Cæſaris Matrimoniorum poſt illud Matthiæ Imp. quod modò apponimus, immediatè enarrandum.

MATRIMONIVM XIII.

Matthias Archidux Auſtriæ, Comes Habsburgi. Imperialis exercitus per Hungariam Generalis. Deinde Hungariæ, & Bohemiæ Rex. Romanorum Imperator I. Pius, Felix, Auguſtus. Vxor Anna VII. Auſtriaca patruelis, ac Tyrolenſis, ducta 1611. Pontificatus Pauli V. anno 6. Imperij verò Rudolphi fratris anno penultimo.

Niſi Conjugium hoc careret fæcunditate, ac ſucceſſione, equidem omni ex parte auſpicatiſſimum fuiſſet.

Titulos, quos Ferdinando II. Cæſari in præcedenti Matrimonio tribuimus, depromſimus ex Pallavicino. Hoſce vero Cæſari Matthiæ exhibitos ex M. S. citato, cujus authores plures ſunt. Verum ubi idem in principio de vita, & geſtis Matthiæ lib. 27. cap. 2. præjactos adnotavit, infra deinde creato Imperatore omnes alios, ei debitos, enumeravit, quomodo & nos ſuo loco etiam enumerabimus.

Pauca iſta in occaſione afferenda de Cæſare Matthia; cætera, quæ multa ſunt, in ſuo proprio Gentil. explicanda. Igitur Matthias natus eſt Viennæ anno 1557. 24. Febr. (Gans dies una minus ideſt 23. Febr. h. 10. m. 45. p. m.) die Mercurij pridie ſcilicet Matthiæ Apoſtoli intempeſta nocte uno nempè horæ quadrante poſt undecimam in Capricorni ſigno. Ita Manlius in Matthia fol. 114. Confirmant M. S. ubi ſupra, & Kilianus, inquiens, natus 24. Febr. Vigilia S. Matthiæ Apoſtoli, eodem quo quondam

Manl. Gans. Kil. in Matth. M. S. & alij.

In Vigilia *S.* Matthiæ naſcitur.

dam

templumque ingressi sunt, ubi post decantatum eundem Ambrosij hymnum, Cardinalis quidem pileo rubro, & ocreis albis indutus, ad altare processit, benedictionem novis nuptijs impertivit, & indulgentiam ad triginta annos Pontificis nomine concessit. Quin & 4. Decembr. (alijs 4. Octob. sed falso) horam circiter quintam vespertinam in Augustinianorum templo, eos, præmissa de Regis Reginæque laudibus, & dispensatione Pontificis oratione, copulavit, quo facto, munera novis nuptijs à Regum procerumque & Civitatum legatis pretij oblata, diesque aliquot sequentes festivitati nuptiarum, ludisque varijs dati sunt, &c.

Cardinalis Ditrichstemius benedictionem sponsis Summi Pont nomine impertit.


Erat, ut diximus, Anna filia Ferdinandi II. Tyrolis, & Mariæ Catharinæ Gonzagæ, sanctitatis fama cum altera ex filiabus extinctæ. Erat & Cæsar Matthias ejusdem Ferdinandi ex fratre Maximiliano II. Imperatore nepos. Ætate jam ingravescente, nempè ann. 54 Vxorem duxit annos 26. natam, quæ anno altero nuptiarum 26. Junij imperialem coronam Francoforti accepit. Ipsa tantis parentibus haudquam degener, tanti Regi, ac Cæsari digna sponsa reperta est. Fœmina mirum in modum pientissima, gravitate, ac integritate præcellens, ac singulari pollens in rebus agendis dexteritate. Ejus virtutes eximias ubi de illustribus Austrijs generis mulieribus enucleandæ. Obijt ante virum suum anno eodem 1619. quo Cæsar maritus 20. Martij Viennæ placidè in Domino obdormivit. Ejus ex hac vita discessio non prolium, quam non habuit, sed sceptrorum, & coronarum fœcunda. Coronata siquidem fuit in Reginam Romanorum Francofurti 26. Junij 1612. in Hungaricam, &c. in Bohemicam 1616. 10. Februarij.

Obitus Annæ Imp. & viri sui Matth.

MATRIMONIVM XIV.

Ferdinandi I. Cæsaris commemorati quem hostes ipsi Sanctum prædicabant, cum altera sponsa Eleonora Gonzaga, pulchritudine, & pietate insignis Femina, ducta 1622. Pontificatus Gregorij XV. anno 2. Imperij verò conjugis sui 3.

Istud quoque connubium etsi ingenti felicitate peractum, abijt tamen infæcundum.



IN hac urbe Oenipontana, ubi Cæsar tanto comitatu, undique splendido, & illustri, quantus Imperatoriæ Majestati dignus erat, sponsæ suæ, cujus admirandæ formæ nomen

Loschi in Arbore Gonz. sub anno 1625. Imperatricem Leonoram ostendit.

nomen multum Orbem adimpleverat, hilaris, & celeris occurrit, plurima pompa, opparatu, & lætitia præsens matrimonium debitam celebritatem 8 idus Februari adeptum est. Ferunt qui adhuc vivunt testes fide digni, se vidisse, audisseque Imperatorem Ferdinandum, cujus antecedens conjux magna animæ pulchritudine refulserat, parva autem illa corporis, vix conspecta Leonora, super insigni ejus formositate maximè obstupescere, dicereque aulicis suis, *Quid vobis videtur de sponsa mea speciositate? nonne & ipsa animatum in terris Paradisum? nonne Angelum terrenum exprimit?* Tamen illa adeo ingenua ac suavi in Eleonora compositio caduca, & superficialis tantæ Heroinæ diadematibus Hungariæ ac Bohemiæ, nec non & Romanorum Monarchiæ coronandæ conformis, minimè extitisset, ut spectantium pectora laudabili vi ad se raperet, nisi elegantia morum, unde quidam præcipuus begnitatis, ac affabilitatis fulgor erumpebat, Fæminarum Gonzagarum ita propria, hac penè hæreditaria, venustaretur. Deliciæ Cæsaris Ferdinandi tam corporeæ quam spirituales in hocce Paradiso quamplurimæ & omnes peregrinæ. In eo integra Christianarum virtutum rosaria: lilia singularis castimoniæ, quæ sibimet flores erant, & fructus, redolentia ferè ad miraculum, mandragoræ timoris Dei, per quem ajebat ille *fallax gratia, & vana est pulchritudo, Mulier timens Dominum ipsa laudabitur*, unde perfectus conscientiæ sopor, egregiæ & efflorescentes amaranthi Religionis, & Pietatis, è cujus floribus nonnisi serta immortalis beatitatis texuntur, mirum in modum enutriti; & alia per multa ad hunc speciossimum, ac peculiarem binumque Paradisum comptè ac completè constituendum adeo apta; ut Dominum suum, sponsam suam sic vocantem super congrua, ac iusta appellatione minimè fefellerint, quemadmodum deinde acta exitus probavere. Societas Eleonoræ viro suo equidē Angelica, ut proinde Angelū dici per os Cæsaris meruerit. Ejus corpoream infæcunditatem incorporea laudabilium morum fecunditas non solum supplevit, verum etiam & gratiorem semetipsam reddidit, ac si pluries peperisset, & stemma maritale multis sobolibus propagasset.

Prover. 31.

Anno 15. duravit præsentis matrimonij conjugale ligamen, quod uti sanctissimè congeminatum fuit, ita etiam & sanctissimè per mortem viri dissolutum. Anno Christi, ait Spondanus, loquens de obitu mariti, 1637. Indictione quinta mense Januarij *Ferdinandus II.* Imperator anno ætatis 61, Imperij sui 19. currente, Princeps probissimæ vitæ mortuus est Viennæ Austriæ paucis diebus post reditum à Conventu Ratisponensi, in quo filium suum *Ferdinandum III.* Regem Romanorum successorem Imperij eligendum curaverat, qui si mors patris præcessisset, vix in tantis Germaniæ turbis ad eam dignitatem evehi potuisse putatur; licet alioqui ea dignus. A quò ad finem Maij conventu Electorum Pragæ celebrato, ductus est etiam eò Archiepiscopus Treverensis, ratamq; habuit electionem ejus, atque insuper consensit, ut Archidux Guillelmus frater Ferdinandi coadiutor ipsius

Spondanus ad anno 1537.

fieret

fieret in Archiepiscopatu Treverensi, qui si suæ potestatis extitisset, nihil creditur horum facturus fuisset. &c. Illa politica Spondani obdubitatio, & excogitatio, *Qui si mors patris, &c.* Ipsi fortè & alijs, Austriacis parum inclinatis, tunc temporis probabatur: res enim Imperij sic etiam se habuerunt ante obitum parentis, quemadmodum & deinceps mense Maio ejusdem anni 1637. quando successor filius in Romanorum Regem electus fuit. Insuper quod tradit Spondanus ad finem præfati periodi, derogat (nisi fallor) sincerissimæ dilectioni prudentiorum S. R. I. Electorum, tot lustris probatæ: ortæque à longo experimento, quo omnem violentiam, quæ specimen alicujus tyrannidis sapit, ab Austriacis, licet hi potentia, & ditione summi, in rebus similibus & alijs quoque alienam esse probavere, ceu & in dies probant. Sed de hoc alibi ex professo. Nota.

Status viduitatis superstitæ conjugis Eleonoræ duravit annos 18. In illo *emerita eius castitatis stipendia* incrementa insignia acquisiverunt: *etsi conjugij arma deposuerit, domus tamen totius pacem gubernavit, etsi vehendis oneribus* (aut copulata viro suo, aut à lege viri soluta) *otiosa, maritandis tamen junioribus provida, ubi cultus utilior, ubi fructus uberior sit, quarum copulam aptiorem senili gravitate disposuit.* Et ut uno verbo innumera de tanta Regina, & Imperatrice claudam præconia, Pijssimæ Eleonoræ, quæ anno 1655. obdormivit in Domino, *tota viduitas non supplicium fuit, sed præmium.* De ejus stirpe agendum in 3. Ferdinandi III. Imperatoris matrimonio. D. Ambros. de viduis propè finem.

SECTIO III.

De Matrimonijs Leopoldi V. Austriæ Archid. Ferdinandi III. Imperatoris, & Arch. Austr. Ferdinandi Caroli Tyrolensis.

MATRIMONIVM XV.

Leopoldus V. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Comes Tyrolis, Landgravius Alsatiæ, &c. cognomento Amabilis, & Imperterritus, ac stemmatis Austriaci Tyrolensis primus omnium propagator. Vxor Claudia Medicæa, Vidua Principis Vrbinatis Friderici, ac Mulier forma, & prærogativis ingenua, ducta 1626. Sub Pontificatus Vrbani VIII. annum 3. Imperatoris verò Ferdinandi II. fratris 7.

Bonum hujus Connubij prognosticum unde, ex mox dicendis liquebit.

COgnomenta quæ Archiduci Leopoldo Caroli filio ipse attribui, ex alijs mutuavi. Primum ex ore multorum, qui adhuc vivunt, & tantum Principem cognoverunt, cum eo gravia negotia tractaverunt, ipsi perplures annos servierunt imo ex communi fama, quæ in dies etiam recens est, & ad succedanea Sæcula volatu immortali perennabitur. Alterum cognomentum desumpsi ex Kiliano, apud quem de eo, nondum sponso, hæc scripsit ejus dilucidator. Leopoldus V. Austriacus Episcopus Argentinensis, & Pataviensis, Joanne Wilhelmo mortuo anno 1609. legationem in provincias Juliacenses, nomine Rudolphi Cæsaris *patruelis* sui & Imperij *Imperterrito* animo suscepit, &c. Sed de ejus rebus gestis suo loco. Natus igitur Leopoldus filius Caroli Archiducis, patruelis Rudolphi, & Matthiæ, patruus Ferdinandi III. nepos Maximiliani II. & Ferdinandi I. pronepos Caroli V. & Philippi I. abnepos Maximiliani I. adnepos Friderici IV. & sobrinus Alberti II. Omnes hi Imperatores præter Philippum Hispaniarum Monarcha; natus inquam Archidux iste Gretij ann. 1586. die Octobris 9. Educatus in avita Progenitorum Religione, Pietate, ac Christiana prudentia, eisque in nullo degener factus, jam Princeps evasit ob varias animi dotes, item doctrinam, & experientiam celebris, ut habet M. S. lib. nuper citato. Adde & simul Pijssimus Archidux, regnansque hujus Provinciæ, pariter & Alsatiæ Patronus, & Dominus constitutus. Atque supradictorum Episcopatuum præsul, scilicet Pataviensis 1597. & Argentinensis 1598. ab eo assecutorum.

Cum esset annorum 40. ac de prole suscitanda cogitaret, voluit prius arduum hoc negotium, etsi terrenum à cælestibus incipere, conscius de Dei providentia, quæ simul cælestia, ac terrena moderatur. Hinc factum, ut iter ad Virginem Lauretanam arriperet, Romamque ad limina Apostolorum invisenda, pedesque Summi Pontificis osculandos peteret. Sumpta ergo expeditione, cum selectis suæ Aulæ equitibus eò decenti comitatu, nõ quantitate, sed qualitate egregio tendit. Italiam præsentia sua, omni imperio digna, atque mira affabilitate, suavi majestate venustata, recreaturus, atque allecturus, vix in eam ingressus fuit, quod omnibus ferè locis, per quas transitum deliberaverat, magnificè exceptus est atque tractatus. Vota sua Angelorum Dominæ Laureti precesque Christianas magna pietate, humilitate, & exemplo reddit. Præter alia preciosa donaria Sanctæ Domui exhibita, illud argenteum, Oeniponti magna expensa, industria, & arte fabrefactum haud prætereundum. Obsederat de repente, & ex improviso angu-

sto

ſto ac forti milite Monſpheldius in Alſatia Savernam, vovit pius Archidux Virgini Lauretanæ, promiſitque ſi ejus perpotenti auxilio eam ab hoſtium ærumnis liberaret, ipsā ex argento tantę liberatrici, cujus tutelę ipsā ardenter commendarat, ſe ſtatim in ejus pergrande & elaboratum opus proprijs manibus præſentaturum. Sicuti Princeps voverat, ita & gratiam accepit, & ita etiam promiſſioni ſatisfecit. Inſigne donarium non ſine intuentiū admiratione propter ejus granditudinem, & artem, qua ad vivum Savernam exprimit, uſque hodie cernitur. Vbi mox ad Vrbem Romam citius ſe contulit, Summus Pontifex incredibilia paternæ humanitatis, & clementiæ ſigna, ac peculiares demonſtrationes erga tam pium, tamque ſpectabilem Principem oſtendit. Quemadmodum & ſe quoque geſſit ſingularibus benevolentiæ & obſervantiæ expreſſionibus tota Romana Curia illo pauco tempore quo ibidem commoratus eſt. Antequam Epiſcopatibus proprijs Pontificis manibus renunciaret, audita fama Servi Dei Innocentij Siculi minoritæ, ad S. Franciſcum de Ripa commorantis, illò ſtatim pergens, ac religioſum ſenem, quem Dei ſpiritu plenum adinvenit, alloquens, ſe cum ipſo conſulvit, num quæ firmè deſignaverat de conjugio ineundo, ac de Eccleſiaſticarum dignitatum renunciatione, Deo placerent, ſuæque animæ ſaluti expedirent. Reſpondit vir Dei, ſe velle negotium illud cum ſua ſenicula (ſic plerumque vocitabat ſanctam Matris Dei parentem *Annam*, per quam innumeras gratias paſſim obtinebat ſimplex ille, ac Seraphicus homo) pertractaret, ac propterea ante duos dies Serenitati ſuæ, quam lætam eſſe, ac interim eidem D. Annæ ſuam cauſam commendare, præcatus eſt, ſatisfacere non poſſe, reſpondit. Ferunt nonnulli, Principem, ad eum iterum hilari ſpiritu redeuntem, nonniſi flexis genibus optatam reſponſionem audire voluiſſe. Quo facto, ſine ulla mora fratris Inncentij verba ex parte D. Annæ, cujus novus nuncius ac oraculum videbatur, ei prolata, devotus Archidux, ſuis Franciſcanis tenerrimo amore addictus, exequutioni mandavit. Renunciavit primitus ſacris, ac dignitatibus, moxque ac redux per Tuſciā Florentiæ, ubi ſoror ejus, ac nepotes ingenti gratulatione, ſollemnitate, apparatu ei occurrentes ipſum receperunt, ſalutaverunt, retinuerunt, ſponſalia inijt cū Sereniſſima Claudia Medicæa, Vrbini, Duciſſa Ferdinandi I. Magni Ethruriæ Ducis ſororē, ac II. regnatis matertera. Quamobrē eò tam ludi equeſtres, quam ſcenicæ præſentationes, quæ ibi datis occaſionibus ſimilibus ſuperbiſſimè florenti, celebratæ.

In priori toro manſerat cum viro ſuo religioſiſſima, ac formoſiſſima Claudia pluſquam annos duos. Princeps Fridericus ejus Conjux parentis voto natus ad miraculum, ſed majoribus ſuis turpiſſimè degener, prægnantem relinquens Vxorem, peperit hæc, ſpem Soceri Franciſci Mariæ II. deludens, prolem fæminam, Victoriam de Rovere, cujus Domus claritudo, ac magnitudo ex Sixto IV. Liguro Summo Pontifice Franciſcano ſua initia, ac fundamenta recognovit. Redijt Ducatus ad ditionem Eccleſiaſticam,

sticam, parens vidua cum sua unigenita nunc Magna Ethruriæ Ducissa, multa formositate, gratia, & ingenio pollente, Aulæ fratris sui Cosmi Magni Ducis educanda, Florentiam. Ipsa verò Castimoniæ viduali ut in decus ejus magis obstupescerent mortales, monialium septa adjunxit: nec tamen illud pulchritudinis, & pudicitiæ lumen, quod multarum virtutum insignes radios abscondebat, multo tempore occultari potuit, quin communis rumor intra, & extra Italiam eum evulgaret, atque prævenienti vi Archiducis consortis amorem conjugalem, ore quasi prophetico à commemorato

Nota

fratre Innocentio Romæ nomine D. Annæ approbatum, alliceret. Voluit tamen futurus sponsus experiri, utrum tantus rumor, qui plerumque fucatè resonat, corresponderit veritati, habitu peregrino cænobio, in quo sponsa commorabatur, occasione petendi eleemosinam, ac simul illam videndi accessit. Referunt ipsam quatuor scuta aurea ficto pauperi dedisse, fortè conscia de suo sponso, qui tanto alacrior, ac pernicior eam ducere instituit, quanto reapse probatior de pulchritudine, & honestate sponsæ suæ non amplius auditui, sed visui fama se objecit. Nuptiæ pro tam felici conjugio hic Oeniponti splendide peractæ. Interfuere, dum novellos conjges, alterum patruum, alteram materteram usque huc associaverant Principes ejus fratres, Carolus S. R. E. Cardinalis vivens, & Laurentius. Conjuges Sacramentaliter copulavit, ac benedixit Princeps Imperij, atque Archipræsul Salisburgensis, cui nomen Paris Comes de Lodron. Nec celebritas magnificis spectaculis per plures dies caruit, ea anni juventa, quæ Mense Aprilis florum decore omnia renovat, ac pulcherrima reddit, etenim 13. Calend. Maij contigit. Factus Archidux Leopoldus, Tyrolis, & Alsatiæ Dominus, multa cum vigilantia, & cura verè paterna Provincias & status rexit: omnibus carus, amabilis, justus. Aula ejus moderata, sed multa nobilitate, multo ordine recta. Viles personas abhorrebat, doctas, selectas, pias cum quibus ejus conversatio, plurimum diligebat. In ejus vultu aliquanto

Ejus Statura.

pingue quemadmodum & lumina, ac rufo colore multa cum gratia conspersо, nec non & prominentibus, ac valde erubentibus labris, quod naturale est Austriacis, cernere erat propter ejus agendi modum Alexandri Severi presentia, membrorũ mensuræ ad proceritatem honéstè tendentis, correspondens. Qui enim eum optimi preceptores morum honéstate, & diversarum artium cognitione instruxerant, tam summis quam infimis, eum, neque severitate, neque affabilitate excedentem percharum, ac prædicto Im-

Ex Theodoro Petreio in Alex. Severo.

peratori valdè similem reddiderunt. Huic Cæsari à militibus *Severi* nomen, eo quod illorum petulantiam, atque insolentiam refrenaret, inditum est. Sed digna, sed perenniter in eo Cæsare laudanda severitas, quæ neque illarum, quæ Judicis sunt, neque earum, quæ sunt Patris oblita, ingenti bono utroque modo Romanæ Reipublicæ profuit. Ipsa nanque, Justitiæ ferro armata, infames ab antecessore Heliogabalo in officijs collocatos, ministerio aulico, atque munere privavit, palatium, expulsis obscenis & impudicis,

pudicis,

pudicis, expurgavit. Item ipsamet quoque politica, paterna, ac pia solicitudine annonæ curam magnam gessit, in tractandis negocijs doctos dumtaxat, ac prudentes adhibuit, Christianos studiosè fovit. Ad aurum colligendum attenta fuit, ad servandum cauta, ad inveniendum diligens, citra ullius detrimentum. Bonarum literarum professoribus annua salaria constituit; pauperum filias liberaliter aluit, in ambitiosos graviter animadvertit, ac opera pulchra multa instituit. Et ut uno verbo mecum Petreio expediam, æqui, justique amantissimus fuit Alexander Severus, nunquam non Christianam hanc sententiam in ore habens, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c.*

Igitur Archidux noster Leopoldus, cujus optimi Principis nomen recenti memoria hinc inde adhuc circumfertur, pro sui regiminis Duce Alexandrũ Severum elegit. Non est hæc assentatio, sed simplex veritas. Gesta illius præclarissima omnibus nota. Proceres ac Septemviri Imperij idcirco firmam stabilemque voluntatem in eum, ut in Regem Romanorum eligerent, direxerunt. Habuit meritum, uti inter Cæsares collocaretur, haberet omnia Electorum vota, si vellet, ac etiam si vellet, Imperator fuisset. Rogatus à Ferdinando fratre, qui huc commutatis equis celeriter appulit, ut Ferdinando filio, ac sibi nepoti cederet, cessit lubenter generosus Hæros, ac tanto amplius se digniorem illa dignitate Orbi patefecit, quanto sibimetipsi imperans, ambitiosum impetum incredibili promptitudine, ac fortitudine compescuit, & religioso pede calcavit. Cibo, & potu regulatissimus: præfixum comedendi tempus firmiter observavit, ut negotijs publicis commodius vacare posset. Venatio ei valdè grata, at non adeo excessiva, ut in vitium in eo verteretur. Nunquam (& hoc propter magnam ejus solertiam, & sagacitatem, sed ante omnia propter Dei timorem, & pietatem) intermisit regendi applicationem: concionibus publicis, sacris, tam privatis quam sollemnibus interesse, nunquam destitit, & si multo venandi studio excelleret. Nihilominus anno 1632. ejusmodi intentus exercitio ad Lacum quendam quatuor miliaribus ab hinc distantem, ubi aer parum saluber oculorum fluxio, quam aliquando patiebatur, excitata, ejus lumina, & maximè dextrum inflammavit. Vrbi Suatij parum longè ab eodem lacu accessit febris vehemens, cujus malignitas intra paucos dies nobilem ejus animam, Sacramentis Ecclesiastis benè armatam ab ergastulo corporis separavit. Obijt magno Religionis, & regiminis exemplo amabilissimus Archidux anno eodem, ac die illo insigni, in quo Romana Ecclesia mysterium unicum, non dum alijs concessum, Stigmatum scilicet Seraphici Patriarchæ Francisci commemorat, nimirum 17. Septembris, ut adnotavit Gans ex Jesuitis, apud quos conditus est. Vixit annos 46. & magna cum laude suas Provincias, ac ditiones gubernavit annos 6. Reliquit suæ prædilectissimæ; ac prudentissimæ conjugi regimen, cum qua genuerat proles quinque, & fere omnes sub Sancti Francisci tutela, uti expressius alibi, & fusius scribemus. Fuerunt

Coronam Imperij Spontè cessit nepoti.

Maria Eleonora nata 9. Februarij 1627. infra octavam 23 Martirum Japonensium ex Ordine minorum Excalceatorum Hispaniæ. *Ferdinandus Carolus*, de quo inferius. *Clara Isabella* nunc Ducissa Mantuæ; sed de hac suo loco. *Sigismundus Franciscus* superstes natus 28. Novembr. currente die festo B. Jacobi de Marchia Anconitana Minoritæ, Civitatis Neapolis, ubi adhuc ejus corpus integrum, ac palpabile in pergrandi, ac magnifico sacello Cœnobij S. Mariæ Novæ asservatur, protectoris. Annus tanti Archiducis nativitatis fuit 1630. Præest hodie Episcopatibus Augustano, & Gorcensi. Princeps sub juvenilibus lustris multis dotibus decoratus, strenuus, vigilans aulæ suæ, quin & populis gratissimus. Vltima proles, natu minima, sed dignitate maxima *Maria Leopoldina* Imperatrix, ac secunda Ferdinandi III. Conjux, de qua postea.

Serenissima parens Claudia Archidux relicta totius ditionis gubernatrix, ac Infantis Principis tutrix, mascula prudentia vitam viduam, ac pijssimam ducens, eam annos 16. rexit. Sed anno antecedenti hoc est 1637. die Julij 28. iter arripuit cum aulicis suis pulchro ordine, ac egregia supellectile Poloniam versus, ut dignum Comitatum Cæciliæ Renatæ Ferdinandi II. Cæsaris filiæ, tertij sororis, ac proinde mariti sui neptis, jam Regis Ladislai sponsæ exhiberet. Inter multa digna scitu in hac regia functione illud hic non prætereundum, quod Serenissimæ Claudiæ accidit. Occurrerunt Reginæ sponsæ ad confinia Poloniæ ubi statim in finem Silesiæ incipit Vistula, proceres Regni haud pauci, miles, tam æquitans quam pedestris illò figens castra ac tentoria, disponensque bellica instrumenta valdè multa, qui vocant bombardas, ad salutandam sponsi Regis nomine, & excipiendam Majestatem suam. Inerant tres Antistites, quorum dignior nempè Archipræsul de Isna luculenta, ac brevi gravique oratione ex parte Regis, & regni onus sibi impositum executioni mandavit. Ei annuente Regina respondit Episcopus Claverinus, quem filiæ Cæsar pro itinere tradiderat, verbis item brevibus, at perpolita, & ponderosa latinitate exornatis. Idē mox Episcopus pari gratia & sermone Serenissimæ Claudiæ dedit salutationem, qua peracta volebat P. Malaspina (erat hic apud Serenitatem suam, uti ex nostris P. Ambrosius de Galbiato Concionator Aulicus Italus) responsum dare, at ipsa renuit, statimque oratori Sacro ore illo suo verè mellifluo patria linqua, qua pulcherrimè callebat, respondit, & ita, paucis se expediens, perpolitè & eloquenter, ut postquam optimatū mentem mirum in modum suspenderit, tandem læta acclamatione singuli voces extollentes pluries dixerunt, vivat Serenissima Archidux Claudia Medicæa, tanti muneris associandi Reginam nostram benemeritia. Quibus vocibus statim responderunt ærea martis tonitrua, scopleta militaria, & omniū Polonorū ibi occurrentium vociferationes. Celebrato sacrò in altari, per illa campestria more Castrorū erecto, cætera Varsaviæ peracta, ut suo loco scribemus. Vera pauperū religiosorum Mater, ac maximè Franciscanorum, sub quorum directione in rebus conscien-

conſcientiæ, & Religionis Florentiæ Principes omnes ferè adnaſcuntur, aluntur, moriuntur. Hæc S. Leopoldi Auſtriaci fratrum minorum Provincia, quam vir ejus fundaverat, multum tantæ matris, ac protectricis gratijs, & favoribus innumeris obligata eſt. Auxit ipſam in his partibus Reformationem fratribus, ac domibus: extraordinarijs confeſſionibus & ordinarijs concionibus Italos S. Franciſci Strictioris obſervantiæ Religioſos, quemadmodum & ejus filiæ Archiduciſſæ, quas in Dei timore & pietate educaverat, apud ſe habere decrevit. Qui tandem indefeſſa charitate, ac dilectione ut par erat, diuturnæ ejus infirmitati aſſiſtentes, oculos poſt multas confortationes, & commendationes animæ, ei clauſerunt anno eodem, in quo obdormivit in Domino 1648. auſpicatiſſima nocte illa Chriſti naſcentis, de qua Propheta, *Et nox illuminatio mea in delicijs meis*, paſſionis ejus dicatã, præveniebat. Reliquit 4. ingenuos Principes, nam primogenita, quæ gratioſiſſima erat obijt puella. Ipſa ſepulta apud virum ſuum prædilectiſſimum in Templo Jeſuitarum. Stirps Archiduciſſæ Claudiæ inferius in matrimonio filij primogeniti cum nepte Anna Medicæa.

MATRIMONIVM XVI.

Imperator Cæſar Ferdinandus III. Pius, Felix, Auguſtus Rex Germaniæ, Hung. Bohem. Dalmat. Croatiæ, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, &c. nec non & aviti ſtemmatis nobilis, ac tripò propagator. Ejus prior Conjux, ducta 1631. Maria Auſtriaca Hiſpaniarũ Infans ſub anno Summi Pontificis Vrbani VIII. ac Imperatoris Ferdinandi II. patri 12.

Tribus vicibus maritum agens Ferdinandus III. Cæſar, ſemper Felix viſus eſt.



PAtrueles Conjuges in præſenti Matrimonio ampliſſima quidem tam naturæ, & gratiæ, quam etiam & fortunæ bona ſunt conſecuti. Natus *Ferdinandus*, cui etiam & alterum nomen *Erneſtus*, ac tertiogenitus 13. Julij currente circa primam. Ita Gans, qui annum nativitatis reliquit, & diem ſolummodo appoſuit. Apud Kilianum, ut ſupra in Ferdinando II. tetigimus, annus eſt 1608. dies verò Julij 20. in quo incidit feſtum S. Vbi ſupra in liberis Ferd. 2.

In liberis Ferd. 3.

Margaritæ. Igitur ex nuptiarum tempore,quod deſumpſi ab eodem Gans, colligimus ætate annorum 23. Vxorem duxiſſe Ferdinandum, Margaritæ amitæ,& Philippi III. Hiſpaniarum Regis filiam Infantem Mariam. Hæc ſponſam agens,conſpicuè forma,& virtutibus decoratam,meruit ſanè, non ſimplici nubere Archiduci, ſed & Archiduci,& Regi ſimul, bina corona redimito. Nam anno 1625. 8. Decembr. ſive in feſto Immaculatæ Conceptionis D. Virginis Franciſcani Ordinis Tutelaris,Patronæ ac Protectricis, tanquam eidem ac ejuſdem Seraphicis alumnijs devotiſſimus Hungariæ,& 25. Novembr. 1627. Bohemiæ Rex præſente Auguſtiſſimo Parente Coronatus eſt. Annus nuptiarum pro hoc tam magno connubio ille proprius fuit,in quo Decembr. 15. nocte Civitas Neapolitana horrendo terræmotu contremuit. Mons autem Veſuvius, *Somma* vulgò dictus haud procul diſſitus, tonitrua horribilia edens, terribilem flammam evomuit,multo mixtam cinere,ſaxiſque ingentibus adeo in altum eiculatis,ut primam aeris regionem tranſcenderint. Cinis ventis delatus dicitur uſque ad Archipelagum: ſaxa ad centum miliaria. Erupit ex montis faucibus immenſa ardentis bituminis copia; quod rapidiſſimi inſtar torrentis in ſeptem rivos diviſum influxit in mare, obvia quæque comburens, ſecumque trahens,inque ipſo mari ad diem duodecimum ardens. Ex oppoſita verò parte montis torrens ferventis aquæ erumpens, multa loca inundavit. Mare ſive ex terræmotu, ſive ex alia occulta cauſa receſſit à littore,ac Neapolis naves non parvo tempore in ſicco remanſere. Quæ clades renovata fuit menſe Februarij anni ſequentis, & adhuc aliquot diebus duravit. Ceſſavit autem penitus poſt delatum publica ſupplicatione corpus S. Januarij patroni Vrbis Neapolitanæ; cujus protectione putatur Civitas omnino exempta fuiſſe ab ea peſte, cum alijs proximis locis incredibilia damna apparuerint locorum, perſonarum, brutorum: multaque alia portenta acciderint, quæ longum eſſet recenſere, de quibus editi ſunt diverſi commentarij virorum doctorum, cum varijs obſervationibus, & conſiderationibus philoſophicis & naturalibus. Hæc ex Spondano.

Spond. ad ann. 1631.

Vide etiam eandem hiſtoriam Gent. 1. fol. 26.

Perorrenda ſanè iſta Neapolitanorum Calamitas,at illa, longè crudelior, & univerſalior,ſcilicet tumultuorum, ac ſeditionum quæ anno 1646. ſucceſſit. Sed hæc anni præſentis 1656. de peſte tam effera,utramque commemoratam (ehu dolor) ſuperat,dū penè decima pars populorū vix in toto Regno hodie remanebat; & tamen non omnes Provinciæ (excepta tantum Hydruntina, Sanctorum Martyrum Orontij,& Juſti, Civitatis Lizij ac totius Diæceſis Patronorum, de quibus ſeorſim in quadam brevi ſcriptione agam,interceſſione,pro qua adhuc illeſa, alijs undecim quaſi exterminatis, remanet) ab ea liberatæ. Tranſitus Reginæ ac Imperatricis Mariæ ſub Ducis de Alba ductu Germaniam verſus ab eadem Civitate Neapolis, parenti Philippo III. magna fide, ac devotione ſubjectæ,contigit anno eodem, ſed in vere,ac per conſequens antequam Veſevus ſuis tartareis faucibus propinquas,

pinquas, ac longinquas regiones devastaret, territaretque. Tanta fuit sollemnitas, tanta pompa, tam peregrini apparatus, spectacula adeo nova, equitum ac nobilitatis utriusque sexus occursus tam multus & spectabilis, habitantium Civitatis, ac vicinorum locorū concursus tam mundans, & insolitus Dominæ suæ obsequendo, ut quamplurimi immenso stupore affecti crediderint, naturam, artem, & opulentiam totius Europæ luxus, & pulchritudines in ea urbe veluti in unico orbis terrarum Paradiso collexisse. Vox erat tum penè communis, Ducem Albæ præfatum, qui antea paucis annis elapsis in eo regno præfuerat, excessisse Regis mandatum, illinc transeundo, nec alia intentione id effecisse, nisi ut ejus regimen in Ducis de Alcala, Siciliæ proregis, ac ejus successoris despectum, qui paulo ante Neapolim gubernarat, publica acclamatione ibidem ab ingenti civium multitudine laudaretur. Illo per longo sponsæ Mariæ itinere jam completo, tandem Viennæ, ubi eam de ordine Regis parentis, occurrens ei egregio Comitatu Tergesto, unde reditum ad propria Dux Albæ, postquam ab eo argenteum munus pro suæ mensæ servitio, dignum tanto Principe, acceperit, desumpsit, Archidux Leopoldus, obsequentissimè illi inserviens, conduxit, præcipua sollemnitate, ac regia pompa granditudidi Conjugum valdè pari, nuptiæ celebratæ fuere anno qui supra 1631.

In utroque consorte desiderata sobolis & sortis paritas, nec non & ætatis, in qua Vxor annos tantum duos illam viri sui excedebat. Inquit enim Kilianus, Maria VIII. Austriaca, Hispaniarum Infans nata est ad D. Laurentij anno 1606. die Veneris 18. Augusti hora 8. & uno quadrante post meridiem. At præter hæc multa in ipsis munera, & merita insignarum virtutum, & maximè Religionis & Pietatis. Hic Deus Optimus Maximus bonorum operum Principum largus remunerator, ut eorum matrimonium novis benedictionibus, & largitionibus summè felicitaret, pristinis favoribus recensiora dona geminavit. Etenim post duos annos in festo natæ Deiparæ, nempè 1633. natus est eis *Ferdinandus Franciscus* Rex Hungariæ, & Bohemiæ 1647. ac decimus quartus Rex Romanorū ex stirpe Austriaca 1653. & anno sequenti extinctus. De hoc paulo inferius. Quarto deinde anno creatus maritus 2. Maij à Cæsare parente Generalissimus. Eique reduci victori ex celeberrimo ad Norlingam triumpho Neostadij 24. Decembris filiam superstitem, ac Philippi IV. Conjugem, Conjux Regina enixa est 1633. *Mariam Annam* à patrinis Regijs sororibus & fratre Leopoldo Wilhelmo in manibus Eminentissimi Cardinalis, & Principis Francisci à Dietrichrein nominatam. Postremò alijs rebus piè, fortiter, & prudenter ab eo gestis, & suo loco distinctè recensendis, vocatus Ratisponam Ferdinandus unanimi Electorum suffragio 22. Dacembr. Romanorum Rex electus est. & 30. ejusdem coronatus. Quo tempore, currente anno 1637. ut in immensum pro hoc prosperrimo eventu cresceret exultatio, & majori cum gratia coronis Hungariæ & Bohemiæ supra Mariæ Vxoris caput

Ex Gans ubi supra, & Bucelino.

Imperiale diadema emineret,tertia vice felix ejus alvus peperit alterum fi-lium 15. Julij circa meridiem, cui nomen *Philippus Auguſtinus*, licet Infans duos tantum annos ſupervixerit. Succedenti anno nempè 1638. genuit *MaximilianumThomam.* Anno deinde 1640. 9. Iunij prodijt in lucem ultimâ prolem maſculam, quam Regnorum Vngariæ, & Bohemiæ coronis fulgentem anno præterito ſalutavimus,& 14. die Auguſti proximi fortè paterna Imperij tiara,majoris terrarum orbis luminatis æmula micare videbimus. Sex nomina illi tributa (totidem etiam prophetale oraculum naſcenti Meſſiæ impoſuit) vocatur enim, *Leopoldus, Ignatius, Franciſcus, Balthaſar, Joſeph, Felicianus.* Apud Pall. proles 6. ut infra videbitur.

Vide rationem in 1. Gentil. fol. 27.

Ad auſpicatam preſentis Conjugij Progeniem, bina Auſtriæ copula propagantis felicitatem, ſpectant illa duo puncta præfati Pallavicini, quorum prius eſt hujuſmodi. Germinabunt à magna ſtirpe ſuccedanei Hæroes. Ibit in ſæcula Regum, Cæſarumque fæcunda poſteritas per faſtos æternitatis glorioſiſſimos, Regibuſque,ac Divis Cæſaribus videbit

Pall in Ferd.III. fol. 168.

Permixtos Heroas; & ipſa videbitur illis
Maiorque maximo ſi fieri poterit
Parente filius imperabit & Nepos,
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.

Virg. Eglog. 4.

Cum Auguſta poſteritate tranſcribentur in ævum purpuræ ſole clariores, ſolia terrarum orbe firmiora,coronæ cœlo invidendæ; ſceptra,quæ Regna ſuſtentent, Monarchæ, Imperatores. Maximi, omnium temporum fama prædicandi. *Julia* Imperatrix progenies à Cajo Julio Cæſare orta in ſextó ſucceſſore defecit, ſi vel numeremus inter homines Neronem coronatum illud Romani Imperij monſtrum. *Carolingorum* ſtirps in occidente, Imperij Germanico-Gallici fundatrix à Carolo Magno ad Ludovicum IV. pauculos ſupra ſæculum annos Orbi,& Imperio præfuit. *Paleologa* familia in Oriente à Michele ad Conſtantinum ultimum ducentos annos cadentis Imperij infelicia gubernacula tenuit, Scythicis turbinibus naufragia perpetua minantibus. *Flora* Conſtantinorum proſapia in nepotibus. *Flavia* Veſpeſianorum etiam in filijs ſuſpici deſijt. Imperatores ferè omnes, ſinguli regnarunt, pauci aut filijs Imperium, aut filios Imperio pepererunt. Penè nullis avitum Imperium fuit. *Auguſta Auſtriadum Gens* à primis Rudolphi Magni *Imperatoris* natalibus auſpicatiſſimis. Triginta annos & amplius ſupra quadringentos *quatuordecim* Cæſares, & in ijs *undecim* nunquam interrupta ſerie numerat ad Orbis totius beatitatem, & *Nominis Auſtriaci* Orthodoxique (neque enim iſta ſine piaculo disjunxeris) gloriam æviternam. Quis vero dubitet de potentia omnibus fundata virtutibus, nullis quaſſata vitijs, quatuor jam ſæculorum robore ſtabilita. Conjuncta eſt cum rerum ſalute, Europæ libertate, Religionis vita, felicitate Orbis terrarum, imò cum cæleſtibus commodis: Deique Concilijs Auſtriaca

Familia *Julia.* Vtrum hoc ſit verum, conſule Gentil. 1.
Carolinga.
Paleologa.
Flora.
Flavia.

ſtriaca cauſa, Cœlo terriſque innixa. Hoc Numen ipſum apertiſſimis miraculis Auſtriacam rem ſervantibus, ac reſtituentibus tot ſæculis conteſtatur. Ferdinandus III. qui centeſimus vigeſimus primus à Principe Cæſarum Julio numeratur, Auguſti auream ætatem annorumque Chiliades è ſuis Ferdinandis ſoboleſcente eius poſteritate evoluet. Alijs 123.

Accipiat Patris exemplum, tribuatque nepoti
Filius, & captis ne deſit Faſcibus hæres,
Decurratque Auguſta Domus, trādatque coronam
Mutua poſteritas, ſervatoque ordine fati,
Auſtria continuo numeretur Cæſare proles.

Claud. de Mall. Conſ. *Trabeata* ſecures Mala.

Secundum punctum in ſynopſi Genealogica immediata poſitum ad conjuges, & eorum liberos aſpicit. Auſtriadum Divum Cæſar Ferd. Auguſtum ſtemma feliciſſimè propagavit ex primis cum Maria *Auſtriaca* lectiſſima, & pari magnitudini ſuæ Heroina nuptijs. Coronata virtutum omnium titulis nomina Auſtriorum librorum, ſic Sereniſſimam Imperatricem Gentilitatem deducunt in ævum, & auream ætatem Auſtriadum ſæculorum

1. Ferdinandus IX, inter Auſtriacos Principes, & inter Hungariæ & Bohemiæ Reges IV.
2. Maria Anna Sereniſſima Hiſpaniarum Regina.
3. Philippus V.
4. Maximilianus V.
5. Leopoldus VI.
6. Maria VIII.

Ferdinandus IV. Sereniſſimæ Auroræ, quæ noſtræ prælucet felicitati Phoſphorus, & Auguſtus Regnatricis Nymphæ Paranymphus, & conjunctis radijs, & auſpicijs, uti Germaniā ortu, ita totum orbem Auſtriacum ſuis nuptijs beabit. Hoc Hortentij vaticiniū proximis conjecturijs cōmuni opinioni de comitatu Mariæ Annæ ſorori uſq; Matritū, ut Infantē duceret in Vxorē, fundatis, adhærebat. Reditus tamen Regis Mediolano in Germaniā etſi Hiſpana ſcepra ei rapuerat, nihilominus Romana, ac Imperialia longe dignitate inſignia, quamvis ditione valdè minora, ei cum immortali cælibatus aureola largitus eſt. Nec defuere ejuſdem Hortentij auſpicia pro hac quoque beatitate de Imperatorio adeptione diademate, dū ſequentia annecterit immediatè. Vivum exemplum paterni Coloſſi, & Imperatricis Majeſtatis, unus capaciſſima indole omnes Auſtrios Cæſares repræſentat, magni hujus (ita appello, quia Magnos Auſtriacos Heroes conplectitur) libri compendium. A templo virtutis ad templum honoris gantæis paſſibus progreſſus, jam totum ſibi illud conſecrat, *Vitam illi intulit idem Imperiumque dies.* Imperio prorſus, ac tractandis hominum fatis nato, factoque ad magna, ad Heroica, & quod ſine maxima laude dici non poteſt, ad Auſtriaca

Laudes Ferdinandi IV.

non

non tam à virtute Generis, quam à generositate virtutis. A pietatis studijs & fortitudinis Imperia auspicatus, jam prima in Dei, ac suæ gentis hostes fulmina destinat. Omnia etiam cum summa æquitate animi, corporisque bona ex æquo sortitus, jam nunc non magis formidandus externis suspicitur, quam blandus suis. Ferdinandæo imbutus genio, jam nunc didicit à paterna clavum Imperij monderari, summaque reverentia in Augusto parente, qui ex typo prototypus, & Colossus majorum suorum est, & minorum idea, prænsare, & colore omne magisterium virtutis, atque illum, qui ex contrarijs belli pacisque ornamentis redditur, concentus optimus. Jam nunc flore ipso adolescentiæ summæ Pietati, ac Fortitudini consecrato, probat lectissimus Principum flos, in Austriaca Domo neminem non magnum nasci, neminem non maximum fieri. Jam virtutum titulis maturus est illi felicitati, cui videtur adolescere jure ætatis Ita fortis est manus, ut cum Hungarico, & Bohemico sceptro possit Romanæ potentiæ, imò & terrarum omnium pondus sustinere. Intelligit jam hic Austriacus Alexander magnitudinem suam, nec nisi magna, atque Heroica meditatur. Certè ut alia omittam ipsa pulcherrima species, oculo judice, infra Augustum non irradiat, canique potest cum Vate Panegyrista, *Fronte quis æqualis, quem sic Romana docebunt Culmina?* Et cum eodem responderi: *Æqualis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus Verteret, & Patri non degeneraret Achilli.* Quantum instar in magno Principe Majorum Austriadum est? Quantum paternæ fortitudinis, quantum avitæ Pietatis? Quantum omnium Augustarum virtutum? Dignum animo corpus Augusta forma probat: dignum corpore animum Austriaca Pietas. Quam non otiosa serenitas, cœli Decus, migravit in titulum, ejus ore jucundissimo, Genioque clementissimo Cœli faciem, ingeniumque cum maxime sudum, ac beneficum arridet, exhibente? Quantus sub Hesperio Cœlo Hesperus radiabit, Hercules adolescet, occurretque ex Hispania rediens Germanico Atlanti adversus septemtrionalium terrarum, mariumque Orientalium monstra *Boreæ vastator & Euri?* Austriades Aquilæ Harpyias nullas timent. Interea dum non vulgaris fama, se Clio Heroicam tibi tubam destinat, hic etiam per gradus tuorum legeris basilicis, hisce Avitarum Imaginum Characteribus exaratus.

Ferdinandi IV. adolescentia laudata.

Forma, ac præsentia.

Claud. de Hon. & de 4. Hon. Cons.

Claud. de 4. Stil. C.

Et simul Heroum laudes, & facta Parentis
Jam legere, & quæ sit poteris cognoscere virtus

Vig. &c. 4.

Hactenus Auctor de suo Ferdinando: suo, inquam, non quia non tripliciter populorum, & Germanæ, ac Romanæ Monarchiæ Rex, sed quia inter brachia Patrum Societatis educatus, ipsis dicatus, quemadmodum haud solum & cæteri Germani Austriæ Principes, verum etiam & alij plures. Neque hoc mirum esse debet, nam uti *omne simile conservatur in simili*, ita quoque congruum videtur, ut Magni Ignatij Loyolæ nobili genere orti (cujus prima tyrocinia antequam militarem disciplinam sequeretur in Catholici

In off. propr. die 30. Julij.

thol. ici

tholici Regis aulam) filij & alumni, vestigijs paternis inhærendo, Grandium aulas quæritent; Principes instruant, Societatis potentiam, & famam augeant, quæ (electo Hungariæ & Bohemiæ Rege, sive Archiduce Leopoldo Wilhelmo in Imperatorē mense Sept.) nec longiores manus habere tā in Monarchia Ecclesiastica sub moderno Pontifice, qui haudparum laboravit, ut eos in statu Veneto, de eorum reditu quā maximè gratulante, unde ferè per mediū sæculū exularant, remitteret) quā in Imperio Germanico, ubi incredibile robur (velint nolint emuli & Acatholici) nacti sunt: Nec meliorē fortunā, altioremque apicem, ad quem inhiant; Apostolo suadente, *Emulamini charismata meliora*, sortiri possunt. De cæteris Ferdinandi III. Sobolibus hæc insuper annectit Pallavicinus. Philippus, & Maximilianus Augusti flores in infantia è vivis sublati in lætiori solo sub clementiori cælo regnantes vernant. Imò illis Cœlum pro solo, & solio est. Adolete flores innocentes pueri, innuptæque puellæ, & manibus date lilia plenis. Austriadum Aquilarum nidus Cœlū est. Optima fata mortalibus Principes Planetæ spondent. Hoc anno 1657.

Cum celsa tenent, summoque feruntur
Cardine, nec radios humili statione recondunt.

Illi etiam qui supra Firmamentum in Cœlo regnant Austrij Principes, Firmamentum Augstæ familiæ sunt. Maria duplici titulo Cæsarea & quia ex Augusta, & quia ex cæsa Matre prodijt; vix lustralidus aquis immersa portum tenuit, & præeuntem triumphali omnium virtutum curru ad Cœlum Matrem innocentiæ alis sequuta est. Hasce non imbelles, sed innocentes progenerant etiam cum laude Austriades Aquilæ Columbas. Ne sibi inviderent Augustam Ferdinandi Cæsaris maximi sobolem, ex æquo Cœlum, ac terra diviserunt. Leopoldus, cui Cœlo nomenclatore inditum Sanctissimum, ac felicissimum in Austria Gente nomen crediderim, dulcissimus Patris Cæsaris amor, pares generis & indoli spes alit, dum ad magna alitur; & crescit, suæ sibi grandevę virtutis à prima ætate faustissimus Auspex, & annos urget maturitate morum, constantiaque Pietatis. Mirum in quam suaves fructus erudiatur, in quam uberem vernet Autumnum, hic Austriæ Arboris, florentissimi nimirum Stemmatis ex Augusto Austriaco Thalamo gemmascens flosculus. Nemo ortu ipso non dicit victorijs consecratum: nemo teneras manus non gravibus palmis, parvum caput non magnis laureis destinat. Ita Austrios Principes auctoratos triumphis masculа Matrum, & Heroica Patrum virtus edit in lucem. Gratulare tibi Austria tantam unius conjugij sobolem, & ex secundo Hymenæo Austriaco geminatam auspicare. Habes citra fabulas, quod linguax Græcia fabulari fastu gloriosè de suo Jove decantabat supra Helenam, Castorem, & Pollucem, Mariam Annam, Ferdinandum, & Leopoldum. Augusta premit Regius Puer, Patris, Patrui, Fratrisque vestigia, & magnum Leopoldi nomen, avitis, spirantibusque exemplis in Austrio stemmate gloriosissimum, totum auspicijs suis implet. *Quantus in ore pater radiat, quam grata pudoris Majestas!* Claud. cit.

Obitus Imperatricis Mariæ in puerperio.

Mačte puer Auguſte: Auſtrij iſti Heroes, quos tibi tanquam elementa baſilica legendos exhibeo. *Hos tibi virtutum ſtimulos, & ſemina laudum, Hæc exempla dedere*, &c. Obijt Maria 1646. ætatis verò 40.

MATRIMONIVM XVII.

Ferdinandus Carolus Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Landgravius Alſatiæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, &c. Cognomento Magnanimus, Intrepidus, & Placidus, paterni ſtematis Tyrolenſis ſecundus propagator. Vxor Anna Medicæa patruelis, ducta 1646. Pontificatus Innocentij X. anno 2. Imperij verò Ferdinandi III. etiam patruelis 9.

Auſpicatum hucuſque præſentis Conjugij omen breviter enucleandum.

Homil. 69. quæ eſt 2. de S. Euſebio Vercell.

DIcit Sermo divinus: Ne laudes hominem in vita ſua, *tanquam ſi diceret, lauda poſt vitam, magnifica poſt conſummationem. Duplici enim ex cauſa utilius eſt hominum magis memoriæ laudem dare, quam vitæ, ut illo potiſsimum tempore merita ſanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentet elatio.* Hanc ſatis dignam egregiamque ſententiam os D. Maximi Epiſcopi gravi ſtylo protulit. Fateor, me, latam corruptelæ viam hac in re ſecutum, nec adeò exačtè iſtud divinum monitum obſervaſſe, quin ut homo, & aulicus haud fucata, etſi parumper (at amanti ignoſcendum) exceſſiva, licet aliunde quoque Monachus, & frater (de hoc nomine, illis, *qui ſunt de hoc Mundo*, tam exoſo, plurimum glorior) calamo Italico & Latino in eum ipſe impegerim. Dum innumera laudis preconia, ſed veluti alter Mardocheus, Auſtrijs Principibus, quorũ nonnulli adhuc vivunt, ac pro his maximè, quibus non mercenariè, nõ ut vilis, ſed ut fidelis, ceu meæ obſervantiæ opera, ſtatuſque, in quo reperior teſtantur, inſervio, typis demandaverim. Si qui ex criticorum caterva me levis animi, auris ambitus hinc inde inflexi, in hoc accuſaverint, dicerem ipſis, in haſce culpas in dies egregios auctores, quorum ipſe *non ſum dignus corrigeam calceamentorum ſolvere*, ferè communiter dilabi. Verum quid-

quid

quid sit de ambitu, per quem ut assentator reprehendor, sine tamen reflexu aliquo ad intentionem meam, cujus est arbiter Deus, magnum discrimen proculdubio esse censeo, quotiescumque scriptitatio magnos Principes respicit: præterquam quod pluries in epistolis suis mutuis præconijs & adhuc vivi Ecclesiæ doctores Augustinus, & Hieronymus, & plurimi alij sancti se laudaverunt; nec tamen aut ambitiosè id effecisse reperiuntur, aut adulatoriè. Eorum quippe calami neque hiperboles exaravere, neque veritatis tramites exierunt. Quæ quidem veritas (de qua est illud Augustini tract. 29. in Joann. *Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem*) equidem respectu Principum superstitum ubi historicè paginis demandatur, est prorsus de ijs rebus laudabilibus, quæ de facto eis insunt. Vbi verò Vatum more etiam soluta phrasi & mixta elocutione, ut aiunt, scribitur, sufficit, ut circa illa facinora, tanquam circa propria subjecta versetur, quæ ipsis inesse, lex & ratio dignitatis exposcerent. Quidam meus amicus de simili crimine accusatus, brevi ac celeri apologia respondit, se ea intentione nonnullos magnates nondum vita functos laudasse, ut ex possessis virtutibus ad nonnisi novas, ac magis peregrinas provocarentur, ex vero non possessis, sed tamen debitis, atque necessarijs, eas non possidere, & non absque magno dedecore, eisdem privari erubescerent, atque inde amplius ad ipsas conquirendas, & acquirendas diligentiores evaderent, &c.

Vide ipsos in proprijs operibus.

Nota.

Vt cumque erit de horum Archiducum preconijs, quæ alibi, data occasione, pluries varia eloquendi, & scribendi forma tradidi, solum à me in loco hoc ubi de Serenissimis conjugibus patruelibus, gemino ligamine conjunctis, curret enarratio, puri historici persona, ipsorum matrimonium literis tradendo, induenda. Igitur natus *Ferdinandus Carolus* Numine parentum vota ac preces, D. Annæ meritis & Serafici Patriarchæ medijs exaudiente, anno Domini 1628. die Maij 17. B. Pascalij Bailon Hispano nostri Ordinis alumno dicato. Qua de re constructo in templo Archiducali S. Crucis pulcherrimo altari, in eo, eidem Beato erecto anniversaria Principis & hæredis natalitia multa cum sollemnitate, & pompa quotannis pro gratiarum actione celebrantur. Nomina in Baptismo imposita, valdè naturæ nascentis Archiducis consona. Fernandus, sive latius *Ferdinandus* vox est, quam à ferro plurimi deriuant. *Carolus*, & Carus hæc duo nomina tanquam nonnisi grammaticè aliqui distinquunt, adeo ut alterum sit tantum diminutivum alterius. Patet hodie oculis omnium, & jam aliæ regiones tam Germanæ, quam Italæ viderunt, & prædicaverunt in hoc Principe, impigræ venationi, vel æstiva mordente Canicula, vel hiemali gelu horridè molestante, diu noctuque assueto, ferream vitam, & adolescentiam nimis caram, gratam, jucundam, ac suavem, & Austriaco Principi, Maximiliano I. persimili valdè dignam. Tota ejus educatio Genitrici suæ, pariter & tutrici tribuenda, ut in moribus Patribus Societatis, qui de ejus nobili, ac pulcherrimo ingenio plurima gratulatione admirabantur. Anno 1646. Vxorem duxit

Archiducis Ferdinandi nativitas.

Nomina.

xit Sereniſſimam Annam Medicæam, cujus ſtirps, & conſanguinitas cum marito ſuo & cum omnibus penè Regibus,&Principibus Europæ ad finem patebit. Annulum fidei pro ſponſalibus, ab Archiduce patruele Principi ſuæ miſſum accepit ſponſa Florentiæ è manu Sereniſſimi, ac Eminentiſſimi Fratris ac Principis Joannis Caroli S. R. E. Cardinalis. Ibidemque regia pompa ſponſalia celebrata. Huc deindè Sereniſſima conſors Anna ardenti cupidine expectata appulit; eam multis cum equitibus, altero fratre, ac Sereniſſimo Principe Leopoldo Comitante ac ducente, at lugente Florentia de tã dilectæ, formoſæ, piæ ac ingenuæ feminę, quam pauperũ matrem publicè omnes vocitabant, amiſſione nec nõ & Magno Duce fratre ſuſpirante, qui ea in arduis negotijs utebatur. Nuptiæ deindè ingenti ſplendore, & ſollemnitate aſſiſtente quoque commerato Saliſb. Archipreſule celebratæ ſunt die Junij 10. Rara adhuc in hac Principe majeſtas, & promptitudo, rarum ingenium, maſcula indoles, magnus animus. Hinc non mirum ſi multa cum admiratione, & honorificentia toto in itinere excepta fuerit, & tractata. Hicque vix conſpecta, ac patrueli ſuo copulata, magnam unuſquiſque de ea conceperit expectationem.

Anno eodem celebratarum nuptiarum magnæ, imò & maximæ hilaritati ſucceſſit & alia recens lætitia, valdè quidem exuberans, & multa. Nam exempto Archiduce Principe à parentis tutela anno ætatis ſuæ 18. ſtatuum, ac Provinciarum adminiſtrationem ſollemni ritu, & apparatu, ut mos eſt, ſuſcepit. Oravit coram optimatibus, ac proceribus formoſus & vivax adoleſcens, plenum eis roſarium vultu, ex natura ruſo; flavamque comam per humeros undatim cadentem exhibens; & tanta gratia oravit, ſicut fatentur qui interfuerunt, ut brevibus verbis omnia corda in ſtuporem allexerit. Anno 1647. ni fallor, ſimul cum Sereniſſimis Genitrice, Conjuge, & fratre Archiduce Sigiſmundo Franciſco ac pernobili, & illuſtri equitatu comitatus eſt uſque Linzium ſororem Mariam Leopoldinam, jam electam ſponſam ab Imperatore Ferdinando III. Nuptiæ ibidem celebratæ. Ferunt, non ſolum quotquot in itinere occurrebant Principi admiratos eſſe ſuper ejus preſentia, gratia, affabilitate, & pietate; quemadmodum & ſuper dotibus quoque ſuorum dilectiſſimorum parentis, Vxoris & fratris, verum etiam & ipſius Cæſaris obſtupuiſſe Majeſtatem, qui de tam egregijs patruelibus, & maximè de Sponſæ ſuæ adventu ingenti lætitia gaviſus eſt. Quidquid ibi Princeps noſter vel equitando, vel venando, vel ludis equeſtribus operam dando, vel Cæſari inſerviendo, effecit, magna profecto indicia de genio ejus valdè peregrino ſpectatoribus exhibuit; unde pluries Cæſar ipſe rara Archiducis patruelis talenta commendavit. Obſtupuit etiam ſuper dotes conjugis Annæ, vix prima vice cum ea loquutus. Longum quidem eſſet hic reſcribere omnia, quæ de Principe noſtro teſtati ſunt, me audiente, Dux Mantuæ Carolus II. huc veniens anno 1651. poſtquã ſororem Imperatricem Leonoram uſque ad medium iter aſſociaſſet, quin & ferè Italia omnis

Vide in lib. Italico Actoris I. proſa. fol. 31.

omnis, Mantua, Brixia, Bergomum, Mediolanum, Parma, Mutina, Florentia, Bononia, Ferraria, Venetia, &c. ubi anno 1652. splendido comitatu simul cum conjuge, & fratre ire voluit; realis Serenitas Principissæ Sabaudiæ Adhelaidis, sponsæ, & novæ Electricis Bavariæ & Electores Bavari anno eodem, Suetiæ Regina, anno 1655. & quamplurimi alij Principes, sive Ecclesiastici, sive seculares, & magni equites, passim ab hinc transeuntes.

Anno 1643. hora 12. die Jovis Maij penultimo D. Felici Papæ & Martyri sacro, peperit ei dilectissima Vxor prolem fæminam, sed pulchritudine, & ingenio extra naturæ terminos fælicissimam, amabilissimam, & quod incredibile forte videtur, moribus, anno ætatis quinto vix ingressa, haud infantiam, sed adolescentiam, non pauca maturitate decoratam, plurimo omniū stupore in ea commonstrantibus. Anno deinde altero genuit Archidux Anna secundam sobolem, etiam fæminam 19 Augusti, qui est dies anniversarius festi D. Ludovici Episcopi Tolesani Minoritæ. Sed nata proles eadem die, post Baptismum obstetricis denata est. Anno tandem præterito nempè 1656. edidit tertiam infantulam etiam in mense Augusti, die Jovis 17. hora nona. Hæc quoque Archidux propter suam amabilem gratiositatem, spiritui quam vivacissimo junctam, sub tenella non dum unius anni forma à cunctis admiratur. Ambarum similitudinem è materno originali suo penicillo retraxit natura, cùm plerumque, teste Philosopho, filij matrizent. Rogemus Deum, ut parentum spem, vota, commendationes ad pios viros, tot misericordiæ opera, ac servorum & populorum desiderium de futuro Principe, quam primum acceptare, exaudire, & adimplere dignetur.

Haud paucas animi dotes, corporisque munera & quidem etiam plurima ambobus conjugibus natura contulit. Princeps Archidux Leopoldi filius, est Caroli nepos (hi Archiduces) Ferdinandi I. & Caroli V. pronepos, Philippi I. Hispaniarum Monarchæ abnepos, Maximiliani I. atnepos, & exemplar, Friderici IV. & Alberti II. Cæsarum trinepos, minor, Regum Philippi IV. Catholici, Ladislai & Casimiri Poloniæ, Reginæ Francicæ, Magni Ducis Ethuriæ & ejus fratrum, Electricis Bavariæ viduæ patruelis, cui Philippus III. avunculus, & II. consobrinus. Tanta ipse proceris membris eminet proportione, & simetria, ad quadraturam sicuti illa Maximiliani I. protendens, ut nonnisi eam vitæ compagem representet, de qua aiebat ille, *Puchritudo est quadam apta figura membrorum, cum coloris quadam suavitate.* Color tamen ejus faciei, propter incredibilem spiritus vigorem, juventæ robur, laboriosæ venationis assiduitatem, innatamque transformationem (ferè omnibus Austrijs Pricipibus communem, sed non sicuti in Maximiliano I. & in Ferdinando abnepote) haud semper satis purpurascens, suaviter spirat. Quando verò in suo naturali esse manet, nec tanto rosarū rubore lilia vultus occupantur, nonnisi Angelicam formam exhibet. Vbi primo occursu eum Suetiæ Regina contuita est, statim dixit, *Hic est* Cicero.

verè Auſtriæ Princeps. Tolerantia in eo multa,& incredibilis, nulla in eo ira, nulla fraus,aut dolus, miranda Charitas erga proximi, ac ſervorum & ſubditorũ culpas,pro quibusaliorũ accuſationibus difficulter credit,nè faciliter malignitas apud ſe locum habeat. Nemo ex domeſticis ſuis jactari poteſt, ſe ſupra cæteros eſſe dilectum (Italicè *il favorito*) ſcit enim Princeps innumera mala, ſæpenumero excidioſa,ac deplorabilia,nec non & incommoda quamplurima,& ineſtricabilia ejuſmodi amoris ſpeciem Dominis, aulis,& regiminibus producere. Natus ut Marti inſerviret *Magnanimitate, Intrepiditate, Placiditate* (hæ dotes in eo omnes practicæ) etſi Marti minime inſerviat,quod,ſicut prudentes quamplurimi fatentur, in magnam Domus Auſtriacæ jacturam redundat. Cæteras ejus virtutes alibi dedi. Conjugis ſuæ temperamentum robuſtum,& ſalubre. Statura media,ſpecie, & geſtu magna gratia,nomini arridente,compacta, ac diſpoſita, atque multa venuſtate, & majeſtate prædita. Color in ea illi viri ſui perſimilis,licet temperatior, etſi album, ſibi junctum ejus erubeſcens roſarium ſuperarit. Oculi ridentes,vultus & aſpectus decori. Expedita greſſu,& ingenio. Sagax ad miraculum. Reſolutionibus prompta, intellectu perſpicax, corde teneriima,& ut innumera alia reticeam, & ea præſertim, quæ alijs in locis conſcripſi, vera Princeps,& Archidux è ſobolibus Auſtriaca & Medicæa exorta. Verùm illud in hac Archiduce ſilentio haud quaquam prætereundum, quod ferè à nonnullis practicatum eſt, & quoddam naturæ miraculi ſpecimẽ præſefert. Odores omnes, & inſignores quibus maximè obdelectantur Principes,incredibili reluctatione aborret, & nihilominus corpus ejus ab omni fuco,ac pigmento muliebri alienum,paſſim olfacere obſervatum. Pluries ipſe ſuper hoc ſciſcitatus, reſpondi, me legiſſe de Alexandro Macedone, corpus ejus, teſte Plutarcho in ejus vita,adeo ſuaviter naturaliter odoraſſe, ut ipſa interiora indumenta haud modica fragantia adimplerentur. Scio Magnum Æreopagitam in quadam ep. ad Apoſtolum Paulum,quam refert Ferreolus lib. 5. de Maria Auguſta cap. 6. præter alia prodigia,quæ de Matre Virgine ſcribit, hoc præcipuum in ea ſtupore perculſum adnotaſſe. *Tanta etiam me*, inquit, *omnium odoramentorum ſuperabundavit fragantia, ut nec corpus infelix,nec Spiritus poſſet totius & ante felicitis inſignia ſuſtinere.* At donum iſtud aliunde ea in Virgine regia exortum in præſentibus non poteſt locum habere. Autore Pierio lib. 57. Ægyptij occulta quadam naturæ vi è membris odorem mittunt,quem etiam(mirum dictum) umbris,quas formant in locis,unde tranſeunt, imprimat. Hujus rei admirandæ rationem affert Ariſtoteles de ſenſu,& ſenſib. cap. 5. *Odor*, inquit, *reſultat in mixtis corporibus ex primarium qualitatum permixtione dominante ſiccitate, calore humidum decoquente, & exſiccante,&c.* Sic Arabia, atque Siria regiones calidoſſimè,multũ odorem afflantia,generant uti quamplurima ſemina odorantia,maximimo abundant calore. Id quod advertit Philoſophus in Probl. q. 12. nec non & Galenus lib. 4. de ſimpl. medicam

Conjugis partes.

C. 22.

c. 22. In mixtis autem animatis, ac ratione præditis, uti sunt homines, odor similis temperamentum, concinna mensura confertum præsupponit. Quod ut diximus in hac Archiduce reperitur, quemadmodum etiam & olfactus quidam peculiaris, quo statim omnes odores sive bonos, sive malos sentit, indicaturque in ea quædam ingenij præstantia. Qui enim multo odoratu prævalent prævalent etiam & ingenio, teste Caradano, *quoniã* (inquit libro de sensibus) *calida & sicca cerebri temperies olfactu præstat: talis enim ad imaginandũ prompta ob caliditatem, & imaginũ tenax ob siccitatem.* Quæ quidẽ siccitas causa est, ut unus & idem odor, alijs gratus, sibi displiceat, talis enim diversitas in eodem odore ex varia organorum, & cerebrum dispositione oritur. Vbi vero abundat humiditas valdè odoramenta delectant, unde Aristot. cap. 5. de sensu, & sensibili, *solus homo ob maximam cerebri humiditatem odoriferis oblectatur.* Non pauci pictores, & certè haud contemnendi conati sunt tota applicatione, & solertia utriusque vultum, è naturali desumptum ad vivum appingere: sed semper frustra. Tanta enim in utriusque facie coloris erubescentis vita, tanta erumpens vis, & activa vitalitas, tanta, & tam congenita Majestas, ut fere hujus tempestatis pennicillia quam plurima sine ullo fructu defatigarint. Nisi demum JustusBelga nostri ævi omnium pictorum Princeps, non secus ac tempore Alexandri Macedonis Apelles, ex magna Florentiæ aula, ubi homines non casu, & clausis oculis, ut dicitur, servitio admittuntur, huc appulerit, vocatus multa instantia ac pluries ab his Principibus, & à MagnoDuce patruele, fratre, missus, supervacanea profectò res esset, alios hoc in negocio in omni Europa perquirere, & nunquam pecuniæ proijciendæ finem dare. Vir iste, cujus professio retraendi è naturali humanos vultus hodie unica, quin & fortè nec præteritis sæculis reperta, majores terrarum Orbis Principes tum Ecclesiasticos, tum seculares in admirationem posuit, incredibili artificio varijs posituris nostros Archiduces, & nonnullos alios ex aulicis appinxit. Ejus egregiam virtutem, quam ego tango in præsentibus, & dum hic ad huc ipsemet reperitur, linguæ & calami celebriores, sed quod majus est experimentum ipsum commendavere. Et certè si volumus vera fateri, quæ nam ætas faciliorem colorandi vivacitatem, & spiritum, genuinum modum presentandi hominum vultus, & quasi vincendi naturam ipsam, unquã conspexit, sicuti in viro hoc, de quo tempora nostra multa cum ratione gloriantur? At transeamus ad res proprias de Genealogia paterna, & materna Serenissimæ Vxoris.

Pictores multi in vultis conjugũ defatigarunt penuicillia.

De Justo Pictore Belga.

Annæ

ANNÆ MEDICÆÆ ARCHIDVcis, Conjugis Ferdinandi Caroli Stirps paterna, ac materna.

At primum de antiquo Generis Medicæi splendore.

Loschi in Arb. de stirpe Medic. fol. 309.

QVæ de claritudine, & antiquitate Medicææ Prosapiæ hodie tantæ ditionis dominatricis, solent afferri, brevi ipse è recensioribus quibusdam, qui Italica lingua scripsere, & maximè è duobus indagavi. Vnus est Comes Loschi, qui de ea hoc modo. Nec mirum, ait, si Medicorum familia tam longo tempore viriliter bellando, ictibus iniquorum infortuniorum resisteret. Etenim in Tuscia firmis radicibus sanguine, & genere plantata, ex quo priscis sæculis Athenis profecta est, inter Florentinorum stirpes principem locum splendore, & autoritate obtinuit; omnique tempestate primorum Europæ hominum Genitrix prodiga, ac fecunda usque ad stuporem evasit. Inter eos Pontifices 4 Leo X. Clemens 7. Pius IV. Leo XI. Horum summorum Sacerdotum, ac Monarcharum potentia quanto prius depressa à fortuna Domus remanserat, tanto deinceps imò & longè amplius ab eamet; nec non & à propria virtute instaurata visa est, atque etiam in majores, ac sublimiores gloriæ gradus posita. Dicitur, eam gestasse antiquitus pro armis Gentilitijs sex vitrea vasa (Italicè *coppe di vetro*) in campo flavo, seu croceo, sanguine plenæ, quæ postmodum in totidem erubescentes pilas commutata fuere ob Gigantis Magelli memoriam. Herois in hac stirpe palmis, & victorijs celeberrimi. Harum eminentior pila modernis temporibus ex indulto regio cyaneo colore, tribus aureis Regum Francorum Lilijs interpositis, appingitur, & hoc ob meritum quoque, ac recordationem duarum Gallorum Reginarũ, germinum Medicææ arboris pulcherrimorum, nimirum Catharinæ, & Mariæ. Hæc ex Loschi.

Ex eadem familia Medicæa Papæ 4.

Ejus Schematis Gentilitij origo. Gigas Mugellus. Lilia Francica.

Quis Abbas Jo: Carolus Coppola.

Alius scriptor mei familiarissimus, & conterraneus vocatur Abbas Joannes Carolus Coppola, vir doctus, & probus ac vitæ integgerimæ Sacerdos; hostisque atrox affectationis, tanto candore conscientiæ, ac morum ingenuitate decorabatur, etsi Aulæ Florentinæ versatus esset. Auctor hic ex Civitate Gallipolis Regni nostri oriundus Canonicatus in Cathedrali Vrbis Neritonensis, ubi paulo ante quam indueret purpuram Pontifex Alexander VII. Coloniæ Nuncius præfuerat, fungens munus, Poema quoddam sacrum Epico atque erudito calamo compusuit (ejus subjectum *Maria Concepta*) atque, miro antificio subtilitate ac pietate elaboratum Florentiæ primum, Pontifici Maximo, cui per gratum fuit, Vrbano VIII. dicatum, deinde emendatius Neapoli 1649. imprimi fecit, ac Magnæ Ducissæ Victoriæ

de

de Rovere, humanis ac pulchris literis ærudissimæ Heroinæ dicavit Factus postea Archipresbiter è Mitra apud Terlizium, moxque Episcopus Muri in eodem Regno, aliud Poema etiam sacrum, & Heroicum scripsit, cujus materies *Cosmus*, sive Italia Triumphans, ac Magno Ethruriæ Duci Ferdinando II. supperstiti sacravit. Florentiæ impressum 1650. Sed paulò post egregius auctor requievit in Domino non sine probabili opinione de ejus integra Virginitate. Igitur Joannes Carolus præter cætera in ea epistola eliminari propè finem hæc uti Cicnus Hydruntinus, immortalis famæ alis supervolans in proposito ad eundem Principem subdit.

Deduxi Serenissimæ Domus, Athenis antiquitus, ut vetustarum scripturarum probant monumenta, florentis, Cognomentum à voce *Meddix*; quæ Oscha lingua supremos significat Magistratus. Ita Fæstus Pompeius, nec non & alij perantiqui scriptores, qui his verbis Ennij conterranei nostri afferunt auctoritatem: *Summus ibi*, ait, *capitur Meddix, occiditur alter*. Conjectaturque efficaciter eandem vocem ab ijs supremis derivari Magistratibus, qui Lucomonorum nomine post ultimum expulsorum Tusciæ Regũ Mezentium, regia autoritate duodecim illius Provinciæ urbes gubernabant. Et jam planè videtur, eos tum Regibus se comparatos esse. Hinc Horatius, loquens de Mecenate, se ab ijsdem Lucomonis descendere jactante, ipsum deriuatum vocat à Rege, ac Regum Tuscorum progeniem. Quam sententiam magis roborat id quod traditur de duabus linguis, Osca nimirum, & antiqua Ethrusca, quarum illa non multum ab ista differebat. Et quod Oschi Populi ita denominati fuerunt ab Oscho Tusciæ Rege. Hactenus Vares ille pro ethimo Mediceæ Domus, essentia, & nomenclatura antiquissima, & clarissima. Longè ante hos auctores Franciscus Sansovinus, inferius etiam citandus, in libro suo Italico de origine, & rebus gestis familiarum illustrium Italiæ, hæc brevi de vetustate Medicææ Prosapiæ promit. Invenitur, ait, Medicorum familia non solum Florentiæ, ubi dominatur, verum etiam Mediolano, unde Pontifex Pius IV. Ferraria, Brixia, Verona, & alijs in Italiæ locis. Sparsa est quoque per Græciam in Regno Cypri, ac Rodij, quemadmodum cuilibet notum est. At num sit ipsamet sanguine eadem, & in suos ramos tantum divisa, sive potius altera origine, & principijs diversa; & num ex Italia in Græciam iuerit, vel è converso, nec scivi, nec invenire potui. Benè ipse istud scio, Medicos Florentiæ, jam multi ac multi anni sunt, dominatos esse varijs Græciæ Civitatibus, uti auditum est temporibus nostris ex legitimis, antiquis, & appobatis scripturis, quas Magno Duci Cosmo nonnulli nobiles Græci ex eadem familia, quibus propterea larga munera contulit Princeps, detulere. Qui ergo dixit, sive scripsit, ipsam novam recentemque esse Domum in ea Vrbe, & per Mugellum originatam, aut invidia, aut ignorantia, ut malignitate motus est. Joannes Villani, qui jam anni sunt 300. vixit, loquitur de Athenarum Duce, facto Florentiæ Domino lib. 11. cap. 2. 15. & 16. Baccius Baldini in vita Magni

Meddix quæ vox sit, & quid significet.

Horatius de Mecenate Lingua Osca, & Ethrusca.

Franc. Sanf. de orig. Domus Mediceorũ fol. 125.

Ducis Cosmi postquam ad oculum demonstraverit eandem antiquitatem, subdit, se credere olim eam diverso è Medicorum nomine appellatam fuisse, Narratque, eam sub isthoc nomine habuisse 62. Priores (Magistratus tunc temporis supremus Reipublicæ) 38. Justitiæ Confalonarios, diversis cum alijs Principatus titulis, tàm in statu Ecclesiastico, quam sæculari: Et certè nos scimus, Joannem Medicæum ante Cosmi senioris tempora animo invicto, ac prudentia singulari Viscontis Mediolani se omnibus suis opposuisse viribus, Florentiæ statum invadentibus: Vierumque equitem splendidissimum, caputque, ac moderatorem totius Civitatis, eam in maxima tranquillitate, ac pace semper servasse; nec non & Silvestrum equitem illustrem cujus acta apud historias Florentinas, in rebus agendis dexteritate, & claritate nominis floruisse. Hactenus Sansovinus, cujus enarrationem de verbo ad verbum transposuimus. Arbor Genealogica, quam sculpere fecit Loschi, taliter ordinatur, sumendo initia è sua radice.

Num. 65.

Lippus 1280.
Auerardus.
Auerardus alter.
Chiaridimus.
Averardus dictus *Bicci*.

At in explicatione, relictis his quinque antecessoribus, à Joannes, sexto loco posito exordiū sumit hoc modo. Joannes, vir puris ac sanctis moribus exornatus, pauperum amans, humilis, ac mansuetus obijt anno Domini 1429. M. S. vero incipit à parente Joannis, & hæc est ejus tabula, & series, jacto prius titulo.

De Familia Medicæa hæc indagavi.

Prima Linea.

Eberardus A. C. 1400. floruit.

Joannes Capitaneus Justitiæ obijt 1428. *

Cosmus Medices primogenitus vir opulentus & Magnificus prima splendoris familiæ Medicææ fundamenta posuit. Obijt 1464. cum natus esset 1389. Vxor, ut advertit Sansov. fol. 126. Comitissina de Bardi è Comitibus Verniæ. Comes Loschi post descriptam hujus incomparabilis patricij magna prudentia, & generositate præditi vitam, ac fortunam principio adversam, demum concludit. *Non compì l'anno in esiglio, che rivocato da gli amici, fù rimesso alla Patria con applauso, e allegrezza indicibile, ove pian piano co'l favore de partiali discacciò, e bandì li competitori, e nimici*

* Ejus secundo natus Laurentius, stirps præsentis familiæ Magnorum Ethruriæ Ducum: Primo vero natus.

Ejus exilium apud Venetos, eum ut magni Consilij virum agnoscentes.

nimici, rimanendo arbitro, e solo del governo, nel quale con tanta modestia, e parità di tratturesi diportò, che n'hebbe con publico decreto il titolo di Padre della Patria, *che avantagiato con acquisto de gli stati, conservò in modo, che nel tempo che visse, non sentì mai, ò temè colpo di sinistra fortuna.* Cosmus Pater Patriæ. *Spese il* Magnanimo Cosimo *quattrocentomila scudi di contanti in edificij publici, e privati, e centomila in souuentioni, e imprestiti à poveri Cittadini, onde si disse, che havesse espilato il tesoro di Baltassar Cossa, gia Giovanni XXIII. che hospite morì nel 1415. nella casa di Cosimo; con quello fù fama si rendesse poi ricco, splendido, e magnifico sopra ogni altro Prencipe.* Magnanimus. Gio. XXIII. mori in sua casa. *Mancò tant' huomo nel 1464. annoverato trà primi personaggi d' Italia: mirabile trà l'altre virtù per havere anni 31. governato con tanta pace, e rispetto una Republica d'emulatione, e volubilità ripiena. Fu sepelito con lagrime universali nella Chiesa di S. Lorenzo per esso fabricata, e sopra la sepoltura d'ordine del commune fù scolpito.* Decreto publico Patri Patriæ. *filius* Cosmi sepultura

PETRVS fovet partes Galeatij Mariæ. Obijt 1572. (*Loschius 1469. error monstrosus, sive sit typographi, sive autoris*) Vxor Lucretia Ternabona. Primogenitus.

LAVRENTIVS Magnus obijt 1492. 8. Aprilis cum natus esset 1448. Calendis Ianuarij. Vxor Clarix Vrsina, quæ præter masculos peperit etiam aliquot fæminas, quarum una Vxor fuit Iacobi Salviati, altera Petri Ridolphi, tertia nomine Magdalena Franceschini, Cibò filij Papæ Innocentij VIII. postrema Ioannis Medices. Ita Sansovinus, &c. Frater ac secundogenitus parentis *Julianus* à conjuratis in templo cæsus 1478. Ejus filius postremus *Julius*, postea CLEMENS VII. Papa 1523. mortuus 1534. Liberi tres, quorum duo postremi *Joannes*, qui postea Leo X. Summus Pontifex, sub quo controversia Religionis à Luthero cæpit anno 1517. & sub PIO IV. Medicæo quoque decisa est post annos 46. in Oecumenico Tridentino Concilio, finito anno à nato Christo 1563. &c.

Ad hæc, ut clarius appareat, quomodo stirps Pij IV. eadem sit cum præsenti, de qua agimus, afferam brevi id quod adnotavit Onufrius de hac familia in vita ejusdem Pontificis. Medicorum gentis, ait, quæ Florentiæ ex popularis ordinis (*hoc alijs non probatur*) honorifico tamen statu, ad summam dignitatem, urbisque principatum nostro tempore pervenit, quosdam bellis civilibus, quibus ea Civitas perpetuò laboravit, profugos, in varias terræ Italiæ urbes, Veronam, Cremam, Orbitum, Mediolanum concessisse, qui hactenus ex ea gente, in ipsis Civitatibus supersunt, testimonio sunt. Onuphr. in Pio IV. de stirpe Medicæa. Eam familiam, quæ Mediolani subsistit Bernardinus Corius historiæ Mediolanensis accuratus scriptor, & veteres quidam annalium Floren- Familiæ Medicææ Mediolani quis scriptor.

 tinorum

Arma Gentil. Medicorum Florentiæ.

tinorum sine nomine auctores memoriæ prodiderunt. Vetusta Medicæorum Florentiæ insignia pilæ rubeæ incerto numero aurea parma fuere, quæ novem primò, deinde octo, postea septem, novissimè sex trianguli specie concinnatæ, superioris ordinis mediam Regum Francorum insignibus ex eorundem dono decoratam habuere. At Mediolani vetusti Medicæorum Clypei rubei coloris pilam tantùm auream tulisse adhuc conspiciuntur. Hi postea Florentinis similes facti, Medicæorum Mediolanensium fortuna à Mediolani Marchione instituta, Pij IV. Pontificis Maximi pater *Bernardinus* Medicæus *Joannis Jacobi* filius honestæ inter cives suos conditionis publicarumque vestigalium redemptor, ex Vxore *Cecilia* Sorbellonia ad 14. filios suscepisse traditur, ex quibus decem ad maturam ætatem pervenerunt (quorum secundonatus *Joannes Angelus*, deinde Pius IV.) quinque mares, & totidem fœmiæ. Ex sororibus Pij IV. tres Maria, Lucretia, & Anna moniales Dominicanæ. Harum natu grandior Clara Vulcano, alias *Wolf* Comiti Altæmpsio nobili Germano in diœcesi Constantiensi nupsit. Minor verò *Margarita* Giberto Borromæo nobilissimo Mediolanensi Comiti desponsa, ac S Caroli mater, &c. Itaque stirps *Serbellona*, de cujus antiquitate, & splendore Paulus Morigia Mediol. idiomate Italico lib. 4. cap. 4. muliebri sanguine Medicææ juncta, genuit per Ceciliam Pium IV. Christi Vicarium, & per Margaritam ejus filiam S. Cardinalem Carolum Borromæum.

Clypei famil. Med. Mediolani.

Stirps Serbellona.

PETRVS Magni Laurentij filius à Gallis pulsus 1490. perijt in ostio Lyris 1503. (*Loschi suffogato nel Garigliano*) Ejus fratres Ioannes LEO X. Papa 1513. *Julianus* Magnificus obijt 1516. Ex concubina Hippolytus Cardinalis, Asdrubal eques. Vxor Petri Alfonsina Vrsina. Liberi duo *Joannes I.* parens Ioannis II. & hic Cosmi: &

LAVRENTIVS Dux Vrbini obijt 1519. decimo mense matrimonij, quod contraxerat cum Magdalena, Ioannis Comitis Bononiæ, & Averniæ filia Galla, quæ *Catharinam Reginam* Galliæ Regis Henrici II. Vxorem enixa, in primo puerperio perijt.

ALEXANDER ex concubina Dux Florentiæ 1. 1531. obijt 1537. Vxor Margarita Caroli V. filia.

Secunda Linea ex eodem stipite progressa, ac deinde tertia in Ferdinando I.

Hæc ex Comite Loschi.

Laurentius Cosmi Patris Patriæ frater. Vxor Gineura Cavalcanti.
Petrus Franciscus. Vxor Laldamia Acciaivoli.
Joannes I. Vxor Catharina Sforzia.
Joannes II. Vxor Maria Salviati.
Cosmus Senensium Dux I. primusque Magnus Dux Ethruriæ, à Pio V. Pon-

M S ibidem usque ad finem.

V. Pontifice creatus, ac Alexandri, in quo recta Linea intercisa, successor. Hunc decimo gradu Alexandro agnatum, & Laurentij (fratris Cosini illius Magni, qui primum splendorem, & opes familiæ Medicææ fundavit, & 1464. obijt) abnepotem fuisse tradunt, & ab Eberardo Medices, qui circa 1400. in Reipublicæ Florentinæ administratione vivebat, seriem familiæ deducunt. Natum enim esse ex Eberardo Ioannem, qui Capitaneus Iustitiæ fuerat, defunctum 1428. & hunc duos filios reliquisse, Cosmum magnum, opulentia, & splendore clarum, & alterum obscuriorem Laurentium; cujus ex filio Petro Francisco nepos fuit Ioannes, miles egregius, pater Ioannis, in bello Mediolanensi anno 1526. Scopleti ictu extincti, quo Cosmus Medices Magnus postea Hetruriæ Dux natus est. Hactenus M. S. sub tabella priori. Verum in altera immediata ista explicitius de Ioanne I. & de II. illius filio.

Ioannes I. filius Petri natus ex Laudonia Arriagola, frater hujus fuit Laurentius à patruo Leone X. Pontifice Dux Vrbini constitutus, cujus filius fuit *Alexander* ille Dux Florentiæ, qui *Margaritam* Caroli V. Imperatoris filiam Vxorem habuit, quo defuncto, eadem Margarita nupsit Octavio Farnesio Parmæ, ac Placentiæ Duci, ex qua genuit Alexandrum Farnesium Ducem Parmensem, ultra decennium Regis Philippi nomine in Belgio non minore prudentia, quam felicitate gubernantem. Et filia ejusdem Laurentij fuit *Catharina* Henrici II. Galliæ Regis Conjux, cujus filia Claudia minor natu nupsit Carolo Lotharingiæ Duci, ex qua nata est Catharina, Vxor Ferdinandi 3. in ordine Magni Ducis Hetruriæ, sive Florentiæ. Ioannes II. filius primi, & Catharinæ Sforziæ ex Maria Salviati genuit Cosmum, cui primo omnium dignitas illa, illudque nomen Magni Ducis Hetruriæ contigit, cum antea in toto Christiano Orbe nemini tribuebatur, quam Archiducibus sive Magnis illis Ducibus Austriæ, quibus præ cæteris hæc dignitas, nomenque hoc eximium propriè convenit. Verum quanto cum triumpho, quantisque sollemnitatibus his Ioannes à primo illo Cosmo septimus in recta Linea descendente, Romæ à Summo Pontifice & Cardinalibus exceptus sit 18. die Martij anno 1569. alij scripserunt, æneis typis ad oculum insigniter expresserunt, ad quos lectorem hinc remittere volui. Hæc M. S. Igitur ut ad arborem Loschianam revertamur, Cosmi I. magni Ducis proles octo, quorum duæ tantum fœminæ, primo nata *Isabella* Ducissa Brachiani, postremò genita Lucretia Ferrariæ Dux. Masculi, *Joannes*.

De Margarita Caroli V. filia Belgij gubernatrice.

De titulo *Magni Ducis*.

Franciscus secundus in ordine Dux Magnus Florentiæ quietis, ac solatij peramicus: ipse mirandum, ac delitijs ingentibus confertum, Palatium hortumque vulgò Pratolinum construxit. Vxor Ioanna Austriaca Imperatoris Ferdinandi I. Caroli V. fratris, Philippi Formosi secundo nati, Maximiliani I. nepotis, Friderici IV. pronepotis, Alberti II. consanguinei filia. Liberi ex hoc Conjugio, Maria Franciæ Regina Henrici IV. Gallia-

rum Regis Vxor. *Leonora* DucissaMantuæ ex marito Vincentio Gonzaga. Duxit etiam BlancamCappello nobilemVenetam,ex qua AntoniusMarchio Capistrani. Sed propter sobolis masculæ & legitimæ defectionem, regimen assumpsit alter Cosmi filius

Ferdinandus I. ex S.R.E. Cardinali Magnus Dux, & verus,& magnæ famæ Dominus, Regis potius, quam Reguli majestate,& splendore nitens. Ampliavit redditus, auxit populis Civitates uberrima fericorum, & lanarum finissimarum mercaturæ introductione. Ejus fratres *Joannes* Cardinalis, *Garzia*, *Petrus*. Vxor *Catharina*,filia Ducis Lotharingiæ Caroli ex Claudia Henrici 3. Regis sorore nata, ducta Majo 1589. Florentiæ sumptuosissimis nuptijs celebratis. Apud Loschi verius Conjux Ferdinandi nuncupata.Proles septem,ex quibus tres fœminæ & mares quatuor,suntq; omnes,*Catharina* Ducissa Mantuæ,Vxor Ferdinandi DucisMantuæ,de quo suo loco. Claudia cui I. maritus Vrbini Princeps Fridericus, filius DucisFrancisci Mariæ,nepos Guidobaldi Ducis (ex hoc Isabella,Bisignani Princeps,& VirginiaBoromea)pronepos Francisci Mariæ I.Ducis Vrbini,acPesari,parentisq;Julij Cardinalis S.Petri in vincula,acJuliæAlphonsi Exstensis conjugis. Abnepos Joannis, Sinagaliæ Comitis, Soræ Ducis, Romæ Præfecti, mariti Ioannæ Ducissæ Vrbini ex genitore Friderico Vbaldino I. Vrbini Duce,filio Bernardi Vbaldini, parenteque Gidobaldi Ducis Vrbini,ac ultimi in hac linea. Atnepos Raphaelis ex Sauona Liguri, qui genuit Iulium II. Pontificem Maximum (hujus filia nat. cum esset parens adhuc in sæculoFelix nũcupata,ac Hieronymi VrsiniDucisBraciani Cõjux) Bartolomeum Ferrariæ Episcopum,ac Antiochiæ Patriarcham, Leonardũ Ducem Soræ, & Lucretiam Colunmam. Trinepos Leonardi, Xisti IV. Papæ ex ordine S. Francisci parentis. Ista est tota series Vrbini Ducum tam ex stirpe *Vbaldina*, quam ex illa de *Rovere*. At *Monsfeldria* in eo statu, qui Ecclesiæ sub Vrbano VIII. devolutus est, regimen prius tenuerat:& principiò Odo Antonius Mons feldrius 1153. deinde Federicus ejus filius, cui frater Guido Antonius: postea Feldranus, cui successit Federicus Vrbini Vicarius, ac frater Guidi Antonij Vicarij Cagli. Mox Monsfeltranus filius Friderici, parensque Guidonis Domini Augubij, ac primo Comitis Vrbini,uti filius, ac hæres Odo Feldrius occisus, genitor Guidi ultimi Vrbini Comitis ex hac familia. Alter Claudiæ maritus Archidux Austriæ Leopoldus supra dictus. Fratres Claudiæ *Carolus* Cardinalis superstes, *Laurentius*, *Franciscus*, *Maria*.

Series Ducum Vrbini ex stirpe de Rovere.

Cosmus Magnus Dux Ferdinandi I. filius valetudine parum secunda,quinimo diuturno, atque habituali, ut aiunt,morbo affecta. Quamobrem omnem hujus vitæ gloriam, atque granditatem spernens, se invidisse privatorum sanè viventium conditioni passim asserebat. Tota ejus mundana

dana felicitas in ducenda Vxore Maria Magdalena Austriacà, Ferdinandi II. Cæsaris, filij Caroli Archiducis, sorore: atque in gignenda optima sobole, ut sequitur.

Ferdinandus II. Magnus Dux superstes. Vxor Victoria de Rovere, soror uterina nostri Archiducis Ferdinandi Caroli. Fratres Ferdinandi Sex. *Margarita* Parmæ Ducissa vivit magni nominis Princeps in statu Viduitatis. Fuit Conjux Odoardi Ducis Parmensis, qui parens fuit Petri, Alexandri, Horatij, Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, sed ejus primogenitus, & successor Rainucius Dux Parmæ. Tota stirps Parmensis quæ hodie regnat ab annis 1037. Origo Petrus Farnesius Consiliarius Orbieti. Parens Petri II. Orbitanorum Capitaneus, Avus Prudentij Orbieti Consiliarius. Proavus Petri 3. Consil. Orb. Abavus Ranutij Consil. Orb. & Florentinorum Capitaneus. Atavus Ranutij II. Primatis Orbieti, & Capitanei Santæ Ecclesiæ. Tritavus Petri Florentinorum Capitanei: ac Genearches Ranutij Franesij Montisalti Domini, cui filius Petrus Ludovicus Farnesius, Nepos Paulus in Ponfelice, Pronepos Petrus Ludisius Dux Camerini, postea Parmæ, ac simul & Placentiæ I. parensque Alexandri, & Ranutij Cardinalium, quorum prior Summus Pontifex Paulus III. Horatij & Victoriæ, ille Castri, hæc vero Vrbini Dux fuit. Abnepos Octavius Dux Parmæ, Atnepos Alexander Dux Parmæ, pater Odoardi Cardinalis, & Margaritæ Mantuæ Ducissæ, sed repud. Trinepos Ranutius Dux Parmæ, ex quo Odoardus commemoratus, conjux Margaritæ, Alexander, Franciscus Maria Cardinalis, Maria, & Victoria Duces Mutinæ, ac postremo Octavius, sed naturalis. Soror Margaritæ

Origo stirpis DucumParmensium infra. in 4. p. distinctior.

Anna Archiducissa Oenipontana Conjux Ferdinandi Caroli Archiducis Austriæ, Comitisque Tyrol. ac, si superis placebit, paterni Stemmatis Propagatoris, edito Principe Archiduce. Alij Principes, ac fratres Magni Ducis Ferdinandi II. *Joannes Carolus* Cardinalis, *Leopoldus Franciscus, Matthias.* Hæres & successor

Cosmus Magnus Princeps, magnæque expectionis puer. Vivat in Dei gratia, sine qua nihil boni Principes efficere possunt. Mediteturque illud Onuphrij dictum in Leone X. *Gens Medicæa, quæ nunc rarum in Ethruria potitur nomen lectissimorum virorum prole fœcundissima.* Vt sic fomite adeo nobili Aquilinis oculis tot proavorum soles inspiciendi firmiter conetur.

MATRI-

MATRIMONIVM XVIII.
AC VLTIMVM DVPLEX.

Ferdinandus III. Imperator Invictiſſimus, duxit ſecundò Archiducem Mariam Leopoldinam patruelem 1647. ſub anno 3. Pontificatus Innocentij X. Imperij verò ſui 10. Tertiò Leonoram Gonzagam 1651. ſub eodem Pontifice anno 7. at ſub proprio Imperio 14.

Binum, ac poſtremum hoc connubium etſi auſpicatiſsimo Hymeneo celebratum, temporis tamen avaritia valde ei adverſa, & meroris plena

DVo Monarchæ, unus Rex, alter verò Imperator, ille in Hiſpania potens, hic autem in Germania, hujus tertiæ partis ſcriptionem meam termi[illegible]nt. Prior Philippus IV. Ibericis matrimonijs uſque ad hæc noſtra tempora finem dedit; aſt hic poſterior dabit Germanicis, undè principiò tota Auſtriæ Domus fortuna initia ſuſcepit valdè egregia, & incrementum, à ſæculis nondum viſum, neque auditum. Succedaneorum conjugiorum meta ita incerta, quemadmodum & ſtirpis propagatio, ac meæ vitæ, ſub anno 53. mole carnis valetudine haud ſecunda & rudi tunica ſibi debita oneratæ, curricula. Si alijs datum futurorum celebratio calamis, procul dubio ſtylo longè meliori ſupplebunt meos defectus, ac congeſtum embrionem ad diſtinctiorem reducent formam.

Igitur extincta Regina, & Imperatrice Maria priore Conjuge anno, ut diximus, 1646. decrevit poſtmodum Cæſar Ferdinandus Erneſtus alterũ Conjugium inire, maximè, quia ætas in eo nondum annum 41. excellerat. Fama Angelicæ pulchritudinis, ingenti pudore, & honeſtate preditæ, Sereniſſimæ Principis Mariæ Leopoldinæ, patrui ſui fortiſſimi, ac pijſſimi Archiducis Leopoldi ex Claudia conſobrina poſtremò natæ, nec non & ſibi patruelis audita, ac per teſtes oculatos eidem Cæſar pluries concredita, reſoluit tandem hanc anno prædicto, qui erat alter poſt nuptiarum Ferdinandi Caroli fratris cum Anna Medicæa celebrationem, eligere in Vxorem, pro ut effecit non ſine maxima ſui pectoris, & ſenatus Conſultus voluntate, & lætitia. Miſſis propterea nuncijs, Legatis, hi cupidinem, & decretum Cæſaris Sereniſſimæ parenti Claudiæ literis, & voce de more explicaverunt. Certior facta Maria filia de patruelis Imperatoris lubitu, & electione ab ipſa Matre,

De Imperatrice Maria Leopoldina Archiducis noſtri ſorore nonnulla.

Matre, non elata in superbiam, ab ejus corde, generosa humilitate venustato, alteram statim visa est, sed magno memore, & confusione affecta, cadentibus etiam è suis oculis flectibus. Se ipsam illinc tanti conjugij indignam dicebat, isthinc vero sibi præferendam esse sororem suam Claram Isabellam, nativitate majorem, ac longè amplius meritis, & dignitate, germana candidaq; attestatione (pro ut in rebus omnibus se gerebat) confitebatur. Ætas amabilissimæ adolescentis Leopoldinæ annos 15 vix cõpleverat. Ejus nanq; nativitas die 6. Aprilis 1632. contigit Profectus ipsius ab hac aula Linziũ versus, ad nuptias cum Cæsare patruele ineundas, ingentẽ luctũ Civibus, subditis, ac aulicis omnibus dereliquit. Etenim tanta in ea sub illis puellaribus annis modestia, tanta humilitas, cordisq; teneritudo, & cõpassio tum erga culpabiles, pro quibus matrẽ, ut illis parceret, incredibili Charitate supplicabat, tũ erga indigentes, sive ex aulicis, sive ex aliengenis; Dei timor tãtus, pietas, mansuetudo, qua mellifluo ore, in quo maximè ejus decor excellebat, etiam cum ancillis, & seruis tractabat; tanta demũ remotio, & devotio, ut ejus amissio eo amplius acerbior suis evaserit, quo gratior præsentia, in qua arram quandam, summæ ejus felicitatis prænunciam, Deus, & natura posuerant. E fœminis Austriacis nonnisi sororem Leopoldinæ, quæ nunc Mantuæ præest, Archidux profectò amabilissima, ac tractabilissima, ejusque patruelem Electricem Bavaram Viduam superstitem, Mulierem valde spectabilem, ac nobilibus moribus excultam conspexi, licet ex alijs familijs, ut Medicææ, Gonzagæ, Parmæ, Rovere, &c. plures vidi, à quibus benignè acceptus, earum singularem clementiam admiratus sum. Quæ tamen hic de sponsa, ac Imperatrice Leopoldina scribo, è communi nomine, & omnium ore mutuavi. Adhuc multi, qui diutinam praxim cum ipsa habuere, egregiam ejus indolem, simplicitatem Columbinam, Serpenti prudentiæ consociatam prædicant, laudant, illacrymant. In ejus perdelicato corpusculo mira concinnitate membrorum compago cernebatur. Candida vultu gratiosè, oculis haud circumvagans (talis enim mos lascivientem animum arguit in mulieribus) sed composita, & inde gratior, & amabilior. In ea profectò compertum, & admirandum illud Platonis ex Socrate, quo de pulchritudine asserebat Ambrosius, *Species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis.* Quod adventens Galenus de Heroibus, ajebat, *Heroes decentissima Specie fulgere consuevit.* At de isthac Heroina alibi fusius, ubi de Seraphicis Mulieribus Austriacis, singulari dilectione erga fratres Minores addictis. Hasce & quãplurimas alias prærogativas, & dotes expertus est Cæsar maritus, vix incredibili hilaritate, & Majestate ei Linzio occurrendo, ubi per plures dies nuptiæ celebratæ Imperiali pompa, & sollemni apparatu: præsentibus cũ Seren. parente Archiducibus nostris, qui eam splendido cõitatu associaverãt, ut superius dictũ est. Ferunt, Imperatorẽ primò cõtuitu de sponsa sua, adeo formosa, & perhonesta, gravique forma, & incessu sub tenella forma obstupuisse. Vbi dein principiò ad prandium itum, vix poterat Cæ-

D. Ambros. lib. 2. de Virg.

Galenus.

sar suos ab ipsa oculos, Majestatem spirantes, avertere; ubi è converso honestissima sponsa, submissis oculis omnia peragere assueta, in Cæsaris faciem lumina extollere minimè audebat, tota rubore perfusa, & tota castimoniæ nitore erubescens. Reversis huc cunctis Archiducibus, reductaque Viennæ à conjuge Cæsare Conjux perdilecta, paulò post in illo pudoris simulacro gravescens uterus effectus est. Hilaritas Imperatoris de prima egregiæ sponsæ suæ fæcunditate metas ipsius gaudij, ac pectoris sui supergrediebatur. Non poterat Cæsar non efficaciter sibi persuaderi, lustra plurima talamo tam Augusto, & felici cum ea se transiturum. Spem tamen ejus delusit fatum, imò & Deus ipse, Principum fidelium vita ærumnijs afficere, ut amplius sua eos firmaret amicitia, & à gaudijs hujus Mundi affectu alienaret, assuetus. Et ut magis magisque divinum hoc experimentum & artificium de animi Ferdinandi constantia, Numinis voluntati, & Imperio conformata, mirandum, ac cœleste appareret, voluit æternus parens, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, uno eodemque tempore summa lætitia, ac summa tristitia cor ejus perfundere. Et quæ consolatio, quæ viscerum suavitas, & dulcedo illa Cæsaris, audiens Vxorem suam masculam prolem anno illo auspicatissimo 1649. mense illo Sextili, qui nonnisi ex Octaviani felicitate Augusti nomen sortitus est? Sed ehu miserrima ac Lunatica deliciarum præsentis vitæ variabilitas, quæ tanto ferocius mœrore ac luctu humana pectora concutit, atque convestit, quanto fæcundius immodica delectatione ea antea perfusit. Nondum enim tres tantum (& fortè minus) transierant dies, quando geniti infantis vita, puerperæ Reginæ mortem intulit. His adversantis fortunæ mortalis ictus viscera Cæsaris immani vulnere confodiens, si ipse Cæsar non interit, fuit sanè rarum summæ tolerantiæ Miraculum, supernæ Providentiæ subjectione nobili conformatæ. Voluit tamen Deus prolem servare (in ea, octennio nondum expleto, Matris imago, nec non & patris naturæ, & morum lineamenta appicta admirantur) ut parentis dolor per eam temperaretur. Obijt ingenua Heroina Christianissimè, è recentis sanguinis profluvio in puerperio necata. Ejus immatura mors totam ferè Europam, quam antea ejus conspicuæ vitæ fama hilaritate affecerat, contristavit. Vixit annos 17. & non plusquam 2. cum Cæsare Conjuge. Nomina Archiducis Infantis, ac magnæ expectationis pueri, Ferdinandus Carolus Iosephus, cui multos annos apprecamur.

De 3. Ferdinandi III. Imperatoris Conjugio nonnulla. Ubi postremò de prisca, & illustri Gonzagorum stirpe, è Caroli Magni sobole derivata.

IN Conjugio mox præhabito ortus unius puerulı intempestivum occasum peperit, ac nocte perenni lucem maternam, sub hoc Oenipontano Coelo natam, ut totum terrarum Orbem lumine claritatis Christianarum virtutum perlustraret, sepelivit. In præsenti matrimonio res secus; propterea quod natus Infans Martio præterito, & fortè tanquam alter Mavors Austriacus, Barbarorum & Hereticorum tyrannidem exterminaturus, ejus vitæ principium finis vitæ Cæsaris fuit, ut alibi dictũ, & uti etiam quamcitius dicendum.

Imperator ergo Ferdinandus III. gloriosæ memoriæ, post 4. annorum elapsionem ab interitu alterius Conjugis, & Imperatricis Mariæ Leopoldinæ virilem ætatem, hoc est annorum 45. agebat. Tamen valetudo in eo valdè modica, & ab immensis curis, & laboribus, morbo, è certa tabe (hujus radicem non benè penetrasse medicos, post obitum compertum est) exorto, attenuata, etsi plerumque non sine præcipuo Divinæ gratiæ auxilio fœdus cum ea pepererit. Hinc deliberans tertia vice Vxorem ducere, non aliæ sponsæ suũ ipse Cæsareũ animũ applicuit (licet plures magni nominis Principes valdè id concupierint) quam Serenissimæ Eleonoræ, natæ Mantuæ Principis. Hæc, ni fallor, sub 22. ætatis anno certior facta est de postremo Cæsaris lubitu, currente Sanctissimo Jubilei tempore. Nam ipse anno 1642. salutaris obedientiæ merito Mantuam à Ministro Generali totius ordinis fratrum Minorum missus, ut Adventualem prædicationem Cathedrali Ecclesia illius Civitatis haberem, & domestico more à Serenissima Maria parente tractatus, reperi adolescentem Ducem Carolum in ætate annorum 14. & anno uno tempus sororis tantummodo excedentem. Anno postmodum commemorati Jubilei 1650. illinc transiens, Mediolani in Templo S. Mariæ vulgò de Jardino apud Minores nostros quadragesima concionaturus, bis Aulæ accessi, & Ducem Mariam (Matrem carnalem regnantis Principis, ac nostram Spiritualem propter incredibilem in fratres Minores dilectionem) & cum ea simul filiam Eleonoram futuram Cæsaris sponsam humillimè salutavi, cui pariter brevibus, ac sinceris verbis, ex devoto pectore emissis, Cæsareas nuptias, anno sequenti deinde celebratas, auguravi.

Deliberatio Cæsaris de tertijs nuptijs ineũdis.

Ætas Imperatricis, ac sponsæ Leonoræ.

Quod etiam vaticinium, paulò antè quam Venetia discederem, more poetarum è nomine ejusdem Principis prælibatum, ejus parenti in quodam libello Italico m.s. proprijs manibus exhibui. Afferam in hoc loco iterum impressum, quemadmodũ etiã attuli in quadã cantione, Italicè à me in laudem ejus tempore suæ coronationis in Romanam Imperatricem composita.

Serenissima Eleonora Gonzaga Prencipessa di Mantua

Anagramma.

Anno 1650. compofuit auctor.

Alm' à S'insigne omai
Degne Nozze con se *Austria* prepara.

Vna tantum mutatur, nempe S. in Z. illa simplex, hæc vero duplex litera. Inter utramque discrimen paucum, ac multa similitudo. Imo antiquitus, aiunt, loco Z. unico aliquando S. scribebāt, ut *Sacenthus*, *Sethus*, *&c.* Quæ verò tradidi in commemorata cantione, fortè inferius repetam.

Non assentatores, qui fortè pluries fucatis verbis præsentaverant, Eleonoram juvenculam inter gemmas esse quod est in gemmis *Carbunculus*, quod in Nymphis *Diana*, quod in sideribus *Luna*, quod in floribus *Rosa*; quod in coloribus *Lux*, quæ anima est colorum, & sine qua colores tantumdem atque umbræ lucent; non inquam hi vani, ac mendaces homines animum Cæsaris traxere, uti spretis alijs conjugijs, tertium cum Eleonora perageret, sed clarius nomen, sed fama verior, sed rumor ille; cum quo Heroū non perit memoria, sed continua vita pulcherrimè perennatur. Minus sapientum animos extra se rapiunt oculorum delineamenta: pupillæ nempè ebeno nigrescentes, comæ capitis citrinitæ, cervix alabastrina, labra corallis animata, dentes eburnei, lingua rosea, halitus nectareus, & cætera muliebrium corporum lumina, quæ improvidi mortales insanientium sæpè affectuum habent irritamenta. Non hæc corruptibilia prudentissimus, ac sapientissimus Cæsar cæpit adamare in postrema sponsa sua: sed diviniores dotes, pro quibus nec dubitabat, nec falli poterat. Ore Veritatis sincerissimo, eas nobilissimæ juvenculæ ingenium perspicax, prudentia mascula, Cor candidum, & amabile, Pietas ingenua, Celsitudo animi Christiana sobrietate instructa, Constantia virilis, Comitas, Eloquentia, pudor, & modestia avita, quibus plurimæ Gonzagæ stirpis fœminæ etiam sanctitate ornatæ non solum ad stuporem, sed quasi ad miraculum floruere; & pulcherrima quæque virtus (amore cujus insigniores, conscientias Principum condecorantes, ab incunabilis exemplum Serenissimorum Avi, parentum, ac fratrum secuta, è strictioris observantiæ religiosis didicit) Sapienti æstimatori Cæsari suspiciendas, atque amandas objecere.

Qua de re ubi demum resolvit cum ea sponsalia celebrare expeditis literis, ac legatione ad viduam matrem, atque adhuc ditionis Gubernatricem, nec non & ad Fratrem, qui paulo antè Claram Isabellam eiusdem Cæsaris patruelem in Vxorem asciverat,

rit, anno commemorato 1651. Comitibus supradictis Teutoniæ iter arreptum, nostri Serenissimi Archiduces illico anticipata, ut par erat, sedulitate, ut ei obuij fierēt, in servirent, salutationē, & amplexus exhiberēt. statim omnia, ad tantum occursum spectantia paraverunt: Mandantes insuper mihi, ut Hebdomadæ Sanctæ sermones de Passione Domini, coram se, & Imperatrice sponsa Liens Civitate hujus Provinciæ ad confinia proponendos, mecū haberem. Verum improvisa, ac maligna febris, quæ die tertio vita periclitari Principem indicavit, ac simul vehemens catarri fluxus, cui febris quoque nimis fastidiosa accesserat, Conjugis Archiducis, vix tempus, locumque eis reliquerant, ipsorum saluti, ac valetudini, tam præpopero ac mortali aggressu vi morbi impetitæ, attendere. Interim dum per Dei gratiam (S. Nicolao de Bario, cujus mirabilem liquorem, ex ejus ossibus perenniter emanantem, utrique Archiduci meis manibus illa, qua decebat reverentia, porrexi, & ipsi magna fide, ac devotione sumpsere intercedente) ceperunt aliquanto vires assumere, jam vitæ discrimine devicto, confines Tyrolis pertransiit Sponsa, associata à suis usque ad occursum Legatorum, & Oratorum Cæsarianorum; unde postea reditus Mantuam suis cum Principibus assumentes, Dux Mater eadem via quam antea confecerat per Tridentum ad propriam regiam se transtulit: Filius vero Carolus II. cum conjuge sua ad suos consubrinos invisendos huc appulit, sicut semel, & iterum alibi scripsimus. Teatrum pro sollennitate Augustarum nuptiarum, ac pro alijs spectaculis, quæ deinde Viennæ aucta fuere, ac miro modo perfecta, Linzium extitit. Non defuere scriptores, qui omnia ad tantum matrimonium spectantia, tam Italicè, quàm Latinè perpolitè enarrarent: ad eos lectores remitto. Meritum sponsæ Eleonoræ, erga quod totus amor Cæsaris mariti non secus ac erga illum præteritarum conjugum ac Imperatriciarū Mariæ, & Leopoldinæ, versabatur, eā triplicem Reginam constituit, nimirū Hungariæ, & Bohemiæ, ac demū in Comitijs Imperialibus Ratisbonæ anno 1653. Romanorū. Quæ ipse cecini carminibus Italicis præfatæ cantionis, cui titulis, *Le Grazie festanti nella incoronazione della Imperatrice Eleonora* paucis numeris, nonnullis paragraphis distributis, explevi. Duo præcipui hi.

Co'l Divo del' Impero
Strinse Santo Ligame,
*E con l'*AVSTRIACE FASCE
Le quattr' AQVILE *tue.*
All' ISTRO, *ed all'* IBERO
Corse il MINCIO: *il Reame*
Bagnò d' occaso, e'l Sol fin dove nasce;
Nè del TEBRO *maggiore il corso fue.*
Il Motor dele Ruote

Auctor de Imp. Eleon. Italicè.

 Chri-

Christalline, e perenni
Tanto sà, tanto puote
Co' suoi semplici cenni.
Ei pensa come possa al Tracio incarco
Spezzar lo strale, e l' Arco.
La Cesarea bipenne
Recida omai l' antenne
Nate all' Ismaro infido;
Ancida il Drago ove usurpossi il nido.
Già FERDINANDO *il Grande,*
Ritolto ad altre bande,
Hor che' l Barbaro freme,
Con la STIRPE GOZAGA *uni sua Speme.*
E mentre l' amò tanto,
Pregiossi haver da lei
I forti Herói, per fulminar Tifei.
Felicissima DIVA,
Sacro orator più volte
M' ascoltasti Fanciulla
Nella Regia natia.
L' Alma tua pura e viva
Con maniere raccolte
Fisa al verbo divino, il fragil nulla
Spreggiò (Signora à se) fervida, e più.
T' inchinai PRINCIPESSA,
Hor t' inchino Regina,
E non più quell' istessa,
Mà un altra, e più divina.
Vidi le GRAZIE *tue, ch' omai vagheggio*
Sovra L' AVGVSTO *seggio.*
Al Diadema Romano
Voler del Rè sourano
Ti destinò, che certo
Doveasi un sommo premio al tuo bel merto.
Le tue Doti adorate
Al par d' Albe animate
Sù l' asse di due Poli
A più AVRORE *vedran sorger più* SOLI.
Dal nostro al Mare infido
Spiega l' ale il tuo grido,
E con degna ragione
Fà correr à' tuoi piè Scettri, e Corone.

Vertigia

Vertigin non t' assale,
Si fiera in altre bande,
Ch' ALTA *nascesti, e sol per esser* GRANDE.

Primis annis peperit Eleonora duas fœminas, quarum prior *Teresa Maria Josepha* superstes, nata, ut fert Bucelinus, 1652. die Martij 26. Demum in hoc anno 1657. eodem Mense natus Archidux Infans, ac simul parens Cæsar 2. Aprilis extinctus, ut superius diximus. Causa ejus obitus, verè Austriacus, quia verè pius, ac religiosus, ingens vomitus, vehementi membrorum, & maximè pectoris concussione exortus. Assistentes Medici, quibus lenti pulsorum ictus paucum robur, ac virtutem Cæsari inesse indicabant, nè eo impetu necaretur, illum aptis antitodis impedire & alia via abundantiam humoris expellere consultò satagerunt. Sed nihil remedium profuit, quin Deus, in cujus immutabilium decretorum manibus mors & vita, & cum his hominum Sortes, Regi suo fideli, in Domino obdormienti æterna præmia retribueret. Quidquid errati vel ex parte medicorum, vel ex parte infirmi contigit, teste D. Hieronymo, & alijs, Providentia Cœlestis fuit, quæ exinde, *in sui dispositione non fallens*, ponensque rebus corruptibilibus *terminos, qui preteriri non possunt*, etiam vult à mortalibus, sive nascentibus, sive in solutionem vitæ abeuntibus cognosci, & confiteri. Imperatrix Vidua junior Imperatricis Viduæ Senioris, ac materteræ suæ prædilectissimæ religiosam, ac laudabilem vitam imitari jam incæpit. Haud dubitandum, quin ejus exercitatio in præsenti viduitatis statu exempla ejusdem, nec non & Aviæ Margaritæ Sabaudæ, & parentis Mariæ, ac principaliter Mariæ Julianæ consobrinæ, de qua egimus in matrimonio Ferdinandi II. Archiducis, sit secutura. Vivat Nestoreos annos, copuletque juventæ lustra sex cum dimidio annis senectuti majoribus virtutum incrementis, Reginis, ac viduis Elisabethis, altera Hungariæ, altera vero Portugalliæ, consimilis effecta.

Liberi.

Obitus Cæsaris, & ejus causa.

Genealogia Imperatricis Leonoræ junioris superstitis, postremæ Ferdinandi III. Imper. Conjugis.

VII. ferè Sententiæ de origine Gonzagorum emersere.

NObilissimæ ac pervetustæ Gonzagorum Prosapiæ initia pervestigare, perdifficile equidem opus. Nam diversi diversa de ea tradidere scriptores, & passim inter se contraria, & adversa. Frater Jacobus Philippus ipsam derivari jam ann. 600. à quodam Ludovico Germano ex regio sanguine pro comperto habet. Alij deducunt ipsam à Germanis, sed ab his tantum, quos expulit Imp. Carolus Magnus, quique proinde in Insu-

I. Sentia.

II. Sententia.

briam

III. Sententia. briam domicilia quæsiere. Paulus Diaconus lib. 1. fert, Iborem, & Agionem Duces ab insula Scandinavia Longobardos extraxisse; appropinquante autem morte, eorum Ducum regimen non amplius volentes Populi illi, sed Regis, elegisse in Regem Agionis præfati filium nomine *Agilmundum* ex antiqua Gongingiorum prosapia, quam ceu stirpem generosam existimabant. Ab his Gongingijs postmodum juniores prodijsse Gonzagos nonnulli autumant.

IV. Sententia. Deinde alij narrant, sedem tenentibus Ticino (vulgo Paviæ) Regibus Longobardorum tres fratres armorum & equitatus professores, illuc, ad Domini sepulchrum transituros, profectos ab Alemannia appulisse: atque eorum primum (alterum Crissagum, postremum Hugonem) Ganzagū dictum esse: sed Gonzagum pro suo Duce elegisse Mantuanos, Crissagum iter prosequutum, ac mox regressum, mansisse Ragusium, Hugonem Brixianos Mantuanis confederatos adversus proprios hostes elegisse: Ac demum ex his tribus fratribus Germanis totidem emersisse soboles, scilicet Gonzagam Mantuæ, Hugonam Brixiæ, Crissagam Ragusio.

V. Sententia. Marius Equicola quantum ad Domus Gonzagorum exordia nihil determinat. Fert nihilominus, se multa cum veritate reperisse, Guidum Gonzagam milatasse adversus Regem Neapolis Manfredū, habuisseq; liberos quinque, nempè *Ludovicum*, primum Dominorum Mantuæ authorem, Gentilem, Gualtierum, Abraminum, ac Petronium. Attamem multò ante in quodam à Comitissa Methilde, pro se eam urbem ab Imperio recuperante, concesso Mantuæ Visdominis privilegio, quidam Roterius Gonzaga invenitur.

VI. Sententia. Item Gulielmum quendam castri Gonzaga extitisse Dominum ab Abbate S. Benedicti in Padolinore investitum ajunt, ex eaque natum Philippum Mantuanorum in Insubriæ fædere contra Cæsarem Ferdinandus II. oratorem, & Legatum. Et ex Philippo exisse alios usque ad annos 1291.

VII. Sententia. Nec prætereundum alios exogittasse, hanc Serenissimam Domum originem ex Tuscia duxisse. Primus omnium in ea, inquiunt, *Sigifredus* Dominus Lucanorum, posteri usque ad septimam ætatem, in qua quidam Bonifacius Parmæ Comes, cui Vxor Beatrix, Henrici III. Imperatoris soror. Quas sententias recitans Franciscus Sansovinus boni nominis inter scriptores nostros Italicos auctor, subdit statim. Nos res prædictas prætereuntes, de quorum aliquid certi statuisse valde laboriosum esset, dicimus cum Volaterrano lib. 4. sub itulo de rebus Mantuæ, occisum Passarinum Bonacolsum (vel cum alijs Bonacosum, Mantuæ Dominum, ac Tyrannum, & ut nonnulli credunt à Ludovico Gonzaga, hunc populus ex Senatus consultus decreto suum Capitaneum, caputque seu Ducem constituit anno 1327. &c. Ab isto Ludovico idem Sansovinus seriem Genealogicam Gonzagæ sobolis texere incipit usque ad Gulielmum III. Mantuæ Ducem, & annum 1572. per XI. generationum gradus.

Sansov. ad ann. Christi 1327. fol. 357

M. S. in Genealogijs sub numero 62. agit primo de stirpe Gulielmi Gonzagæ, Eleonoræ Austriacæ, filiæ Ferdinandi I. Imp. Cōjugis, incipitq; ab Friderico

rico

rico Abavo Francisci filij Gulielmi prædicti, fratrisque Margaritæ, Alphonsi II. Ferrariensis Vxor, cujus genitores tam paternos, quam maternos immediate subdit. Deinde sub numero 68. prodiens denuò sobolem Annæ Catharinæ, Ferdinandi II. Tyrolensis alterius Conjugis: de Gonzagis, inquit, paulò ante diximus, quibus hæc addere visum est. Fuit olim Mantua Imperij libera Civitas, post autem agitatis varijs motibus, ac civilibus malis, ad Ludovicum Gonzagam, propter ejectam Passerini tyrannidem, rei summam deferunt anno salutis 1327. hujus abnepotem Joannem Franciscum Sigismundus Cæsar creavit Marchionem anno 1434. altera die Sept. Et in hoc quidem gradu constituerunt usque ad annum 1530. quo Carolus V. Fridericum ad fastigium Ducale exexit, &c. Comes Loschi asserens omnes historicos in hanc conclusionem unanimiter convenisse (quod sanè verum dicit) scilicet familiam Gonzagam Germanam esse origine, sequitur ipse quintam sententiam commemoratam, & à Guidone illo Ludovici parente, quem in radice suæ arboris collocat, totam stirpem derivat. At neque ipse, neque alij, quos citat Sansovinus, quique Domum Gonzagorum ex Teutonia emersisse tradunt, ita altè eam, ut video, traxit postremò uti Gabriel Bucelinus in illa tabella, cui titulus, *Gonzagicæ Mantuæ Ducum Serenissimæ familiæ ex superis, & Carolingis probatissima sanguinis derivatio.* Itaque tota deductio à Carolo Magno usque ad Duces superstites ita pereundem auctorem fol. 38. & 60. gradatim in suas generationes ordinatur. Bucel. par. 3. fol. 60.

S. Carolus Magnus Rex Galliarum, & Imperator Augustus primus in Occidente anno à Christo 800. obijt 814.

Ludovicus Pius Imperator Augustus obijt 840.

Lotharius Imperator Augustus obijt 855.

Lotharius Rex Austrasiæ, quæ ab ipso Lotharingia dicta.

Hugo Comes Provinciæ Rex Italiæ electus 926. obijt 946. Filij ejus duo, *Sigefridus* Otpertus Marchio Tusciæ, &c. Ex quo Mathildem Ecclesiæ Dotatricem supra deduximus, & Brunsuicenses: &

Hugo factus Dominus Gonzagæ ac finitimorum locorum per Vxorem ex familia Corradorum, sive Gonzingorum inter Longobardicas spectatissima.

Gerardus Gonzingus sive de Corradis & Gonzaga investitus à proprinquo suo Marchione Adalberto, tanquam immediatè Imperatori subjectus A. C. 1009.

Rainerius Gonzingus de Gonzaga sub anno Christi 1050. Ejus liberi tres. 1. *Rainerius* II. de Corradis, parens Rainerij III. Wiperti, Opizi 3. *Rothicarius*, sed 2.

Belancorius Gonzingus de Gonzaga sub anno 1075.

Gerardus de Gonzaga onno 1100. ejus frater *Lanfrancus* Gonzaga.

Guilielmus Gonzingus de Gonzaga claruit anno 1120. Cui frater *Corbellus* Genitor Richardi. Filij vero *Waltherius* 1196. 1207. *Philippus*, &

Abraminus Gonzingus de Gonzaga. Geniti hujus duo, quorum alter *Joannes* Præpositus S. Petri Mantuæ 1240. Sed prior

Corradus Gonzingus II. de Gonzaga 1215.

Guido Gonzingus de Gonzaga 1254. Ejus frater Aloysius I. Claruit 1225. Filij *Bonamentius* 1285. & *Fridericus* Canonicus Mantuanus 1291. At secundo loco

Antonius Gonzingus de Gonzaga, ex quo secundo natus *Giglius*, 1288. Sed primò

Corradus Gonzingus III. de Gonzaga 1260. Filij hujus tres. 1. *Corbellus* II. 1298. 3. *Corradus* IV. claruit 1298. 2. verò

Guido Gonzingus II. de Gonzaga 1286. Huic proles quatuor, prima *Walterius* II. secunda *Petronius*, postrema Abraminus II. At tertia

Aloysius Gonzingus II. primus Mantuæ Dictator perpetuus. Obijt 1360. Ex tribus filijs primonatus *Philippus*, tertiò Azo: Sed secundo

Guido III. Dictator seu Capitaneus II. obijt 1369. Vxor Beatrix Barri Comitissa. Ex Guidone III. *Vgolinus* primò, ultimo vero Franciscus, at secundo loco

Ludovicus Capitaneus III. obijt 1382. Vxor Alda filia Opizonis Marchionis Ferrariæ.

Franciscus Capitaneus IV. Comes de Gonzaga I. obijt 1407. Vxor Agnes filia Barnabæ Vicecomitis.

Joannes Franciscus Marchio I. Mantuæ, &c. Obijt 1444. Vxor Paula Malatesta. Liberi quinque 1. *Carolus* Gonzaga Luciæ Estensis Conjux. 2. Alexander Comitissæ Vrbini maritus. 4. Joannes Gonzaga. 5. Margarita Leonelli Estensis Vxor. Sed 3.

Ludovicus Marchio Mantuæ II. Obijt 1478. Vxor Barbara, filia Joannis Marchionis Brandeburgensis. Sex proles ex hoc Conjugio. *Francisus* I. R. E. Cardinalis *à Pio II. creatus. Joannes Franciscus, Ludovicus* Gonzaga. Hic ex Sansovino Prothonotarius Apostolicus, & Mantuæ Episcopus. Fridericus, de hoc citius. *Barbara* Vxor Eberhardi D. Wirtenberg. & *Susanna* Vxor Galeatij Sfortiæ Ducis Mediolani. *Sed Susanna fuit Monialis, & Vxor Galeatij vocabatur Dorothea. Vide Sansov.*

Fridericus Marchio Mantuæ III. obijt 1484. Vxor Margarita filia Alberti Pij Ducis Bavariæ. Filij sex 1. *Sigismundus* S. R. E. Cardinalis, quem

quem creavit Iulius II. 2. *Joannes* Gonzaga *duxit Lauram Bentivol.* 3. *Paula* Vxor Domini Maletestæ. 5. *Magdalena* Vxor Domini à Pisauro. 6. *Leonardus*, cui Vxor 1. Christina Werdenbergij 2. Gibelti Com. Mompensier. *Apud Sansovinum inter filias Friderici sunt Clara Ducis Borbonij mater, & Helisabeta Guidobaldi Vrbini Ducis consors, mulier exemplaris, quem Petrus Bembus celebrat: at nulla mentio de Leonardo.* Sed 4. filius.

Franciscus Marchio Mantuæ IV. obijt 1519. Vxor Isabella filia Herculis I. Ducis Ferrariæ. Liberi, *Hercules* S. R. E. Cardinalis, *à Clemente VII. creatus*. *Fridericus*, de quo statim. *Ferdinandus* Magnus Dux Ariani, &c. Princeps Melfictæ, Marchio Mantuæ, *ac Isabella Capua conjux*. *Leonora* Vxor Francisci Ducis Vrbini. *Hippolita* & *B. Paula* Moniales. *Item ex Sansov. Julia Vxor Vespasiani Columnæ, Margarita, & Theodora*. Ex Magno Ferdinando duo filij, 1. Cæsar Ariani Dux, Princeps Melfichtæ, parensque Ferdinandi Ducis Ariani, ac patris Cæsaris Melfichtæ Principis. 2. filius *Octavius vel Octavianus ex Sansov. maritus Isabellæ Corregiæ*, Marchio Mantuæ, qui genuit Herculem Marchionem Mantuæ Comitem de Gonzaga, parentemque Principis Octavij juvenis ante Vercellas occumbentis 1617. Sansovinus tribuit Magno Ferdinando strenuissimo militi numerosiorem sobolem, nam præter duas commemoratas, enumerat quoque Hippolitam Vxorem primum Ducis Tagliacozzo, deinde Ducis Montis Dragonis, Franciscum Cardinalem, Andream, Herculem, & Ioannem Vincentium Cardinalem.

Fridericus Dux Mantuæ I. obijt 1540. Vxor Margarita Paleologa, Marchionissa Montisferrati. Filij, *Franciscus* Dux Mantuæ, cui Vxor Catharina filia Ferdinandi I. Imperatoris. *Guilelmus*, & *Ludovicus* à quo descendunt Duces superstites, ut paulo inferius dicemus. Ex Sansovino etiam cum prædictis filij Friderici Fridericus posthumus Cardinalis, Alexander, & Isabella, Ducis Piscariæ Conjux.

Guilelmus Dux Mantuæ obijt 1587. Vxor Eleonora filia Ferdinandi I. Imperatoris. Ex quo conjugio post Vincentium Anna Catharina (reliquit hanc Bucelinus) Vxor Archiduci Ferdinandi II. Tyrolensis, parensque ANNÆ Imperatricis Cæsaris Matthiæ consortis. *Anna* altera Vxor Alphonsi Ducis Ferrariæ.

Vincentius Dux Mantuæ & Montisferrati. Vxor Leonora Ducissa Hetruriæ. Filij, Leonora (Imperatrix) Conjux Cæsaris Ferdinandi II. *Ferdinandus* Dux Mantuæ, & Montisferrati, & post alterum filiũ, de quo statim, *Vincentius* Princeps, ac Leonoræ Medicææ Conjux.

Franciscus Dux. Vxor Margarita Ducissa Sabaudiæ (*anno præterito extincta*) ex qua Maria filia & hæres, hodie vidua. Hac Linea intercisa, successit altera Ducum Niversij, deducta à Friderico I. supradicto, sed per tertio genitum, qui fuit, ut tetigimus. Hhh 2 Ludo-

Ludovicus. Vxor Henrica filia Francisci Ducis Niversij.

Carolus I. Dux Niversij (*& Mantuæ*) Vxor obijt 1637.

Franciscus Dux Niversius (*& Princeps Mantuæ* ac frater *Ludovici* Niversij. Vxor Maria præfata, filia Francisci. Liberi,

Carolus II. Dux Mantuæ. Et Eleonora juniore Imperatrice Ferdinandi III. Cæsaris Austriaci, nuper quam pijssimè extincti, perdilectissima Conjux. Vxor Caroli Clara Isabella Archiducissa Austriaca

Carolus III. Princeps: vivat gratiosus Infans, videatque per plurima lustra posteros innumeros, succedaneis ævis sobolescentes.

Ad finem hujus tabulæ statim subdit Bucelinus. Ita & hanc quoque Italiæ longè Illustrissimam Familiam, uti Volaterranus ipse fatetur, ex Germanis fuisse, & verè Germanam agnoscimus, atque inde Vicaria usque hodie sanguinis relatione, & affinitate perpetuò junctam; uti Ferdinandus II. Augustissimæ memoriæ Augustus in Leonora seniore Augusta, Ferdinandus III in Iuniore sua Leonora. Carolus hujus frater in Archiduce Isabella recentissimis exemplis veterem confirmarunt necessitudinem, & vetustissimum sanguinis jus novo consociarunt, &c. At nos superius demonstravimus, hanc Domum cum illis Austriacorum, Regum Franciæ, nec non & Bavariæ Electorum Italam esse antequam Gallicana, seu Theutonica extitisset. Quod quamcitius ærea tabula melius clarebit.

Appendix pro clariori Tabellæ Bucelinicæ intelligentia, ac Marchisatus Montisferrati hæreditatis, tribus Familijs, Aleramæ, Paleologhæ, & Gonzagæ translati.

Ex Sansovino citato, & ipse ex Volaterrano.

LUdovicus sive Aloysius Guidonis filius, ac Heros dignus Principatu, nempè qui floruit anno 1327. tres habuit Conjuges. Prior fuit ex stirpe *Ramberti*, genuitque cum ea Guidonem, Philippinum, & Feltrinum. Secunda *Malatesta*: ex hac habuit Conradum, cui Vxor quædam Domina de Domo Beccaria, Paviæ Dominatrix. Albertum, & Fridericum. Tertia *Malaspina*, unde orti Azo, Marcus, Jacobus, Ioannes. Guido maritus Viridis ex familia Beccaria Domina tunc temporis Vrbis Paviæ. Ejus filij *Hugolinus* Catharinæ Visconti Conjux. *Franciscus*, cui Vxor Læta Polentana Guidonis Domini Ravennæ filia. *Beatrix* Nicolai Estensis mulier. *Ludovicus* Vicarius Imperialis, titulus tunc sibi, ac suorum regimini ordinarius. Ejus Vxor Alda Estensis Marchionis Ferrariæ genita, ex qua *Franciscus, Febus*, & *Isabella*, Carolo Malatestæ nupta.

Franciscus

Franciſcus contumax factus apud Ioannem Galeacium Mediolani Ducem, eo quod cum ipſo confederari nequiverit, hæc res occaſio fuit, ut Gonzagi ab armis Gentilitijs flexuoſum anguem, infantem vomentem, quem in gratiam Viſcontorum aſſumpſerant, expungerent. Vxor Franciſci Margarita Malateſta, cum qua genuit duas Suſannas, quarum prior Conjux Leonelli Eſtenſis, & Ioannem Franciſcum armis excellentem. Fuit tam Militiæ Pontificiæ quam Venetæ Generalis. Creatus ob multa ſua merita Marchio Mantuæ à Sigiſmundo Imp. ſub annum 1433. Donatuſque ab eodem pro Schemate Gentilitio nigris Aquilis in campo albo cum rubea Cruce. Vxor Ioannis Franciſci Paula Malataſta celebris apud ſcriptores illorum temporum, fuit enim magna mulier religione, pudicitia, eruditione, ſapientia, & omnigenere virtutum ſuper omnes Europæ Heroinas. Filij, *Joannes Lucidus*, *Carolus* maritus Rengardæ da Corte, *Alexander* & *Ludovicus*. His quatuor maſculis diviſit parens ſtatum, è quibus Carolo reliquit Regiolum, Gonzagam, Luzzaram, Inſulam, Renarolum, Bozzolum, S. Martinum, Sabionetam, Gazzolum, Viadanam, & Suzaram cum Palatio plateæ D. Petri. Alexandro, cujus Vxor filia Comitis Vrbini Friderici, ceſſit Canedum, Rodondiſcum, Marcaria, Caſtrum Ziffrè, Medole, Caſtilionum ex Stivieris, & Oſtianum. Ioanni Lucido giboſo, ac rebus Eccleſiæ addicto Rodingum, Volta, Caſpiana, Cereſara, Piubechia, & Caſtellarium. Venit Mantuam ejus tempore Rex Daciæ, ac Fridericus III. Cæſar Auſtriacus dùm iret Romam, quem ſplendidiſſime recepiens, Vxorem duxit Barbaram filiam Marchionis Brandeburg.

Arma Gentilit. modernorum Gonz. quando adue pa.

De origine Marchionum Montisferrati hæc brevi Genealogia ex arbore Comitis Foſchi. *Aleramus* Saxo Conjux Alaſiæ, filiæ Othonis Imp. ac I. Marchio Montisferrati ad annum 900. *Gulielmus* Aleramus Marchio, cui frater Theodorus I. Marchio Salutij. *Bonifacius* Marchio. *Gulielmus* Marchio 1140. *Bonifacius* Marchio. *Gulielmus* ſenior Marchio. *Gulielmus* Longaſpata, conjux Sibillæ, Terræ ſanctæ Reginæ. Gulielmi ſoror Agnes, hæres vero in quo Linea paterna deſijt *Balduinus* Marchio coronatus Rex Terræ ſanctæ 1190. Ex Gulielmo ſeniore tres alij liberi Ranerius Rex Teſſaliæ, Bonifacius, & Iordana Vxor Andronici Imperatoris. Ranerius ſecunda vice genuit Conradum, maritum Iſabellæ Reginæ Terræ ſanctæ, ex qua orta Conſtantia Regina Terræ ſanctæ, Vxorque Ioannis Comitis. Sed primò genuit Gulielmum Marchionem, parentem Bonifacij Marchionis, ac penultimi ex ſtirpe Alerama in filio Ioanne ultimo. Reliquit hæredem *Jolandam*, per quam Gens Paleologa ſucceſſit. Nam Iolandæ maritus *Andronicus* fuit, Imperator Conſtantinopolitanus, I. Marchio Montisferrati ex Domo Paleologa, ac hæres ratione Conjugis ſuæ anno 1290. *Theodorus* Paleologus Marchio II. *Joannes* Marchio III. cui ſoror Violanta Sabaudiæ Comitiſſa 1345. *Theodorus* Marchio IV. Ejus filia Sophia nupſit Imperatori Conſtantinopolis; filius *Joannes Iacobus* Marchio V.

Prima ſtirps *Alerma*.

Secunda ſtirps *Paleologa*.

Cui filij quatuor, ex quibus Marchiones tres, nimirum *Ioannes Marchio* VI. *Gulielmus* Marchio *VII.* parensque Blancæ, Caroli *I.* Sabaudiæ Ducis 1436. Vxoris, *Bonifacius* Marchio 1468. *VIII.* quartus filius Theodorus Cardinalis. *Gulielmus* Marchio primogenitus Bonifacij. *Bonifacius* Marchio filius Gulielmi 1518. *Ioannes Georgius* Abbas Marchio ultimus 1533. & alter filius Marchionis *VIII.* Bonifacij. Anna Gulielmi ultimi filia in hac stirpe obijt nubilis. Tota ergo dignitas, & hæreditas juit ad prolem fæmineam, hoc est ad *Margaritam* Poleologam, quam genuit idem Gulielmus ultimus. Quia verò nupsit hæc *Friderico Gonzaga* Mantuæ Duci, hac de re Marchionatum jure hæreditario Gonzagorum Mantuæ adepta est Familia. Inijt hoc conjugium Fridericus post sollemnem ejus creationem in Ducem Mantuæ à Carolo V. Bononia redeunte, ubi anno 1530. Clemens *VII.* eum coronaverat, atque appellente Mantuam, & illò ingenti pompa, regijs apparatibus, incredibili obsequio, ac reverentia ab eomet Principe recepto. Ipse Cæsar Carolus postmodum decreto suo Imperiali absoluta sententia decernit, jus Marchesati ad Duces Mantuanos devolutum, exclusitque Sabaudiæ Ducem, atque Salutij Marchionem, illud sibi spectare allegantes.

Tertia stirps *Gonzaga.*

Hactenus pro omni hujus præsentis Partis complemento.

Finis Partis tertiæ.

